·C·2·L·A·

32
H
7

BENEDICTI PERERII VALENTINI,

E' SOCIETATE IESV,

QVARTVS TOMVS SELECTARVM Diſputationum in ſacram Scripturam:

Qui eſt prior Tomus Diſputationum in Euangelium B. Ioannis ſuper nouem primis eius Euangelij capitibus, ducentas & quatuordecim Diſputationes continens:

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVS.



LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ADMODVM

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, PATRI CLAVDIO AQVAVIVA,

PRÆPOSITO GENERALI Societatis IESV,

BENEDICTVS PERERIVS eiuſdem Societatis S. D.

QVEMADMODVM *inter Scripturas Apoſtolicas facilè primas tenent Epiſtolæ B. Pauli, & inter has, quæ ad Romanos ſcripta eſt, in qua de altiſſimis Fidei, & religionis Chriſtianæ myſterijs admirabilis Paulus ſapientia, & eloquentia diſſeruit: ita B. Joannis Euangelium, vt poſtremum tempore, ſic dignitate primum, inter Euangelica ſcripta præcellit. In hoc enim* CHRISTI *æternitas, & diuinitas copioſius, quàm in alijs Euangelijs, expreſſiuſque demonſtratur: multa etiam præclara* CHRISTI *dicta & facta, cognitu digniſſima, & ab alijs prætermiſſa Euangeliſtis, diligenter exponuntur: ſolus quippè Joannes quædam perinſignia* CHRISTI *miracula, & complures eius ſermones diuina planè ſapientia ſplendentes, charitatéque flagrantes, luculenter enarrauit. Videtur itaque non inſcitè Beda dixiſſe, quantum ſacra Noui Teſtamenti Scriptura*

omnes veteris Teſtamenti Scripturas antecellit; tãtum B. Ioannis Euãgelium alijs Noui Teſtamẽti Scripturis præſtare. Huius Euangelij explanationem meam duos in Tomos Diſputationũ diuiſam tibi, Pater optime, dicandam eſſe duxi: conſentaneum eſſe ratus, vt cuius nomini, ante quinque annos, meas in Epiſtolam B. Pauli ad Romanos commentationes inſcripſeram, in eius nunc etiam nomine, in publico diſputationes meæ in Euangeliũ Ioannis apparerent. Spero equidem meum hoc munuſculum fore tibi non iniucundum, & quia datum eſt ab homine tui amantiſſimo, & obſeruantiſſimo; & quia pertinet ad explicationem, & cognitionem Sacrarum litterarum, quarum tu admodùm ſtudio delectaris; & in eo, cùm aliquid tibi, à grauiſſima noſtræ Societatis gubernatione, otij eſt, libenter verſaris. Precor DEVM, *vt te multos annos, magno Societatis noſtræ bono, ſeruet incolumem.* VALE.

AVCTOR

AVCTOR OPERIS LECTORI.

EVANGELIVM B. Ioannis publicè in Romano Collegio bis interpretati ſumus; Primùm quidem annis ab hinc triginta; Secundùm autem ante annos viginti, & in ipſum copioſa ſcripſimus Commentaria. Neque ab eo tempore ad hanc vſque diem ea ſcripta magis in dies polire, ac locupletare deſtitimus; vt verè dici queat, fuiſſe opus hoc noſtrum, quod nunc typis mandatur, trigenario ſtudio, & cura elaboratum, atq; confectum. Ex his porrò noſtris in Ioannem Commentariis decerpta, quæ nobis viſa ſunt meliora, redegimus ad formã Selectarũ Diſputationũ: eaſq; Diſputationes duos in Tomos digeſſimus; quorũ Prior, qui nũc exit in lucẽ, Diſputationes habet ducentas & quatuordecim ſuper nouẽ primis Capitibus huius Euangelij: Poſterior autem Tomus, maxima in parte à nobis iam factus, ſuper duodecim reliquis eiuſdem Euangelij Capitibus Diſputationes continebit. Si autem DOMINVS, ſub cuius nutu vitæ noſtræ momenta decurrunt, pauculos aliquot nobis vitæ, mediocríſque valetudinis annos indulſerit, dabimus etiam in publicum duos Tomos quæſtio-

num Chronologicarum in omnes libros diuinæ Scripturæ tam veteris, quàm noui Teſtamenti: optabile profectò,& perutile opus omnibus, qui in Sacrarum litterarum ſtudio & tractatione verſantur, & à viris doctis diu, multúmque deſideratum,& à nobis non ſemel promiſſum. Sed quia homini duos iam & ſeptuaginta annos nato,& ſatis infirma, perpetuíſque ſtudiorum laboribus contrita valetudine prædito ſingulos in annos expectanda mors eſt; iuuat nos etiam hoc locò illud dicere, quod ſæpè aliàs dicere ſoliti ſumus, & quondam à fortiſſimo illo duce Iuda Machabæo dictum eſt;

1. Machab. cap. 3. *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.*

Facul

Facultas R. D. D. Antonij Emmanuelis Chalomi huius libri imprimendi.

ANTONIVS EMMANVEL CHALOMVS in præfectura Lugdunenſi Conſiliarius Regius, in primatu Franciæ Iudex, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius Generalis: opus hoc à Benedicto Pererio magno ingenio, excellentíque doctrina viro compoſitum, & à Theologis recognitum, vt in lucem edatur facultatem concedimus, Lugduni 30. Iuilij 1607.

CHALOM.

Summa Priuilegij à Christianiſsimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IIII. Galliæ, & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, ac ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Benedicti Pererij Valentini, è Societate Ieſu Theologi, Selectarum Diſputationum Tomus primus in Euangelium Sancti Ioannis, Diſputationes quatuordecim ſupra ducentas complectens*: præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem: aut illos, quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis, 30. die menſis Iulij 1607.

De mandato Regis,

Signatum
DE LA FON.

Facultas R. admodùm in Chriſto P.P. Claudij Aquauiua, Societatis IESV *Præpoſiti Generalis, huius libri imprimendi.*

CVM priorem Tomum P. Benedicti Pererij, Societatis noſtræ Theologi, in Euangelium S. Ioannis, Diſputationes quatuordecim ſupra ducentas complectentem; tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id cōmiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinebit, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ xij. Ianuarij 1608.

CL. AQVAVIVA, Societatis IESV
Præpoſitus Generalis.

BENEDICTI PERERII PROLEGOMENA IN EVANGELIVM BEATI IOANNIS, octo Diſputationibus explicata.

PRIMA DISPVTATIO.

De inſigni Beati Joannis laude, ducta ex eo, quod erat: Diſcipulus ille, quem diligebat IESVS.

1 QVOD eloquentiſſimus Romanæ hiſtoriæ ſcriptor Titus Liuius de Cicerone dixit, ad perſequendas Ciceronis laudes, Cicerone laudatore opus eſſe: idem veriſſimè dici à nobis de Beato Ioanne poſſet, dignum Ioanne laudatorem Ioannis, alium neminem, niſi Ioannem ipſum eſſe poſſe. Nam vt ſolus hominum Ioannes bona ſua nouerat, & quanti eorum eſſet vnumquódque momenti, ſuo dignitatis pondere perpendens, planè intelligebat: ita ſolus bona ſua, quanta eſſent laude digna, æſtimare poterat. Nec ipſe hoc diſſimulauit, ſed ea dixit, & in ſcriptis reliquit, quæ maximam ipſius laudem continebant. Nam etſi omnis humanæ laudis atque honoris, quàm qui maximè, contemptor fuit; veram tamen &

Refert hoc Seneca in lib. 1. Suaſoriarũ.

ſolidam laudem ex D E O profectam, atque in D E V M ipſum relatam, & ex ampliſſimis D E I muneribus efflorefcentem atque redundantem nec ipſe contempſit, nec contemnere debuit.

Sed quando, aut quomodo Ioannes ſuarum laudum ipſe præco fuit? an exigua videtur illa eſſe laus Ioannis, quam ipſe in ſua hiſtoria Euangelica frequenter, & libenter vſurpauit: *Hic eſt Diſcipulus ille, quem diligebat* I E S V S? nihil hac breui ſententia plenius, nihil ſublimius, nihil illuſtrius, ac magnificentius, nihil ad eximiam Ioannis laudem inſignius dici potuit. Contendant alij omnes ingenij ſui vires, profundant vniuerſum eloquentiæ flumen, cunctáſque doctrinæ opes ad laudandum Ioannem conferant atque congerant; minor tamen eorum laus omnis futura eſt huius breuiſſimi encomij præſtantia: *Diſcipulus, quem diligebat* I E S V S. Sed quid egregiũ, & excellens habet illud: *Quem diligebat* I E S V S? habet nempe hanc vim, Quem I E S V S eximiè, ac ſingulariter, quem familiariſſimè, atque intimè, Quem tenerrimè, ac blandiſſimè, Quem tanquam vnigenam filium, effuſo patris affectu ſuper omnes diligebat.

Triplex differentia diuini amoris, atque humani.

Nec diuinus erga homines amor talis eſt, qualis eſt humanus 2
amor, quo inter ſe amant homines: triplex certè notabilis eſt inter vtrúmque amorem differentia. Humanus etenim amor per ſe ſterilis, & inefficax boni eſt; non enim qui amat alium, amando eum, quidquam boni tribuit ei, vel ſanans eum, ſi æger eſt; vel ſi pauper, ditans eum; vel ſapientem faciens, ſi indoctus eſt; vel alio vllo bono afficiens eum. Aliud eſt enim hominem bene velle homini, & aliud eſt bene facere ei; multi optimè volunt aliis, flagrantiſſiméq; amant eos, quibus tamen benefacere non poſſunt: nimirum, diuerſa eſt in homine facultas benefaciendi à facultate bene volendi, & amandi. Scitum eſt illud, quod Plinius dixit Veſpaſiano ad Romanum imperium aſſumpto, cui hiſtoriã ſuam naturalem dicauit: *Nec quidquam,* inquit, *mutauit in te fortunæ amplitudo, niſi vt prodeſſe tantundem velles & poſſes.* Quibus verbis ſignificauit Plinius, antea quidem Veſpaſianum propenſiſſimam habuiſſe bene merendi de hominibus voluntatem; ſed eam tamen, quia par voluntati deerat facultas, explere non potuiſſe: tunc autem maximam imperij potentiam conſecutum, quantum vellet,

Plinius in præfatione historiæ ſuæ naturalis.

vellet, tantundem poſſe. At verò, diuinus erga homines amor, boni fœcundiſſimus, & efficaciſſimus eſt, immò verò omnium, quæ in homine ſunt, bonorum fons, & cauſa; qui nullo tempore aut ſua fœcunditate deficitur, aut minuitur vbertate. DEVM bene velle homini, eſt bene facere ei: hominem diligi à DEO, eſt bonis affici ab eo. Deinde, homo excitatur ad amandum alium hominem bonis quæ in eo homine cernit, & miratur, vt prudentia eius, ſapientia, fortitudine, liberalitate, aliiſque bonis vel animi, vel corporis, vel fortunæ: DEVS autem non amat hominem propter bona quæ in ipſo videt, non, inquam, incipit amare eum propter bona quæ in ipſo, aut ex ipſo reperit: ſed ipſe quidquid in homine boni eſt, amando eum, inchoat, & promouet, ac perficit; primáque bonorum omnium ſemina in animis hominum primus ipſe ſerit, ſatáque fouet, nutricatur, auget, & ad perfectam fructuum maturitatem perducit. Adhæc, non ſolùm diuinus amor bonorum origo, & cauſa eſt, ſed modus etiam, atque menſura: ſi enim veri boni ratio æſtimetur, tantus quiſque virtutibus, veríſque bonis eſt, quanto eum DEVS amore dignatus eſt. Nimirum, diuini amoris magnitudini, etiam diuinorum munerum & bonorum quæ tribuuntur homini, pariter magnitudo reſpondet; tantúmque boni datur cuique hominum, quantum amoris ſui DEVS ad eum ex ipſa æternitate applicare voluit.

3 Ergo, cùm Beatus Ioannes dixit, ſe illum fuiſſe Diſcipulum, quem diligebat IESVS, omnia ſanè bona comprehendit, quæ de ipſo prædicari, & laudibus in cœlum efferri poſſunt. Quod enim bonum ei deeſſe potuit, quem tanto DEVS amore complexus eſt? cui videlicet in diuini pectoris, & amoris receſſum, & ſinum recepto, atque inibi tam feliciter, quàm familiariter requieſcenti, id autem eſt, ad perennem bonorum omnium fontem proximè admoto, diuina bona non parcè libandi, leuitérque guſtandi, ſed affatim hauriendi, largéque potandi copia facta eſt. Sicut igitur nemo alius præter Ioannem nouit, quantum CHRISTVS dilexerit Ioannem, & quot, & quãta in eũ bona ex illo CHRISTI amore redundârint: ita nemo dignus Ioanne laudator Ioannis, præter ipſum Ioannem, eſſe potuit. Ego de Beato Ioanne dicturus, non mihi aſſumam laudatoris perſonam, quam condignè non

poſſum agere; ſed nonnullas de eo quæſtiunculas, ad explanationem Euangelij eius, præcognitu non parum vtiles, partim hiſtorico, partim ſcholaſtico modo diſtinctè, preſſeque tractabo.

SECVNDA DISPVTATIO.

An Ioannes fuerit genere nobilis, & patrimonio diues, & litteris vel humanis vel ſacris doctus?

IOANNEM, priuſquàm vocaretur ad CHRISTI 4
Apoſtolatum, nec generis nobilitate, nec diuitiis, nec doctrina fuiſſe præditũ, tribus ex locis Diuinæ ſcripturæ ſatis apertè licet cognoſcere. Matthæus enim in capite quarto ſui Euangelij, narrans Ioannem vnà cum fratre ſuo Iacobo, & patre Zebedæo artem piſcatoriam coluiſſe, & exercuiſſe, eóque artificio, & exercitio piſcandi victum ſibi comparâſſe, & piſcationi, ac reficiendis retibus intentum, à CHRISTO eſſe vocatum; ſatis profectò euidenter, eum non vel nobilem, vel diuitem, vel litterarum deditum ſtudio fuiſſe indicauit. Hoc ipſum confirmat id, quod Phariſæos de CHRISTI ſectatorum obſcuritate & ignobilitate atque inſcitia, per contemptum dixiſſe, ab ipſomet Ioanne ſcriptum eſt in capite ſeptimo ſui Euangelij. *Quis ex principibus (aiebant illi) credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc, quæ non nouit legem.*

Etiam illiteratũ & indoctum fuiſſe Ioannem ante CHRISTI 5
Apoſtolatum, non obſcurè indicauit Lucas, cùm in quarto capite hiſtoriæ Apoſtolicæ ſcriptum reliquit, principes Iudæorum, viſa Petri & Ioannis conſtantia, cognitóque miraculo ſanati ab ipſis paralytici, propterea vehementer obſtupuiſſe, quòd eos noſſent, homines eſſe illiteratos atque idiotas; neque rem tantam ab illis, vel magicarum artium ſcientia, vel occultiori alio quopiam artificio patratam eſſe ſuſpicari poſſent. Lucæ verba hæc ſunt: *Videntes Petri & Ioannis conſtantiam, comperto quòd homines eſſent ſine litteris, & idiotæ, admirabantur; & cognoſcebant eos, quoniam cum* IESV *fuerant: hominem quoque videntes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.* Sic profectò decuit: decuit, inquam,

maximè

maximè Ioannem, qui cœleſti complendus erat ſapientia, humanarum doctrinarum expertem eſſe, vt quam nobis poſtea doctrinam ſcriptis ſuis erat proditurus, eam nos non humanam, ſed cœleſtem, atque Diuinam fuiſſe intelligeremus.

6 Poſſumus etiam quæ de humili ſecundùm carnem conditione Ioannis diximus, ea confirmare grauiſſimis Beati Pauli verbis, quibus ille primorum CHRISTI ſectatorum humilitatem, & ignobilitatem, & obſcuritatem deſcribit in primo capite prioris epiſtolæ ad Corinthios: *Videte*, inquit, *vocationem veſtram, fratres quia non multi ſapientes ſecundùm carnem; non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret; vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Hæc Pauli verba Patres interpretantur, præcipuè ad Apoſtolos pertinere: eſt ſanè non ſolùm vera, ſed etiam perceleberis illa Patrum ſententia, inſtar maximi ducẽdum eſſe miraculi, prædicatione Apoſtolorũ, qui nulla humanæ ſapientiæ, aut eloquentiæ, nulla gratiæ, aut potentiæ, nulla diuitiarum, aut nobilitatis commendatione ſpectabiles, & venerabiles erant; omnem fermè terrarum orbem ad veri Dei cognitionem, & cultum, Chriſtique fidem eſſe adductum. Sed enim Beatus Hieronymus in epiſtola quam ſcripſit ad Principiam virginem, Ioannem facit nobilem, ſcribens, eum ob generis nobilitatem notum fuiſſe Pontifici, & tempore paſſionis Domini, fidenter intrâſſe domum eius, & illuc Petrum introduxiſſe, & intrepidò animo iuxta crucem Domini ſtetiſſe. Sed videtur ſimilius vero, quod nos ex Patrum ſententia, & ſecundùm doctrinam ſcripturæ docuimus.

TERTIA DISPVTATIO.

An Joannes fuerit cognatus, vel conſanguineus CHRISTI?

7 THEOPHYLACTVS, quaſi legiſſet in Diuinis libris, ita præciſè, atque confidenter dixit, CHRISTVM fuiſſe Auunculum Ioannis: eius nàmque matrem fuiſſe filiam Ioſeph ex priori vxore, quam habuerat ante *Theophylactus Chriſtum facit Auunculum Ioannis, ſed refellitur.*

 coniu

cõiugiũ Deiparę Virginis MARIÆ: Ioſeph autẽ pater CHRISTI eſſe putabatur. Theophylacti verba in eius præfatione in Euangelium Ioannis ſunt huiuſmodi: *Ioannes fuit cognatus Domini: Ioſeph enim Deiparæ* MARIÆ *ſpõſus habuit ex priori vxore liberos ſeptẽ, quattuor mares, & fæminas tres, Marthan ſcilicet, & Heſther, & Salomen, quæ fuit mater Ioannis, & habita eſt ſoror Domini, quia Ioſeph pater Salome etiam Domini pater putabatur; quocirca Ioannes eius filius, nepos Domini habebatur.* Sic ille, ſed iſtud Theophylacti dictum neque fidem habet ex antiquis vel traditionibus, vel hiſtoriis, vel autoribus fide dignis: & verior multò eſt ſententia Hieronymi, Auguſtini, Bedæ, Ruperti, B. Thomæ, aliorúmque à quibus creditum, & proditum eſt, ſanctum Ioſeph non modò priorem Deipara Virgine aliam coniugem non habuiſſe, ſed etiam perpetuò illibatam coluiſſe, atque conſeruâſſe virginitatem.

B. Thomas Ioannem vocat cõſanguineum Christi.

Beatus Thomas in Quodlibeto quarto, articulo decimo quin- 8
to Ioannem vocat CHRISTI conſanguineum; atque ob eam cauſam, ait, non Ioanni, ſed Petro Eccleſiæ principatum à CHRISTO eſſe delatum: vt ſuo videlicet exemplo CHRISTVS futuros Eccleſiæ Principes prædoceret in tribuendis Eccleſiæ muneribus, & honoribus nullum ad ſanguinis propinquitates, ac neceſſitudines reſpectum haberi oportere. Alij tradiderunt, Ioannem fuiſſe CHRISTI conſobrinum; vtriuſque enim matres fuiſſe inter ſe ſorores, ex eadem quidem matre, diuerſis tamen patribus genitas. Aiunt enim, Annam ter nupſiſſe; & ex primis nuptiis genuiſſe Deiparam Virginem MARIAM: ex ſecundis, nuptiis MARIAM, Salomen vxorem Zebedæi, matrémque Iacobi Maioris, & Ioannis: ex tertiis nuptiis MARIAM quæ vxor fuit Cleophæ, & mater Iacobi Minoris, & aliorum, qui in Euangelio fratres CHRISTI appellantur.

Opinio quorũdam, Ioannem fuiſſe cõſobrinũ Chriſti ex ſorore B. Mariæ genitum.

Refellitur ſupra dicta opinio de Anna ter nupta.

At enim, iſtam de Anna ter nupta opinionem equidem abſur- 9
dam, non ſolùm improbabilem eſſe video. Anna etenim, ſicut in antiquis, & probatis hiſtoriis traditum eſt, ſenili iam in ætate annos nempe nata ſexaginta Deiparam Virginem peperit; poſt cuius partum maritus eius Ioachim duodecim annos ſuperuixit: non eſt autem credibile, mulierem propè octogenariam, poſt primum coniugium, etiam ſecundum, atque tertium concupiuiſſe.

Deinde,

Deinde, nulla erat lex apud Hebræos, quæ fœminas ad ſecundas nuptias cogeret: quin etiam laudabile ducebatur, poſt primas nuptias, ſecundis abſtinere. In vltimo ſanè libri Iudith capite, in maximis Iudithæ laudibus ponitur, eam poſt primi mariti obitum, vidualem caſtitatem ſanctiſſimè omni vita conſeruâſſe. Sic enim eo loci ſcriptum eſt: *Feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris: ideo manus Domini confortauit te, & eris benedicta in æternum.* Etiam in capite ſecundo Euangelij Lucæ Anna Propheriſſa laudatur, quòd poſt mariti obitū vidua permanſerit atque ad octogeſimum quartum annum. Cùm igitur apud Hebræos non ſolùm eſſet licitum, ſed etiam laudabile defuncto primo marito, ſecundis nuptiis abſtinere; non obſcurum ſanè fuiſſet intemperātis animi argumentum, ſi Anna poſt primum matrimonium, ex quo præſertim talem tantámque prolem ſuſceperat, affecta iam ætate, ſecundum coniugium, atque etiam tertium expetiuiſſet. *Locus Iudith cap. 15.*

10 Ego iſtam de Ioannis cum Domino cognatione opinionem libentiſſimè amplecterer, ſi veram eſſe crederem: ſed ægrè adduci poſſum, vt eam putem eſſe veram. Si enim Ioannes conſobrinus CHRISTI fuit, & ſecundùm loquendi cōſuetudinem Hebræorū ſæpe in Sacris literis vſurpatam, frater Domini eſſet; cur nuſquam, in hiſtoria Euāgelica, vel Apoſtolica, vel in epiſtolis Apoſtolorum frater Domini appellatus eſt. Eodem enim cognationis gradu Ioannes, ſecundùm iſtā opinionē, attingebat CHRISTVM, quo ipſe Iacobus: cur igitur Iacobus vocatur ſæpius Domini frater, Ioannes verò ne ſemel quidem? Paulus in epiſtola ad Galatas nominat Iacobum, & Ioannem, ſed illum vocat fratrem Domini, hūc autē minimè; cur, ſi Ioannes, ſimiliter vt Iacobus, CHRISTI erat cognatus, cur de tali & tanto Apoſtolo, & dilectiſſimo CHRISTI diſcipulo, id ſcriptura perpetuo inuoluit ſilētio? Cur de iſta cognatione tam memorabili nullum verbum fecerunt Clemens Alexandrinus, Euſebius, Epiphanius, Hieronymus, aliique antiquitatis Eccleſiaſticæ curioſi indagatores? Epiphanius certè diſputans aduerſus hæreſim ſeptuageſimam octauam apertis verbis negat, Ioannem fuiſſe CHRISTO ſanguinis propinquitate coniūctum. Sanctus etiam Hieronymus in libro quem ſcripſit aduerſus *Auctoris ſententia de cognatione Ioānis cū Christo.* *Epiphanius.* *Hieronymus.*

Helucidium copioſè diſputat de illis qui in nouo teſtamento appellantur fratres Domini, vbi ſæpius ei occaſio oblata eſt appellandi Ioannem fratrē Domini, ſi Domini frater ille fuiſſet. Immò, rationem afferens Hieronymus eo in loco, cur CHRISTVS curam Eccleſiæ ſuæ non Ioanni, quem præ cæteris diſcipulis diligebat, ſed Petro commiſiſſet; non cognationem vel neceſſitudinem aliquam Ioannis cum CHRISTO cauſatus eſt, ſed teneram Ioannis ætatem tanto oneri ſuſtinendo immaturam, atque inualidam.

QVARTA DISPVTATIO.

De Ioannis virginitate, & de ætate qua erat, cùm eſt à CHRISTO *vocatus.*

IOANNEM, & cùm eſt à CHRISTO vocatus ad diſci- 11
pulatum, & deinceps omni vita ſua virginem fuiſſe, confeſſio eſt omnium: ſed an ſolus ipſe omnium Apoſtolorum virgo fuerit, non æquè confeſſum eſt omnibus. Beatus Ignatius Martyr in epiſtola, quam ſcripſit ad Philadelphienſes non obſcurè ſignificat, præter vnum Ioannem, qui virgo fuit, cæteros omnes Apoſtolos matrimonio fuiſſe illigatos. Idem ſenſiſſe exiſtimare licet eos (ſunt autem permulti & graues adprimè ſcriptores) qui putauerunt, Ioannem propter virginitatis decoremplus cæteris Apoſtolis à CHRISTO eſſe dilectum; atque ob eam potiſſimùm cauſam, matrem ei ſuam CHRISTVM commendâſſe. Ex aduerſo autem, Epiphanius quinquageſimam octauam hereſim diſcutiens, etiam Iacobum Apoſtolum fratrem Ioannis virginem fuiſſe tradidit: idémque ſcripſit Hieronymus libro primo contra Iouinianum de Iacobo Minori. Quinetiam eo ipſo in loco affirmare non dubitat Hieronymus, præter Petrum, non omnes Apoſtolos fuiſſe virgines, ex Sacris litteris probari non poſſe. Paulum quoque Apoſtolum virginem fuiſſe docet Hieronymus in epiſtola vigeſima ſecunda quam de cuſtodia virginitatis ſcripſit ad Euſtochium. Epiphanius quoque in confutatione hæreſis ſeptuageſimæ octauæ virgines facit Ioannem, & Iacobum fratrem eius, & Paulum. Eadémque de virginitate Pauli ſententia

Ignatius Martyr.

Epiphanius. Vtrumq; Iacobum Apoſtolum fuiſſe virginem.

Hieronymus.

Paulum Apoſtolum fuiſſe virginem.

Hieronymus.

Epiphanius.

eſt

eſt Chryſoſtomi, Theodoreti, Bedæ, Theophylacti, OEcumenij, aliorúmq; plurium iſtis recentiorum in cõmentariis eorum ſuper ſeptimum caput prioris epiſtolæ ad Corinthios. Mihi ſanè videtur ſatis probabile, non ſolum Ioannem inter Apoſtolos fuiſſe virginem: cum tamen, propter eximiam & ſingularem, qua cæteris præſtabat, corporis & animi munditiam atque puritatem, & ob ingenij, morúmq; præcipuam ſimplicitatem atque ſuauitatem, fuiſſe valde amabilem, & præcipuo quodam amore dilectum à CHRISTO, eíque familiariſſimum atque intimum.

Chryſoſt. Theodoretus. Beda. Theophylact. OEcumenius.

12 Illud præterea declarandum hoc loco eſt, qua ætate fuerit Ioannes, cùm eum CHRISTVS ad ſe vocauit. Si verum eſſet quod ſcriptum reliquit Dorotheus, Ioannem vixiſſe annos centum & viginti, cùm ille, ſecundùm communem Doctorum ſententiam obierit in principio imperij Traiani, ex eo conficeretur, ipſum, cùm à CHRISTO vocatus eſt, fuiſſe iam quinquagenarium. Sed enim, illud Dorothei dictum, & quod ei conſequens eſt, excedit fidem, & hiſtoriis Eccleſiaſticis aduerſatur. Beatus Hieronymus in libro primo aduersùs Iouinianum ait, Ioannem, cùm ſecutus eſt CHRISTVM, fuiſſe adoleſcentulum ac propè puerum; & ob eam cauſam non ei curam Eccleſiæ ſuæ CHRISTVM, ſed Petro commiſiſſe. Adſcribam hìc Hieronymi verba: *Super Petrum*, inquit, *fundatur Eccleſia: cur non Ioannes potiùs, qui virgo erat, ad id electus eſt? ætati hoc delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens ac penè puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur. Vt autem ſciamus, Ioannem tunc fuiſſe puerum, manifeſtè docent Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quòd vixerit vſque ad Traiani imperium, id eſt, poſt paſſionem Domini ſexageſimo octauo anno dormierit, quod & nos in libro de illuſtribus viris breuiter perſtrinximus.* Hæc Hieronymus.

Qua ætate fuerit Ioãnes, cũ eſt à Chriſto vocatus.

Dorotheus.

B. Hieron.

An cùm Ioãnes vocatus eſt à Chriſto, fuerit penè puer.

13 Sed non fit veriſimile, puerum eſſe à CHRISTO factum Apoſtolum, & ſacerdotem, & Epiſcopum, & prædicatorem Euangelij per vniuerſum terrarum orbem, & vnum de primis Eccleſiæ principibus, & columnam Eccleſiæ, ſicut eum vocat Paulus in epiſtola ad Galatas: nec eſt probabile, pueri curæ ac prudentiæ CHRISTVM matrem ſuam commendare voluiſſe. Eſt itaque creditu procliuius illud quod Beda in libro de ſex ætatibus mundi ſcripſit, & quod pluribus etiam doctis viris placuit, Ioannem vno anno

minorem natu fuiſſe quàm CHRISTVM. Cùm autem CHRISTVS Ioannem ad ſe vocârit initio ſuæ prædicationis, quo tempoſe CHRISTVS erat triginta annorum, vt docet Lucas in capite tertio hiſtoriæ ſuæ Euangelicæ, ex eo licet intelligere, Ioannem, cùm eſt vocantem ſe CHRISTVM ſecutus, nouem & viginti fuiſſe annorũ: tempore autem paſſionis Domini fuiſſe duorum & triginta annorum, ſi CHRISTVS, vt & multis, & mihi viſum eſt, trigeſimo tertio ætatis ſuæ anno non completo mortuus eſt. Quoniam autẽ, ſecundùm Hieronymum in primo libro contra Iouinianum, & in libro de viris illuſtribus, Ioannes humanis rebus exceſſit anno poſt Domini paſſionem ſexageſimo octauo, inde fit manifeſtum, Ioannem, cùm eſſet centenarius, obiiſſe. Quanquam de morte Ioannis nõ inter omnes conuenit, cùm non defuerint qui putauerint, Ioannem etiam nunc viuere, & in paradiſo terreſtri cum Henoch & Elia manere, & manſurum vſque ad nouiſſima mundi tempora, & Antichriſti aduentum: Verùm hac de re diſputandum nobis eſt, cùm tractabimus illa verba huius Euangelij, quæ Dominus Petro dixit de Ioanne: *Si hic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Inde nàmque multis accidit dubitatio de morte Ioannis. Erant alia quædam quæ de perſona ipſius Ioannis tractari poterant, ſed ea in explicatione Euangelij eius, ſuis quæque locis tempeſtiuè magis, commodéque tractabuntur.

Ioãnes viginti nouem annorum erat, cùm eſt vocatus à Chriſto. Hieronymus.

Ioannes obyt centenarius.

QVINTA DISPVTATIO.

Vbi Ioannes ſcripſerit Euangelium?

TRIA breuiter de Euangelio Ioannis, ante explanationem eius, prædocere lectorem conuenit, Vbi, & Quando, & Cur fuerit à Beato Ioanne cõſcriptum. Ioannem ſcripſiſſe Euangelium in Pathmo inſula, quò fuerat à Domitiano Imperatore relegatus, tradiderunt Dorotheus & Athanaſius, vterque in Synopſi, itémque Simeon Metaphraſtes in Vita Ioannis, & Nicephorus libro tertio capite nono, & Theophylactus in ſua Præfatione in Euangelium Ioannis. Sed probabilior eſt aliorum & plurium & grauiorum Auctorum ſententia, ſcriptum eſſe Euangelium 14

Euangelium Ioãnis ſcriptũ eſſe in Pathmo inſula, opinio Dorothei, Athanaſij, Metaphraſtis, Nicephori & Theophylacti.

gelium à Ioãne Epheſi poſt reuerſionem eius ab exilio, vel Nerua, vel potiùs Traiano imperanre. Hoc ſenſit Epiphanius confutans hæreſim quinquageſimam primam, & Euſebius libro tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite vigeſimo quarto, & Hieronymus in libro de viris illuſtribus, vbi de Ioanne agit, nec non & Victorinus atque Primarius in ſuis commentariis in librum Apocalypſis, Beda etiam in libro de ſex ætatibus mundi, & in ſua præfatione in Ioannem, Rupertus quoque atque alij complures. Hanc ſententiam valde adiuuat id quod ſcripſit Dionyſius Areopagita in epiſtola quam miſit ad ipſum Ioannem in exilio manentem: in cuius extrema parte vaticinatur, Ioannem exilio liberatum iri, & reuerſum in Aſiam, illic boni DEI imitationes peracturum, & poſteris traditurum; qua verborum circumlocutione inſinuauit ſcriptionem Euangelij quam facturus erat. Ponam hîc verba ipſa Dionyſij: *Poſt paululum*, inquit, (*dicam enim, etſi audax dictu videatur*) *tibi chariſſima ſocietate iungemur. Ero autem prorſus dignus cui fides habeatur. ſi* (*quæ tibi præcognita ſunt*) *quæ ex* DEO *didici, hæc loquar: quod ſcilicet & ex Pathmi cuſtodia dimittendus & liber, & in Aſiaticã terram reuerſurus, & illic perages boni* DEI *imitationes, eaſque poſteris trades.* Sic Dionyſius.

Euangelium ſcriptum eſſe à Ioanne poſt exilium.
Epiphanius.
Euſebius.
Hieronymus.
Victorinus.
Primatius.
Beda.
Rupertus.
Dionyſius Areopagita.
Dionyſius.

15 Hoc ipſum ſenſit & tradidit Primatius, in principio ſuorum commentariorum in Apocalypſim ita ſcribens: *Apocalypſim eo tempore Ioannes accipere meruit, quo tempore in Pathmo inſula, pro* CHRISTO, *à Domitiano Cæſare exilio miſſus & metallis damnatus terminis arcebatur incluſus. Poſtea verò ſcripſit Euangelium poſt Domitiani mortem ab exilio liberatus: à Congregatione ſacerdotum rogatus, contra Valentinum & Cherintum & Ebionem, qui contra* CHRISTI *æternitatem, & diuinitatem falſa & impia docere, multoſq; ſuis erroribus irretire cœperant.* Sic ille. Equidem ſatis miror Bedam, qui in cõmentariis ſuis in Apocalypſim ſcripſit Euangelium fuiſſe ante Apocalypſim à Ioanne conſcriptum; cùm ipſemet in eo libro quem fecit & inſcripſit: *De ſex ætatibus mundi*, vbi agit de Nerua Imperatore, dicat Ioannem poſt Apocalypſim, & poſt ſuum ab exilio reditum ſcripſiſſe Euangelium.

Primatius.
Beda.

16 Quod autem poſt Apocalypſim ſcriptum à Ioanne fuerit Euangelium, non obſcurè ſignificatum eſt in vltimis verbis capitis de-

cimi libri Apocalypſis, quæ Angelus dixit Ioanni, ſunt autem hæc verba: *Oportet te iterum prophetare gentibus, & linguis, & Regibus multis*: hoc non videtur poſſe aliter intelligi, quàm quia poſt id tēporis, liberatus ab exilio ſcripturus erat Euangelium: per Euangelium quippe ſuum Ioannes toti mundo prophetauit, id eſt, CHRISTI myſteria enunciauit. Nam quod quidam ea verba detorquere voluerunt ad probandum, Ioannem etiam nunc viuere, & in extremo mundi ſæculo ſimul cum Enoch & Elia prophetaturum eſſe contra Antichriſtum; id manifeſtè redarguitur, & falſum eſſe conuincitur eò, quòd initio proximè ſequentis capitis duo tantùm teſtes nominantur venturi aduerſus Antichriſtum, qui ſecundùm communem Doctorum interpretationem atque ſententiam, Enoch & Elias futuri creduntur.

Locus Apocalypſis capitis decimi.

SEXTA DISPVTATIO.

Quo tempore ſcriptum à Beato Ioanne fuerit Euangelium.

DE tempore ſcriptionis Euangelij variæ ſunt Autorum 17
ſententiæ. Theophylactus in ſua præfatione in Euangelium Matthæi & Ioannis ait ſcriptum eſſe Euangelium à Ioanne anno trigeſimo ſecundo poſt paſſionem Domini, imperante Traiano. Verùm ſententia hæc, ipſa ſe deſtruit: à morte enim CHRISTI Domini vſque ad initium principatus Traiani, non triginta duo anni, vt dixit Theophylactus, ſed anni circiter ſexaginta ſex præterierunt: trigeſimus autem ſecundus annus poſt Domini paſſionem in medium incurrit Neronis imperium. Euthymius in præfatione ſua in Ioannem ait, Euangelium ſcriptum eſſe multis annis poſt excidium Hieroſolymitanum. Sed hoc nimis ab Euthymio generaliter & indiſtinctè de tempore ſcriptionis Euangelij Ioannis dictum eſt. Epiphanius confutans hæreſim quinquageſimam primam ait, Ioannem ſcripſiſſe Euangelium cùm eſſet iam nonagenarius, imperante tunc Claudio Cæſare. Verùm in eo lapſus eſt Epiphanius manifeſto Chronologiæ errore. Nam, ſecundùm ipſum, Ioannes ſcripſit Euangelium poſt ſuum ab exilio reditum imperante Nerua, quadraginta

Theophylact.

Euthymius.
Epiphanius.

draginta annis videlicet poſt Claudij obitum. Quamuis enim non expreſsè dicat Epiphanius, Euangelium ſcriptum fuiſſe poſt reditum ab exilio; ſed Ioannem reuerſum eſſe ab exilio imperante Claudio Cæſare; id tamen ex alio eius dicto concluditur, affirmantis, Ioannem iam nonagenarium ſcripſiſſe Euangelium & paulò poſt eſſe mortuum. Illud prætereà dictum Epiphanij haudquaquam ſubſiſtit, Claudio imperante Ioannem fuiſſe nonagenarium: cùm enim à CHRISTI Domini paſſione vſque ad Claudij Imperatoris obitum anni circiter viginti quattuor trãſacti ſint, neceſſum profectò eſſet, Ioannem, cùm eſt à CHRISTO vocatus ad diſcipulatum, annorum fuiſſe quattuor & ſexaginta, quod & per ſe ſatis improbabile eſt, & fuit à nobis paulò ſuprà cõfutatũ.

18 Eſt itaque probabilior Bedæ ſententia, cui ſubſcripſerunt complures poſteriorum ſcriptorum, Ioannem Euangelium ſuum ſcripſiſſe poſt ſuum ab exilio reditum in Aſiam, imperante Nerua, vel ſub initium imperij Traiani, circa annum videlicet à paſſione Domini ſexageſimum ſextum, vel ſexageſimum ſeptimum, biennio fermè poſt librum Apocalypſis ab eodem Ioanne conſcriptum. Hinc intelligere licet, quod ſcriptum eſt in eo Canone qui vocatur Apoſtolorum, & numeratur Canon octogeſimus quartus, vbi Euangelium Ioannis recenſetur inter libros Canonicos noui teſtamenti, hoc inquam, cohærere nequaquam poſſe cum eo tempore, quo fertur Canones illos eſſe fratres: dicuntur enim conditi eſſe illi Canones viuente in terris Beato Petro Apoſtolo; is autem ſub Nerone occiſus eſt, annis circiter triginta ante ſcriptionem Euangelij Ioannis. Nec licet exiſtimare, illi Canoni fuiſſe poſtea inſertum Euangelium Ioannis ab ipſo Beato Clemente Papa, qui ſuperſtes fuit Ioanni; ob eandem namque cauſam Clemens adieciſſet illi Canoni librum Apocalypſis ſcriptum à Ioanne ante Euangelium. Verùm de cauſis ob quas ille Canon videatur improbabilis, nec temerè à viris doctis repudiatus ſit, diſſeruimus nos in tertio Tomo ſelectarum Diſputationum ſuper lib. Apocalypſis, in Diſputatione quinta ſuper primum caput eius libri.

Beda. Probabilior ſententia de tempore ſcriptionis Euangelij Ioannis.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Cur Ioannes, poſt tria Euangelia ab alijs Euangeliſtis ſcripta, quartum etiam ipſe ſcribere voluerit Euangelium?

Canon Apoſtolorum octogeſimus quartus.
Euſebius.
Epiphanius.
Hieronymus.

Chryſoſt.
Beda.
Rupertus.
Theophylact.
Euthymius.

DVAS cauſas, cur Ioannes poſt alios tres Euange- 19
liſtas ſcribere voluerit Euangelium afferunt Euſebius libro tertio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite decimo octauo, Epiphanius tractans hæreſim quinquageſimam primam, Hieronymus in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, vbi agit de Ioanne, & in primo libro contra Iouinianum, Chryſoſtomus ſuper Pſalmo quadrageſimo quarto, Beda, Rupertus, Theophylactus, Euthymius in Præfationibus ſuis in Euangelium Ioannis. Prior cauſa fuit huiuſmodi: Cùm legiſſet Ioannes aliorum trium Euangelia, ea quidem, vt veriſſima, approbauit; ſed multa eſſe dixit ab illis prætermiſſa, quæ in ſuo ipſe Euangelio ſupplere voluit, earum verò rerum quas alij Euangeliſtæ prætermiſerunt, tria ſunt genera: primi generis ſunt res à CHRISTO geſtæ in primo anno ſuæ prædicationis, priuſquàm Ioannes Baptiſta coniiceretur in carcerem: alij namque tres Euangeliſtæ prædicationem & opera CHRISTI ſcribere orſi ſunt ab eo tempore, quo Ioannes iam erat in vinculis, vt patet ex quarto capite Matthæi & primo Marci, & tertio Lucæ. Secundi generis ſunt inſigniores quidam & admodum memorabiles CHRISTI ſermones ab aliis Euangeliſtis omiſſi, & à Ioanne diligenter expoſiti: huiuſmodi autem ſermones ſunt, primus cum Nicodemo, ſecundus cum Samaritana, tertius cum Capharneitis, & plures alij ſermones Hieroſolymæ habiti cum Iudæis, & vltimus ſermo quem CHRISTVS poſt vltimam Cœnam & proximè ante paſſionem ſuam habuit cum diſcipulis ſuis. Tertij generis ſunt clariſſima quædam CHRISTI miracula de quibus alij Euangeliſtæ nihil, Ioannes autem copiosè ſcripſit, vt fuit miraculum aquæ in vinum mutatæ in nuptiis, & ſanati Paralytici iuxta piſcinam, & cœci nati illuminatio, & Lazari iam quatriduo mortui reſuſcitatio.

Tria genera rerũ ad Chriſtum pertinẽtia, ab alijs Euangeliſtis prætermiſſa & à ſolo Ioanne deſcripta.

Altera

20 Altera cauſa ſcribendi Euangelium fuit Ioanni, vt confutaret errorem Cherinti & Ebionis, quem illi, occaſione ſumpta ex obitu aliorum Apoſtolorum, & abſentia Ioannis in exilio, per Eccleſias Domini diſſeminare cœperant, docentes CHRISTVM non eſſe DEVM, ſed purum hominem, neque fuiſſe ante matrem ſuam, negantes videlicet æternitatem eius atque diuinitatem. Quem errorem vt planiſſimè, pleniſſiméq; confutaret Beatus Ioannes, plurimas in hoc Euangelio multifariam illuſtres admodum ſentẽtias poſuit, quibus æternitatem CHRISTI Deitatémque declarauit. Ad oſtendendam enim CHRISTI æternitatem ſpectant illæ Ioannis ſententiæ: *In principio erat Verbum: omnia per ipſum facta ſunt: antequàm Abraham fieret, ego ſum: cùm videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs: Clarifica me Pater ea claritate quam habui priuſquàm mundus fieret, apud te.*

21 Ad demonſtrandam verò Deitatem CHRISTI pertinent illæ Ioannis ſententiæ quæ leguntur in eius Euangelio; *Et Deus erat verbum: Omnia per ipſum facta ſunt: Omnia, quæ Pater habet, mea ſunt: Quæcunque pater facit, hæc & filius ſimiliter facit: Qui videt me, videt & Patrem meum: Ego & Pater vnum ſumus.* Ex his apparet, quàntum cæteris Euangeliis præſtet Euangelium Ioannis: nam etſi omnium quatuor Euangeliorũ principalis materia CHRISTVS eſt; de eo tamen in aliis tribus Euãgeliis traduntur potiſſimùm quæ ſpectant ad eius humanitatẽ: in Ioannis autẽ Euangelio præcipuè, diſertéq; ac luculentè tractantur ea, quæ ad CHRISTI æternitatem, Deitatémque pertinent. Quapropter, auſus eſt Beda dicere, quantùm doctrina Euangelica præcedit alias doctrinas ſacras, tantùm aliis Euangeliis præſtare Euangelium Ioannis. Ob hanc item cauſam Dionyſius Areopagita in epiſtola quam ſcripſit ad Ioannem, vocauit eum Euangelij Solem: & ipſe Ioannes quod de CHRISTI diuinitate tam accuratè, copioſéq; ſcripſiſſet, à Veteribus cognominatus eſt Theologus: & comparatus eſt aquilæ, quæ omnium volucrum ſubtiliſſimè volat, & aduerſum Solem tota luce ſua ſplendentem, immota oculorum acie contuetur. S. Iob capite trigeſimo nono nonnullas aquilæ proprietates deſcripſit, quas ſcitè Rupertus in ſua Præfatione in Euangelium Ioannis, ad ipſum Ioannem applicat & accommodat.

Beda. *Dionyſius Areopagita.* *Rupertus.*

OCTAVA DISPVTATIO.

Diſcutitur mira quædam ſententia Beati Chryſoſtomi aientis, etiam Beatos Angelos multa didiciſſe ex Joannis Euangelio, quæ priùs neſciebant.

VIDETVR vltra omnem fidem eſſe, quod in ſua Præfatione, de Ioannis Euangelio dixit Chryſoſtomus: ait enim, non tantùm homines ſed etiam Beatos Angelos, nec inferiores modò, ſed etiam ſuperiores didiciſſe multa ex Ioannis Euangelio, quæ priùs ignorabant: & ad huius rei cōfirmationem affert illa Pauli verba quæ ſunt in capite tertio epiſtolæ ad Epheſios: *Vt innoteſcat* (inquit Paulus) *principatibus & poteſtatibus in cælestibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* Iuuat adſcribere hoc loco ipſa Chryſoſtomi verba: Nihil nobis humanum loquitur Ioannes, ſed à ſpiritus ſancti profundis & abditis theſauris omnia proloquitur; quæ neque Angeli, priuſquàm Ioannes diceret, nouerant. Námque & ipſi nobiſcum per Ioannis vocem & per nos didicerunt. Quod etiam Beatus Paulus, ſignificauit illis verbis: *Vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cælestibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Si igitur Principatus & poteſtates & Cherubin & Seraphin hæc per Eccleſiam didicerunt, planè conſtat, ipſos Angelos ſumma cum attentione, eius ſeſe auditores exhibere. Ex quo nos non parum honoris cōſequimur, quòd nobiſcum Angeli diſcant, quæ neſciunt: hæc Chryſoſtomus. Idem ſenſit & in commentario illius loci Pauli ſcripſit Theophylactus: vbi ad eius rei comprobationē citat hæc verba Gregorij Nyſſeni: Ante incarnationem (inquit Nyſſenus) ſimplicem notant Angeli ſapientiam DEI, nimirum quòd eſſet omnium Creator potentiſſimus, conſeruator benigniſſimus, & ſapientiſſimus gubernator: nihil tamen in his variū vel cōtrarium eſt, vt aliud quidem ſit, & aliud efficiatur. Incarnato autem Verbo DEI, per contraria, contraria ſunt tranſacta, per mortem vita; per imbecillitatem, potentia; per contumeliam, gloria; per omnia vilia & abiecta, quæ præclara & magnifica & DEO digna ſunt. 22

Chryſoſtomus.

Theophylact.

Gregorius Nyſſenus.

Hæc

Hac itaque ratione multiformis, multiſque nominibus eximia DEI ſapientia nunc cognita eſt cœleſtibus virtutibus. Quando enim nos didicimus, tunc & illæ per nos cognouerunt: & videntes, quantis bonis Eccleſia ſit à DEO donata, per ipſam etiam ad cognitionem cœleſtes virtutes ſunt perductæ. Hæc Nyſenus.

23 Sed redeo ad Chryſoſtomum: qui, nimio laudãdi Ioannis Euangelium ſtudio, videtur longè vltra veritatis terminos eſſe prouectus. Illud enim dictum eius, quòd Angeli didicerint multa ex Ioannis Euangelio, quæ priùs ignorabant, ſi præcisè ſumatur, & vt ipſa verba ſonant, falſum eſſe tribus poſſet argumentis probari: primò, quia repugnat ordinatiſſimæ Diuinæ prouidentiæ diſpoſitioni, vt, quæ ſunt & naturâ, & gratiâ, & gloriâ ſuperiora & præſtantiora, ea perficiantur ab inferioribus & ignobilioribus. Sicut enim docet Beatus Dionyſius Areopagita, in cœleſtibus Hierarchiis inferior illuminatur & perficitur à ſuperiori, non autem contra; quapropter etiam humana Hierarchia, quæ eſt infima, illuminatur & perficitur ab Hierarchia Angelica, non autem contra. Deinde, vel Angeli didicerunt ex Ioannis Euangelio ea, quæ pertinent ad CHRISTI diuinitatem, vel quæ ſpectant ad eius humanitatem: non illa, ea námque Angeli clariſſimè vident per beatificam viſionem Diuinæ eſſentiæ diuinarum perſonarum. Nec dici poteſt, Angelos cognouiſſe quæ pertinent ad humanitatem CHRISTI ex Ioannis Euangelio: principale námque myſterium CHRISTI fuit incarnatio eius, quod myſterium Dionyſius in libro de cœleſti Hierarchia argumentatur, fuiſſe præcognitum Angelis, argumento Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, quæ hoc myſterium per Gabrielem Archangelum cognouit. Ad hæc, Angeli ea quæ pertinent ad myſteria humanitatis CHRISTI, ſi priùs ignorabant, cognoſcere potuerunt ex ipſo CHRISTO poſt aſcenſionem eius in cœlum, plurimis nempe annis ante ſcriptionem Euangelij Ioannis: vel cognoſcere potuerunt ex Euangeliis aliorum trium Euangeliſtarum, qui & multò priùs quàm Ioannes ſcripſerunt Euangelium, & myſteria humanitatis CHRISTI copioſiùs tractauerunt. In illis porrò verbis Pauli, quibus ſuam Chryſoſtomus firmare vult ſententiam: *Vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia* DEI: illud *Locus Pauli ad Epheſios tertio.*

per Eccleſiam non ſignificat cauſam efficientem, quaſi Eccleſia ſiue Apoſtoli fuerint cauſa efficiens notitiam Angelorum, docens illos multiformem DEI ſapientiam: Sed illud *per Eccleſiam:* denotat obiectum, ſiue materiam circa quam mirabiliter exhibita & declarata eſt multiformis DEI ſapientia: vt ſit hic ſenſus: Multiformis ſapientia DEI cognita eſt ab Angelis per plurima & maximè admiranda, quæ DEVS operatus eſt in Eccleſia, ſiue in Apoſtolis, circa myſterium redemptionis humanæ factum per CHRISTI crucem, quæ Iudæis erat ſcandalum, gentibus verò ſtultitia; & circa vocationem gentium factam per Apoſtolos, homines videlicet piſcatores, & ignobiles, & pauperes, & humanæ ſapientiæ, atque eloquentiæ expertes.

Obſeruanda B. Thomæ doctrina. Hæc ipſa quæ diximus confirmare licet autoritate Beati Thomæ, qui locum illum Pauli ad Epheſios in ſuis commentariis explanans, hanc ipſam quæſtionem de qua nos hoc loco cum Beato Chryſoſtomo diſceptamus, Vtrum Angeli didicerint aliquid ab Apoſtolis, ſignatè, propriéque tractat, ſuámque ſuper ea quæſtione ſententiam hunc in modum declarat: *Non eſt*, inquit, *conueniens, neque eſt rationabile dicere, Beatos qui ſunt in Patria, doceri à quantumcúmque perfectis viatoribus. Nam etſi inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta; attamen qui minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo, vt Dominus dixit, & Matthæus capite vndecimo retulit. Dicere, quòd Dæmones doceantur ab hominibus, id, abſque præiudicio credi poteſt: at verò quòd Beati, qui Verbum diuinum conſpiciunt, quod eſt ſpeculum ſine macula, & in quo relucent omnia, à viatoribus doceantur, id profectò dici non debet, nec conueniens videtur. Ergo multiformis ſapientia* DEI *innotuit Angelis per Eccleſiam, id eſt, per Apoſtolos prædicantes, vt interpretatur Gloſſa; non quòd Angeli hoc didicerint ab Apoſtolis, ſed quòd in eis explicatam, & manifeſtatam* DEI *ſapientiam cognouerint. Hoc vt meliùs intelligatur, notandum eſt, eſſe quaſdam rationes myſteriorum gratiæ, totam creaturam excedentes: & huiuſmodi rationes non ſunt inditæ mentibus Angelorum, ſed in ſolo* DEO *ſunt occultæ: & ideo Angeli non cognoſcunt eas in ſe ipſis, nec in* DEO; *ſed cognoſcunt eas ſecundùm quod in effectibus explicantur. Cùm igitur rationes pertinentes ad multiformem ſapientiam* DEI *ſint huiuſmodi, ſcilicet in ſolo* DEO *abſconditæ, & poſtmodum extrinſecus in effectibus explicatæ; manifeſtum eſt, quòd Angeli* 24

geli eas nec in ſe ipſis, nec in ipſo Verbo, nec ab Apoſtolis, nec à viatoribus alijs cognouerunt: ſed in ipſis Apoſtolis explicatas; priùs in mente Diuina latentes, cognouerunt. Sicut domum quæ eſt in mente artificis, vel conceptum artificis de fabricanda domo, nullus ſcire poteſt, quandiu latet in mente artificis, niſi DEVS *qui ſolus illabitur animæ humanæ: ſed poſtquàm conceptus ille de facienda domo, iam in effectu extrinſeco explicatus eſt, fabricata iam domo; tunc aliquis de domo facta, quæ priùs latebat in mente artificis, edocetur, edocetur, inquam, non à domo, vel per domum, ſed in ipſa domo.*

Hactenus ex Beato Thoma.

CAPVT PRIMVM
EVANGELII IOANNIS.

IN principio erat VERBVM, & VERBVM VERS. 1.
erat apud DEVM, & DEVS erat VER-
BVM. * Hoc erat in principio, apud DEVM. 2
* Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo fa- 3
ctum eſt nihil, quod factum eſt. * In ipſo vita erat, & vi- 4
ta erat * lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ 5
eam non comprehenderunt. * Fuit homo miſſus à DEO, cui 6
nomen erat Ioannes. * Hic venit in teſtimonium: vt teſtimo- 7
nium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. * Non 8
erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. * Erat 9
lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum. * In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, 10
& mundus eum non cognouit. * In propria venit, & ſui eum 11
non receperunt. * Quotquot autem receperunt eum, dedit eis po- 12
teſtatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomine eius. * Qui 13
non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex vo-
luntate viri, ſed ex DEO nati ſunt. * ET VERBVM caro 14
factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, glo-
riam quaſi vnigeniti à PATRE, plenum gratiæ, & veritatis.
* Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat dicens: Hic 15
erat, quem dixi: Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt:
quia prior me erat: * & de plenitudine eius nos omnes accepimus, 16
& gratiam pro gratia. * Quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & 17

18 *veritas per* IESVM CHRISTVM *facta eſt.* * DEVM *ne-*
mo vidit vnquam: vnigenitus FILIVS, *qui eſt in ſinu* PA-
19 TRIS, *ipſe enarrauit.* Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando*
miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum,
20 *vt interrogarent eum, Tu quis es?* Et confeſſus eſt, & non ne-*
21 *gauit: & confeſſus eſt, quia non ſum ego* CHRISTVS. ** Et in-*
terrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? & dixit: Non ſum.
22 *Propheta es tu? & reſpondit Non.* Dixerunt ergo ei, Quis*
es, vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de te
23 *ipſo?* Ait; Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Do-*
mini, ſicut dixit Iſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex
24. 25 *Phariſæis.* Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei:* Quid ergo*
baptizas, ſi tu non es CHRISTVS, *neque Elias, neque Pro-*
26 *pheta?* Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua:*
27 *medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis.* Ipſe eſt, qui poſt*
me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum di-
28 *gnus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Hæc in Bethania*
29 *facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Altera*
die vidit Ioannes IESVM *venientem ad ſe, & ait: ecce Agnus*
30 DEI, *ecce qui tollit peccatum mundi.* Hic eſt, de quo dixi: Poſt*
31 *me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.* &*
ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni
32 *ego in aqua baptizans.* Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens:*
Quia vidi SPIRITVM *deſcendentem quaſi columbam de cæ-*
33 *lo, & manſit ſuper eum.* Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit*
me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris SPI-
RITVM *deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui*
34 *baptizat in* SPIRITV *Sancto.* Et ego vidi: & teſtimonium*
35 *perhibui quia hic eſt* FILIVS DEI. ** Altera die iterum ſta-*
36 *bat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo.* Et reſpiciens* IESVM
37 *ambulantem, dixit: ecce Agnus* DEI. ** Et audierunt eum*
38 *duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt* IESVM. ** Conuerſus*
autem

autem IESVS, *& videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæ-*
ritis? dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum magiſter)
*vbi habitas? * Dicit eis: venite, & videte, venerunt, & vi-* 39
derunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora au-
*tem erat quaſi decima. * Erat autem Andreas frater Simonis* 40
Petri vnus ex duobus; qui audierant à Ioanne, & ſecuti fue-
*rant eum. * Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit* 41
ei, inuenimus MESSIAM (*quod eſt, interpretatum*, CHRI-
STVS.) * *Et adduxit eum ad* IESVM. *Intuitus autem eum* 42
IESVS, *dixit: tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas,*
*(quod interpretatur, Petrus.) * In craſtinum voluit exire in* 43
Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei IESVS: *ſequere*
*me. * Erat autem Philippus à Bethſaida, ciuitate Andreæ &* 44
*Petri. * Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcri-* 45
pſit Moyſes in lege, & Prophetæ: inuenimus IESVM *filium Io-*
*ſeph à Nazareth. * Et dixit ei Nathanael, à Nazareth poteſt* 46
*aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: veni, & vide. * Vidit* 47
IESVS *Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè*
*Iſraelita, in quo dolus non eſt. * Dicit ei Nathanael: vnde me* 48
noſti? Reſpondit IESVS *& dixit ei: Priuſquàm te Philippus*
*vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te. * Reſpondit ei Nathanael,* 49
& ait: Rabbi, tu es filius DEI, *tu es Rex Iſrael. * Reſpondit* 50
IESVS, *& dixit ei, Quia dixi tibi; vidi te ſub ficu, credis;*
*maius his videbis. * Et dicit ei, Amen, amen* 51
dico vobis, videbitis cælum apertum, &
Angelos DEI *aſcendentes &*
deſcendentes, ſupra filium
hominis.

IN CAPVT PRIMVM DISPVTATIONES QVINQVAGINTA DVÆ.

PRIMA DISPVTATIO.

Quòd Ethnici quidam, inſignéſque Philoſophi principium Euangelij Ioannis cum admiratione laudantes, ſuis etiam ſcriptis inſeruerunt.

AD tria, quaſi principalia capita, redigi poſſunt ea, quæ in primo capite Euangelij Ioannis tractantur. Primò enim Ioannes agit de Verbo DEI: deinde, narrat præclara teſtimonia, quæ de CHRISTO Ioánnes Baptiſta publicè dixit: tum, de quorundam diſcipulorum acceſſu ad CHRISTVM ſcribit. De Verbo autem DEI ſex breuiſſimè docet: primò, æternitatem eius, dicens: *In principio erat Verbum*: ſecundò diuinitatem eius, *Et* DEVS *erat verbum*: tertio, eius potentiam effectricem omnium, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil:* Quartò, quòd ſit lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem hunc in mundum. Quintò, quòd in propria venerit, & quòd Verbum caro factum ſit, & habitauerit in nobis. Sextò, quis & quantus fuerit aduentus & incarnationis eius

eius fructus, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per* IESVM CHRISTVM facta eſt.

1 Multa porrò de iſtis quæ de Verbo DEI ſcripſit Ioannes, etiam Ethnici Philoſophi, præſertim verò Platonici, cum admiratione laudauerunt, & vſurpauerunt, & in ſua ſcripta tranſtulerunt. Videat Lector Euſebium Cæſarienſem in libro vndecimo de Præparatione Euangelica capite decimo, & Baſilium ſuper initiū Euangelij Ioannis, & Cyrillum Alexandrinum in libro octauo eorum librorum quos ſcripſit aduersùs Iulianum Apoſtatam, & Auguſtinum in libro ſeptimo Confeſſionum capite nono. Euſebius certè, quo dixi loco, multa profert ex Platone & nobilioribus Platonicis, Plotinum dico & Numenium, & Amelium, quæ perſimilia ſunt eorum quæ tam in Veteri teſtamento Moyſes, Dauid, & Prophetæ, quàm in nouo teſtamento Ioannes, & Paulus de Verbo DEI ſcripſerunt. Ego vnius duntaxat Amelij verba ab Euſebio commemorata, & ex principio Euangelij Ioannis ſumpta, hoc loco referenda eſſe cenſui. *Amelius quoque illuſtris inter iuniores Platonicos* (ait Euſebius) *quamuis Ioannis Euangeliſtæ nomen celauerit, barbarum ipſum, quia Iudæus fuerat, appellando; verbis tamen eiſdem ferè vtitur, ita ſcribens: Hoc profectò erat Verbum, quo ea quæ ſunt, facta ſunt, vt Heraclitus etiam dicebat. Quod etiam ille barbarus putat, in ordine principij, atque dignitate conſtitutum, apud* DEVM *eſſe, & ipſum eſſe* DEVM, *& per ipſum vniuerſa ſimpliciter eſſe producta: in quo, quæ viuunt, vitam habent: & in corpora ipſum veniſſe, & carnem indutum, hominem ita videri, vt naturæ tamen dignitas non lateat: & rurſus reſolutum in* DEVM *redire, &* DEVM *talem eſſe, qualis fuit antequàm in corpus, & in carnem atque hominem deduceretur.* Sic ille: hæc autem (inquit Euſebius) non occultè ſed apertè, & vt dici ſolet, nudo capite, ex barbari Iudæi Theologia in librum ſuum tranſpoſuit Amelius. Barbarum enim neminem alium hoc loco, niſi Saluatoris noſtri Euangeliſtam Ioannem appellauit, qui Euangelium ita exorſus eſt: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud* DEVM, & DEVS *erat Verbum, hoc erat in principio apud* DEVM. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, &c.*

Euſebius. Baſilius. Cyrillus. Auguſtinus.

Amelij Platonici Philoſophi verba ex principio Euāgelij Ioānis ſumpta.

Quid Auguſtinus legerit in Platonicorũ libris ſumptum ex principio Euangelij Ioannis.

Beatus Auguſtinus, in loco paulò ſuprà à nobis commemorato, 2
ait, ſe in quibuſdam Platonicorum libris ex Græca lingua in Latinam conuerſis legiſſe totum hoc principium Euangelij Ioannis vſque ad illa verba : *In propria venit & ſui eum non receperunt.* Quæ Ioannes itaque præmiſerat ad excellentiam Verbi DEI demonſtrandam, ea Platonici illi libenter vſurpârunt, & in libris ſuis poſuerunt : quæ verò deinde ſubiunxit de Verbi diuini aduentu in mundum, & de incarnatione eius, & de habitatione inter homines; ea illi, tanquam Verbo DEI minimè condigna, ſilentio ſuppreſſerunt. Auguſtini verba ſunt hæc : In quibuſdam Platonicorum libris ex Græca lingua in Latinam verſis legi, non quidem his ipſis verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum, & cætera quæ ſequuntur vſque ad illud : *In propria venit, & ſui eum non receperunt*, & cætera deinceps ſequentia, quæ in libris illis non legi.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

In principio erat Verbum.

Quid hoc loco ſignificet nomen *principij?*

EX multis & variis ſignificationibus huius vocis *Principium* quas & Ariſtoteles percenſuit in quinto libro 3
Metaphyſicorum, & Doctores Eccleſiaſtici tam ſuper hoc loco Ioannis, quàm ſuper illis primis verbis Moyſis in libro Geneſis : *In principio creauit* DEVS *cælum & terram:* expoſuerunt; duæ potiſſimùm videntur ad ſententiam horum verborum Ioannis pertinere. Et altera quidem ſignificatio principij ea eſt, ſecundùm quam principium ſignificat principium originis ſiue generationis; ſicut Pater dicitur principium filij, quia huius generatio & origo ab illo eſt. Et hac ſignificatione eſſe hîc poſitum à Ioanne nomen principij putârunt Cyrillus & Beda, principium

Cyrillus. Beda.

pium interpretantes DEVM Patrem, qui ſimpliciter & omnino dicitur principium, quia ipſe à nullo eſt principio, ſed eſt principium aliorum omnium; ad extra quidem, omnium creaturarum; ad intra verò, duarum perſonarũ diuinarum, Filij & Spiritus Sancti. Et hãc interpretationem etiam Origenes & Auguſtinus commemorant: ſecundùm quam iſtorum verborum hic eſt ſenſus: In DEO Patre erat Verbum. Sed iſti ſententiæ atque interpretationi valde obſtat quod mox ſubdit Ioãnes: *Et verbũ erat apud* DEVM, vbi illud (*apud* DEVM) ſine dubio DEVM Patrem ſignificat; & ita bis idem, nullo interuallo, dixiſſet Ioannes. Verùm euidentiùs iſtam refellit interpretationem quod paulò poſt adiecit Ioannes dicens: *Hoc erat in principio apud* DEVM: vbi manifeſtè illud *in principio* diſtinguitur ab illo *apud* DEVM, id eſt, Patrem. *Origenes. Auguſtinus.*

4 Altera ſignificatio nominis *principij* ea eſt, ſecundùm quam principium denotat initium durationis, qualiſcunque & quantacunque ea duratio fuerit: vt ſit hic ſenſus: Quodcunque ponatur ſiue cogitetur principium durationis, ſiue in tempore, ſiue in æuo, ſiue in æternitate, ſiue ſecundùm veritatem, ſiue ſecundùm imaginationẽ, vel animi noſtri cogitationẽ; in illo ipſo principio, qualecunq; ſtatuatur, aut fingatur, reperetur, quod iam erat Verbum: ex quo neceſſariò manifeſtéq; cõcluditur, Verbum eſſe æternum. De Mundo dixit Moyſes, quòd in principio factus eſt, quare non fuit æternus: at Ioannes de Verbo dixit, *Quod erat in principio*, eſt igitur æternũ, quia eſt ante omne principiũ. Atque hæc eſt interpretatio Baſilij, Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, Ruperti, aliorúmq;. Nomen porrò *principij* poſitũ eſſe hîc pro initio durationis, tribus ex rebus licet intelligere: primo, quia mox adiunxit Ioannes, *Hoc erat in principio apud* DEVM, vbi vox *principij* non videtur aliter, quàm pro initio durationis accipi poſſe. Deinde, Ioannes eandem hãc ſententiã ponens in principio primæ ſuæ epiſtolæ, pro eo quod hîc dixit: *In principio erat Verbum*, ibi dixit: *Quod fuit ab initio*, *& erat apud Patrem*, *& apparuit nobis*, vbi procul dubio ſignificauit initium durationis rerum. Ad hæc, ſecundùm hanc interpretationem, Ioannes primis ſui Euangelij verbis ſtatim redarguit Cherintum, qui dixit, CHRISTVM non fuiſſe ante matrem ſuam; cuius erroris confutandi causâ, præcipuè ſcriptum à Ioanne fuiſſe *Baſilius. Chryſoſt. Theophylact. Euthymius. Rupertus.* *Quos errores confutauerit Ioãnes primis verbis Euangelij ſui.*

Euangelium,ſupra docuimus. Confutauit etiam his primis verbis Ioannes (autore Chryſoſtomo) vaniſſimam, & planè fabuloſam Gentilium Theologiam, facientium atque colentium Deos natiuos, & temporarios, & alios quidem ſeniores, alios autē Iuniores: *Cap.32.* contra quod dixit Moyſes in Cantico Deuteronomij: *Non erit in te Deus recens, neque adorabis* DEVM *alienum.*

Quàm varijs modis Sacra ſcriptura declaret antiquitatē Verbi Dei.

5 Cæterùm, ſcire conuenit, ſolere diuinam ſcripturam variis modis declarare antiquitatem, & æternitatem Verbi DEI. Dauid Pſalmo ſecundo: *Ego hodie genui te:* vbi, ſecundùm plurium Doctorum interpretationem, illud *hodie* denotat æternitatem, quæ eſt quaſi vnum nunc præſens & perpetuò manens. Et in Pſalmo centeſimo nono: *Ex vtero ante luciferum genui te*, & in capite octauo libri Prouerbiorum inducitur diuina ſapientia, quæ eſt Verbum DEI, ſuam prædicans antiquitatem illis verbis, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, à principio, & ab æterno ordinata ſum &c.* Et in capite vigeſimo quarto libri Eccleſiaſtici. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum nō deſinam.* Beatus etiam Paulus in primo capite Epiſtolæ ad Coloſſenſes CHRISTVM, qui eſt verbum DEI, appellat primogenitum omnis creaturæ, & in capite ſeptimo, Epiſtolæ ad Hebræos de CHRISTO loquens, *Neque initium,* inquit, *neque finem dierum vitæ habens.* Ioannes ipſe, qui in exordio ſui Euangelij dixit: *In principio erat Verbum,* infra capite octauo inducit CHRISTVM de ſua antiquitate dicentem illud, *Antequàm Abraham fieret, Ego ſum.* Et capite decimo ſeptimo: *Clarifica me tu Pater apud temet ipſum, claritate quam habui priùs quàm mundus eſſet apud te.* *Apoc.1.* Et in libro Apocalypſis, *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.*

6 Sed quærat fortaſſe quiſpiā, cur in iſto ipſo loco Apocalypſeos CHRISTVS de ſe dicat, *Ego ſum primus, & nouiſſimus*: idémque de DEO ſcripſit Iſaias capite quadrageſimo primo: ſi enim primus eſt, quomodo verè dici poteſt eſſe nouiſſimus? Verùm iſtis verbis ſignificata eſt perfecta ratio æternitatis, quæ omni caret & principio & fine. Vel ſignificatur, quòd ipſe ſit primum principium ex quo prodierunt omnia; & quòd ſit vltimus finis, propter quem facta ſunt omnia, & ad quem omnia referuntur atque ordinantur, ſicut ipſe in Apocalypſi dixit: *Ego ſum Alpha, & Omega,*

principium & finis. Vel indicatur illis verbis, CHRISTVM eſſe filium vnigenitum DEI Patris, vtpote ante quem, & poſt quem, nullum DEVS Pater alium genuerit filium.

TERTIA DISPVTATIO.

Cur B. Ioannes de verbo dixit quod, Erat in principio, *& non potius, quod,* fuit à principio?

7 SICVT Plato dixit in Timæo, iſta, (*erat, fuit, eſt, erit*) huius noſtri volubilis & perpetuò mutabilis temporis ſunt differentiæ: ob idque nequaquam propriè competunt in perfectiſſimam DEI æternitatem, quæ totum eſſe ſuum habet ſimul, omnis ſucceſſionis, & qualiſcunque variationis prorſus expers. Iſta itaque non propriè quidem, ſed frequenter tamen, & in vulgari ſermone & in Sacris litteris attribuuntur DEO, idque dupliciter. Primò, quò clariùs mortalibus notificetur DEI æternitas; quæ cùm ipſa, vt in ſe eſt, à nobis capi non poſſit, aliquo modo intelligitur ex comparatione eius cum differentiis noſtri temporis; quibus omnibus illa coëxiſtit. Nam quia æternitas DEI coëxiſtit omni præterito tēpori, dicitur, *fuiſſe:* quia coëxiſtit præſenti tēpori, dicitur, *quod eſt:* quia coëxiſtit futuro tempori, dicitur, *quod erit.* Deinde, cùm de DEO dicitur, *quod fuit,* ſignificatur, quòd in nullo tempore præterito defuit: cùm dicitur, *quod eſt*; ſignificatur, quòd ſemper manet, nec vt cætera, deficit, labiturque ad non eſſe: Cùm dicitur, *quod erit*, ſignificatur, quod numquam deerit, nec tamen in ſe nouum quidquam accipiet. *Cur æternitati Dei attribuantur differentiæ temporis.*

8 Atque hæc, quæ nos breuiter diximus, diſertè, luculentèque Beatus Auguſtinus explicauit in tractatu nonageſimo nono in Euangelium Ioannis, ſuper illis verbis capitis decimi ſexti, quæ Dominus de Spiritu Sancto dixit, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet; non enim à ſemet ipſo loquetur, ſed quæcunque audiet, loquetur:* vbi Auguſtinus diſquirēs quomodo dicatur de Spiritu Sancto, qui eſt verus DEVS, *Quæcunque audiet*; quaſi verò locuturus eſſet quæ tunc non audiſſet vel ſciret, ſed poſtea auditurus & ſciturus eſſet; *Quomodo differentiæ temporis æterno Deo attribuantur, præclara B. Auguſtini doctrina.*

B hanc,

eſt æternum, ſicut eſt DEVS Pater. Verùm, iſta eorum argumentatio multis modis confutari poteſt. Primò, Solis ſplendor & radius à Sole procedunt, & nihilominus ſimul ſunt cum Sole, nec fuit vnquam Sol ſine ſplendore ac radio. Deinde, ſimulatque intuetur quiſpiam ſpeculum, reſultat eius imago in ipſo ſpeculo: filius autem DEI vocatur à Paulo in primo capite Epiſtolæ ad Hebræos, *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris*; & in capite ſeptimo libri ſapientiæ appellatur ſpeculum ſine macula diuinæ claritatis, ſic enim ibi eſt: *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula* DEI *maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Deinde, DEVS Pater produxit Verbum non voluntate, ſed naturâ: alia omnia, quæ extra ipſum ſunt, fecit DEVS libera voluntate ſua, ita vt & non facere potuerit quæ fecit; & aliter facere potuerit quàm fecit: Verbum autem ſuum genuit naturali quadam neceſſitate, neceſſitatem dico eam, quæ excludit libertatem voluntatis ad producendum, & non producendum. Cùm autem aliquid procedit ex neceſſitate naturæ à ſuo principio, ſtatim vt poſitum eſt principium, niſi quid impediat, procedit ab illo. Quoniam igitur DEVS æternus eſt, ab illo Verbum ab æterno procedit. Ad hæc, DEVS produxit Verbum per ſui, aliarúmque rerum omnium perfectiſſimam intellectionem; hæc autem intellectio, vnica, & ſimpliciſſima, & tota ſimul, & ſempiterna eſt, cùm ſit re ipſa idem cum ſubſtantia DEI: Verbum igitur per eam productum, erit coæternum DEO producenti. Quid plura? DEVS Pater genuit Verbum & filium ſuum ſibi conſubſtantialem; accepit igitur Verbum eandem ſubſtantiam diuinam, quam Pater habet, ſimulque omnes perfectiones DEI, cùm ſint re ipſa idem cum ſubſtantia DEI, inter has verò eſt eſſe æternum; ergo Verbum DEI coæternum eſt Patri; nam ſi non eſſet coæternum Patri, nec eſſet ei conſubſtantiale. Verùm de Verbi æternitate diſſerendi, dabitur aliàs ſæpius in explanatione huius Euangelij, locus. Pergamus igitur ad alia.

QVAR

QVARTA DISPVTATIO.

Super decem varijs ſignificationibus illius vocis, VERBVM.

12 VOX. Latina [*Verbum,*] quæ dicitur Hebraicè, *Dauàr,* Græcè verò, λόγος, varias admodum habet ſignificationes, tam à Philoſophis, quàm à Theologis, & à Patribus explicatas: ſuper quibus legendus eſt Dionyſius Areopagita in libro de Diuinis Nominibus in capite ſeptimo vltimæ partis; & Tertullianus in libro quem ſcripſit aduersùs Praxeam, Lactantius libro quarto capite nono, Nazianzenus in libro quarto Theologiæ, Hieronymus in epiſtola ad Paulinum, Damaſcenus libro primo de fide Orthodoxa capite decimo octauo, Auguſtinus in libro octoginta trium Quæſtionum, quæſtione ſexageſima tertia, ac demum Origenes, Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & complures alij hoc loco.

13 In Sacra itaque ſcriptura decem huius nominis *Verbum* ſignificationes vſurpatas licet reperire. PRIMA, ſignificatio notiſſima, & vulgatiſſima eſt pro verbo, quod ore profertur. SECVNDA, pro iuſſu, & imperio, vt in Pſalmo centeſimo ſecundo, de Angelis dicitur: *Potentes virtute ad faciendum verbum eius*, & Pſalmo trigeſimo ſecundo, *Verbo Domini cœli firmati ſunt:* & illud quod dixit Petrus Domino: *In verbo tuo laxabo rete*, eodem ſpectat. TERTIA, pro pacto, & promiſſo, vt in Pſalmo centeſimo quarto: *Et verbi, quod mandauit in mille generationes*; & Pſalmo centeſimo decimo octauo, *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti*, & in Pſalmo centeſimo quadrageſimo quarto: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* QVARTA, pro inſpiratione & reuelatione prophetica, quò pertinet illud Lucæ capite tertio: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium,* qui modus loquẽdi frequens eſt in Prophetis. QVINTA, pro facto, & opere ipſo, vt ſecundo Regum capite duodecimo: *Propter hoc verbum, quod feciſti, non recedet gladius de domo tua:* nomine verbi ſignificatur adulterium & homicidium à Dauide factum; & in tertio Regum capite decimo ſexto: *Non declinauit Dauid à vijs Domini, excepto ſermone Vriæ,* id eſt,

præter id quod fecit aduerſus Vriã. SEXTA, pro verbo mẽtis, ſiue cordis: huc pertinet illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo*: & illud, *Eructauit cor meum verbum bonum*; & illud quod frequens eſt in Sacris litteris: *Dixit intra ſe, locutus eſt in corde ſuo.* SEPTIMA, pro Verbo DEI, qui eſt verus & naturalis Filius DEI: hac ſignificatione & hoc loco poſitum eſt à Ioanne, & alibi ſæpius in hoc Euangelio, & in prima eius epiſtola. OCTAVA, pro definitione, quæ declarat perfectè quid res ſit: hac enim ſignificatione vſurpauit Ariſtoteles Græcam vocem, λόγος; Et hæc ſignificatio verbi bellè accommodatur ad Filium DEI, quippe qui eſt imago Patris, perfectè ipſum declarãs, quapropter ipſe dixit: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Scitum eſt illud Nazianzeni dictum: *Breuis*, inquit, *& compendiaria natura Patris definitio, eſt Filius: omnis enim proles, ſui parentis tacita quædam eſt definitio.* NONA, pro forma, quam Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum appellauit λόγον; & Auguſtinus in ſermone trigeſimo octauo de Verbis Domini, explanans principium huius Euangelij, *Verbum*, inquit, DEI *eſt forma, non formata, ſed formans omnia formata: forma incommutabilis; forma ſine lapſu, ſine defectu, ſine loco, ſine tempore; ſuperans omnia, exiſtens in omnibus; fundamentum, in quo ſuſtentantur omnia, faſtigium ſub quo continentur omnia*: Sic Auguſtinus. Beatus Thomas in prima parte, Quæſtione tertia, Articulo octauo, in Reſponſione ad ſecundum, Verbum DEI dici formam ab Auguſtino, interpretatur formam, non partialem, ſed exemplarem. DECIMA, pro cauſa cuiúſque rei; à qua res habet ſuum eſſe. Et quia per Filium DEI, tanquam per ſummam rationem, & artem, & ſapientiam, exemplarémque cauſam, omnia ſunt facta; hac etiam ratione Filius DEI appellatur λόγος, & Verbum. Atque has quidem decem vocis Græcæ λόγος, & Latinæ Verbum ſignificationes, atque vſurpationes obſeruare licet partim in Sacris libris; partim apud laudatos & nobiles Autores. Harum porrò decem ſignificationum, quæ maximè congruit huic loco, eſt ſexta, ſecundùm quam verbum ſumitur pro verbo mentis; quod Auguſtinus in libris de Trinitate ſæpe appellat verbum cordis, mentis conceptam notitiam, formatam cogitationem, prolem mentis, ſobolem memoriæ fœcundæ. Anſelmus in ſuo Monologio capite quadrageſimo tertio ita deſcribit verbum mentis:

Nazianzenus. S. Auguſt. S. Thomas. S. Auguſt. Anſelmus.

Mentis,

Mentis, inquit, verbum eſt cognitio rei, ad eius ſimilitudinem, in memoria formata.

QVINTA DISPVTATIO.

Verbum D E I *ſic eſſe appellatum, ad ſimilitudinem humani verbi mentalis, potiùs quàm vocalis: & quibus rebus humanum verbum mentale ſimile ſit Verbi diuini, quibúſque rebus ſit eius diſſimile.*

14 CV M præcipua huius vocis *Verbum* ſignificatio & vſurpatio apud Theologos & Philoſophos duplex ſit; Altera quidem pro verbo mentali (liceat mihi hoc loco his verbis vti, quibus vtuntur ſcholaſtici Theologi & Philoſophi.) Altera verò pro vocali: quærere dignum eſt in præſentia, an Verbum D E I ſic appellatum fuerit, ſecundùm ſimilitudinem humani verbi mentalis, an vocalis? Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hoc loco, & ante iſtos omnes Tertullianus in libro aduerſus Praxeam, putant, ſic dictum eſſe Verbum D E I, ad ſimilitudinem verbi humani vocalis. Sicut enim verbum humanum vocale arcana & occulta ſenſa noſtri animi foràs effert, & aliis manifeſtat; ita filius D E I in mundum veniens, & nomen, & conſilium, & voluntatem D E I manifeſtauit hominibus: vnde ipſe dixit, ***Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus.*** Et alio loco: ***Omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.***

Baſilius. Chryſoſt. Theophylact. Euthymius. Tertullianus.

15 At enim, veriſimilius ſit, Verbum D E I ſic eſſe appellatum, ſecundùm ſimilitudinem humani verbi mentalis, potiùs quàm vocalis. Etenim B. Ioannes dixit: ***In principio erat Verbum***; id autem eſt, ab æterno erat Verbum: Filius autem D E I nec carnem humanam ſumpſit ab æterno, nec ab æterno nomen Patris ſui manifeſtauit hominibus: non igitur propter eam, quam iſti Doctores dixerunt, ſimilitudinem verbi vocalis, appellatum eſt Verbum D E I. Deinde, verbum vocale non manet in dicente ipſum, ſed exiens foras

ras extra ipſum eſt; Verbum autem mentale eſt in dicente ipſum: de Verbo autem DEI Ioannes dixit, *Verbum erat apud* DEVM. Gentiles etiam Philoſophi nonnullam diuini Verbi cognitionem habuerunt, vt ſupra oſtendimus; nec ad eam tamen notitiam peruenerunt ex ſimilitudine verbi vocalis, ſed ex ſimilitudine verbi

S. Auguſt. mentalis. Huc ſanè ſpectat illud quod Auguſtinus ſcripſit in libro decimo quinto de Trinitate capite decimo: Quiſquis, inquit, poteſt intelligere verbum, priuſquàm per os ſonet; immò etiam priuſquàm ſonorum eius imagines cogitatione voluantur: is iam poteſt videre per hoc ſpeculum, atque in hoc ænigmate, aliquam diuini Verbi ſimilitudinem, de quo dixit Ioannes, *In principio erat Verbum.*

Octuplex ſimilitudo inter humanum verbum mentale, & Verbũ diuinum.

Sed breuiter indicemus, quæ ſit inter Verbum diuinum, & verbum humanum mentale ſimilitudo, & item quæ ſit diſſimilitudo. 16 Sanè, quemadmodum ſe habet verbum mentale ad ipſam mentem ſeu intellectum, ita ſe habet Verbum diuinum ad DEVM Patrem. Primò enim, verbum mentale producitur ab ipſo intellectu. Secundò eſt in ipſo intellectu à quo producitur, ab eo indiuiſum. Tertiò, producitur ſine paſſione, & alteratione, vel motu. Quartò, eſt imago rei intellectæ. Quintò, mens per verbum intelligibile loquitur ſecum. Sextò, per mentale verbum artificiale, artifex facit extra ſe opus artificioſum. Septimò, non poteſt eſſe intellectus in actu, & perfectus ſine verbo mentali; & contrà, verbum mentale non eſt niſi in intellectu in actu, & perfecto. Octauò, verbum mentale foràs emiſſum, & induens ſonum, fit ſenſibile, & manifeſtatiuum mentis apud homines.

Atque hæc quidem ſunt, quibus verbum mentale ſimilitudinem aliquam gerit diuini verbi; ſiquidem octo illa, quæ diximus 17 eſſe in verbo mentali, ea omnia perfectiſſimè licet in Verbo diuino cernere. Sed, quia humanum verbum mentale, ſi comparetur cum Verbo diuino, eſt imperfectiſſimum; idcirco multis etiam rebus eſt illius perquàm diſſimile. Sicut igitur paulò ante oſtendi,

Mentale verbum hominis eſſe octo rebus diſſimile Verbi diuini.

mentale verbum hominis eſſe octo rebus ſimile Verbi diuini: ita nunc curſim oſtendam, humanum hoc verbum octo etiam rebus eſſe diuini Verbi diſſimile. PRIMO, mentale verbum hominis eſt quidpiam accidentale, nec eſt per ſe ſubſiſtens: Verbum autem diuinum

diuinum eſt ſubſtantiale, per ſe ſubſiſtens, & eſt perſona diuina. SECVNDO, verbum hoc humanum eſt quid nouum & temporarium, principium durationis habens, & finem: diuinum autem Verbum eſt æternum. TERTIO, humanum hoc verbum non poteſt eſſe ipſum quidem ſine intellectu à quo producitur; at intellectus ſine ipſo eſſe poteſt, non enim humanus intellectus ſemper eſt actu intelligens: Verbum autem diuinum ſicut non poteſt eſſe ſine DEO à quo producitur, ita nec ipſe DEVS poteſt eſſe ſine Verbo ſuo. QVARTO, humanum hoc verbum, intellectu à quo producitur, poſterius eſt, non ſolùm ordine naturæ, ſed etiam temporis: diuinum autem Verbum omnino coæternum eſt DEO ipſum producenti. QVINTO, humanum verbum per ſe inſufficiens atque inefficax eſt ad operandum, faciendúmque aliquid extra ipſum hominem: diuinum autem Verbum potentiſſimum & efficaciſſimum eſt ad operandum, vtpote per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. SEXTO, humanum verbum diuerſæ naturæ eſt ab intellectu, à quo producitur: Diuinum Verbum eiuſdem naturæ eſt, & cõſubſtantiale DEO ipſum generanti. SEPTIMO, humanum hoc verbum eſt multiplex, ac multiforme: diuinum autem Verbum vnicum omnino eſt. OCTAVO, mentale verbum hominis nec ſemper, nec per ſe eſt imago intellectus à quo producitur: Verbum autem diuinum per ſe, & ex propria generationis ſuæ ratione, eſt imago & figura ſubſtantiæ DEI ipſum generantis.

SEXTA DISPVTATIO.

An nomen iſtud VERBI DEI *notum fuerit hominibus ante* CHRISTI *Domini noſtri aduentum?*

18 NOMEN VERBI DEI ante CHRISTI Domini aduentum non modò fuit notum hominibus, ſed etiam pluribus in locis veteris diuinæ ſcripturæ celebratum eſt. In capite primo libri Eccleſiaſtici ſic eſt: *fons ſapientiæ*, VERBVM DEI *in excelſis:* & in eiuſdem libri capite vigeſimo quarto ſapientiæ diuinæ (quæ

Quibus in locis Sacræ ſcripturæ veteris poſitum, & celebratum ſit nomen Verbi Dei.

eſt VERBVM DEI) de ſe ipſa loquens: *Ego*, inquit, *ex ore Altiſſimi prodiui*: quæ eſt periphraſis quædam VERBI DEI. In trigeſimo capite libri prouerbiorum ſic eſt: *Quod eſt nomen eius, & nomen filij eius, ſi noſti?* quibus verbis procul dubio inſinuare voluit nomen hoc VERBI DEI, ſicut nos B. Ioannes docuit, in capite decimo nono libri Apocalypſis, hæc ſcribens de Filio DEI: *Et habebat nomen ſcriptum quod nemo nouit niſi ipſe, & vocabatur* VERBVM DEI.

Chaldaica paraphraſis.

19 In multis præterea Sacræ ſcripturæ locis, in quibus eſt nomen DEI, vel Domini, pro eo Chaldaica paraphraſis habet nomen VERBI DEI: exempli gratiâ, in capite ſexto libri Exod. legitur: *Et nomen meum* ADONAI *non indicaui eis*, pro quo Chaldaicè eſt, *Et nomen* VERBI MEI *non indicaui eis*. Et in capite quinto Deuteronomij ſcriptum eſt: *Ego mediator ſteti inter vos &* DEVM, pro quo Chaldaicè legitur: *Mediator ſteti inter vos &* VERBVM DEI. Patres etiam ad id probandum adferunt quædam alia ſcripturæ loca, vt eſt illud ex Pſalmo trigeſimo ſecundo: *Verbo Domini cœli firmati ſunt*. & ex Pſalmo quadrageſimo quarto: *Eructauit cor meum Verbum bonum.* & ex Pſalmo centeſimo ſexto; *Miſit Verbum ſuum & ſanauit eos*: & ex capite quadrageſimo Iſaiæ, *Verbum Domini manet in æternum*: & ex capite decimo octauo libri ſapientiæ: *Omnipotens ſermo tuus Domine è regalibus ſedibus venit.*

An Verbum Dei cognitum fuerit Ethnicis hominibus.
Lactantius.
Euſebius.
Cyrillus.
Theodoretus.
Orpheus.
Trimegiſtus.
Heraclitus.
Plato.
Stoici.
Plotinus.
Porphyrius.
Numenius.
Amelius.
Duo errores Gentilium circa Verbum Dei.
Stoici.

20 Nec tantùm in Sacris litteris, verùm etiam in profanis, & ab Ethnicis Philoſophis & Poëtis VERBVM DEI cognitum, maximiſque celebratum eſt laudibus. Lactantius in libro quarto capite octauo & nono; Euſebius libro ſeptimo de præparatione Euangelica capite quinto, & libro vndecimo capite decimo, Cyrillus contra Iulianum libro primo & octauo, Theodoretus in libris de curatione Græcarum Affectionum clariſſima de Verbo DEI referunt teſtimonia, & præconia, Orphei, Trimegiſti, Heracliti, Platonis, Stoicorum, Plotini, Porphyrij, Numenij, & Amelij; qui ampliſſimis verbis & laudibus τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ prædicauerunt. Quanquam iſti erroris vacuam & expertem cognitionem Verbi DEI nequaquam habuerunt; ſed in alterutro duorum errorum verſati ſunt. Stoici etenim VERBVM DEI putauerunt idem eſſe atque ipſam DEI rationem, & ſapientiam DEO ſubſtantialem,

ſtantialem, atque eius perfectionem; non autem eſſe perſonam quampiam diuinam. Contrà verò Platonici tres DEOS inter ſe ſecundùm naturam diſtinctos poſuerũt; primum ,· vocabant DEVM Patrem, ſiue ipſum bonum: alterum, appellabant DEVM Verbum, ſiue mentem, ſiue Ideam: tertium DEVM nominabant animam Mundi: & hos tres DEOS ſecundùm naturam diſtinctos, & ſecundùm perfectionem diſpares faciebant; ita vt primus eſſet maior ſecundo, & ſecundus tertio. Atque ex hoc fonte virulentam & peſtiferam doctrinam ſuam Arrius hauſit, Filium DEI nec conſubſtantialem, neque coæternum, atque æqualem DEO Patri faciens. *Platonici.*

SEPTIMA DISPVTATIO.

Cur Latinus interpres Græcam vocem (λόγος) Latinè reddiderit Verbum *potiùs, quàm vel* ſermonem, *vel* rationem.

21 CVM Græca vox λόγος, qua vſus hoc loco eſt B. Ioannes, Latinè conuerti poſſit vel in *Verbum*, vel in *ſermonem*, vel in *rationem*; quæritur, an cùm ea vox ponitur pro Filio DEI, poſſit Latinè reddi vel *ſermo*, vel *ratio*; & an fuerit hoc loco aptiùs & congruentiùs, eam vocem conuertere in *rationem*, vel *ſermonem*, quàm in Verbum? Negari non poteſt, quin plures veterum Doctorum Filium DEI appellauerint ſermonem: ea quippe voce vſi ſunt & Tertullianus in libro aduersùs Praxeam, & Cyprianus libro ſecundo contra Iudæos capite quinto, Hilarius libro ſecundo de Trinitate, Hieronymus in primum caput Epiſtolæ ad Epheſios, Ambroſius libro primo de fide contra Arrianos capite ſecundo, Lactantius libro quarto capite octauo & nono. Quinetiam Auguſtinus in centeſimo octauo tractatu in Euangelium Ioannis ait, in quibuſdam libris legi hoc loco: *In principio erat ſermo.* Denique ipſa quoque Sancta Eccleſia in Miſſa de Natiuitate Domini, verba illa quæ ſunt in capite decimo octauo libri ſapientiæ: *Omnipotens ſermo tuus Domine, è regalibus ſedibus venit*, ad CHRISTVM Dominum applicat, eadémque verba de Filio DEI antiqui Patres vſurpârunt. *Tertullianus. Cyprianus. Hilarius. Hieronymus. Ambroſius. Lactantius. Auguſtinus.*

hanc, inquam, explicans Auguſtinus quæſtionem, ita ſcribit: Nec quemquam moueat, quòd non dictum eſt, Quæcunque audiuit, aut quæcunque audit; ſed *Quæcunque audiet, loquetur*. Illa quippe Spiritus Sancti audientia, ſempiterna eſt, quia ſempiterna eſt eius ſcientia. In eo autem quod ſempiternum eſt, cuiuſlibet temporis verbum ponatur, ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa immutabilis non recipiat (*fuit*, & *erit*) ſed tantùm (*eſt*.) ſiquidem ipſa veraciter eſt, quia mutari non poteſt, & ideo illi tantùm conuenit dicere, *Ego ſum qui ſum*: attamen, propter mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mutabilitas, non mẽdaciter dicimus de DEO, quod fuit, & eſt, & erit. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; eſt, quia ſemper eſt. Neque enim, velut qui iam non ſit, cum præteritis occidit; aut cum præſentibus, velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde, cùm ſecundùm volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deeſſe potuit, aut poteſt, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cuiuſlibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus Sanctus; quia ſemper ſcit. Ergo & ſciuit, & ſcit, & ſciet; ac per hoc, & audiuit, & audit, & audiet, quia hoc eſt illi audire, quod ſcire; & hoc eſt illi ſcire, quod eſt illi eſſe. Ab illo igitur audiuit, & audit, & audiet, à quo eſt; ab illo autem eſt, à quo procedit. Sic eo loco Auguſtinus.

Exod. tertio.

Dixit porrò Ioannes *erat*, potiùs quàm (*fuit*,) vel (*eſt*) vel (*erit*) 9 quò euidentiùs abſolutam Verbi DEI æternitatem declararet. Cùm enim de aliquo dicitur, (*fuit*) neſcitur, an illud etiam nunc ſit, vel iam deſierit. De quo dicitur, (*eſt*) neſcitur, an id ante fuerit, & poſtea futurum ſit. De quo dicitur (*erit*) neſcitur, an id nunc ſit, & an fuerit antea. At illud (*erat*) ſignificat indefinitam quandam durationem, id autem eſt, præteritum cum perſeuerantia in ipſo eſſe. Nec eſt hic ſilentio inuoluendum quod à Beda, & Baſilio adnotatum eſt, B. Ioannem in hac prima periodo ſui Euangelij quater poſuiſſe verbum (*erat*,) vt manifeſtè oſtenderet æternitatem Verbi DEI, & ſtatim ab initio validè confutaret errorem Cherinti aientis, CHRISTVS *non erat ante matrem ſuam*: & duobus poſt Cherinthum ſæculis, Arrius dixit: (Erat, quando non erat Verbum.)

Verbum.) Ioannes contrà : *In principio*, inquit, *erat Verbum*, quo indicauit, ne cogitatione quidem animi poſſe fingi, quando Verbum non erat, vel quando non fuerit. Poſſet etiam dici, quater eſſe poſitum verbum (*erat*,) vt intelligeretur, Verbum fuiſſe ante principium omnis durationis: eſt autem quadruplex duratio; vna, æui, quod eſt menſura durationis rerum incorruptibilium: altera eſt temporis continui, quale eſt tempus noſtrum: tertia eſt temporis, (vt in ſcholis Theologorum vocatur) diſcreti, quod eſt menſura operationum Angelorum: quarta eſt temporis imaginarij & commentitij. In quocunque igitur principio iſtarum quatuor durationum Verbum iam erat.

Cur in hac prima periodo quater poſitum ſit verbum Erat.

10 Sciat autem lector, licèt Ioannes hoc loco antiquitatem Verbi DEI declarauerit per verbum (*erat*;) alibi tamen eandem declaràſſe per verba præteriti, & præſentis temporis. Nam in principio primæ ſuæ Epiſtolæ loquens de Verbo DEI, dixit: *Quod fuit ab initio &c.* & apud ipſum in capite decimo ſeptimo Euangelij Dominus ſuam oſtendens antiquitatem, dixit: *Clarifica me tu pater apud temet ipſum claritate quam habui, priùs quàm mundus fieret, apud te.* Dixit *habui*, cùm etiam dicere potuiſſet (*habebam*.) Et in octauo capite eiuſdem Euangelij Dominus ad idem oſtendendum vſus eſt verbo præſentis temporis dicens, *Ante quàm Abraham fieret, ego ſum*: cùm etiam potuiſſet dicere (*Ego eram*) vel (*Ego fui*). In capite vigeſimo quarto libri Eccleſiaſtici diuina ſapientia de ſe dixit: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* In libro autem prouerbiorum capite octauó prædicãdo ſuam antiquitatem, primò vtitur verbis præteriti temporis dicens: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum: ab æterno ordinata ſum &c.* Deinde verò vtitur verbis præteriti imperfecti temporis dicens: *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: ante omnes colles ego parturiebar: quando præparabat cælos, aderam: cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies &c.*

11 Ex ſupradictis igitur primis huius Euangelij verbis manifeſta CHRISTI Domini æternitas facta eſt. Sed Arriani Verbum DEI non eſſe æternum, ſic argumentabantur: Verbum DEI eſt productum à DEO; ſed producens prius eſt eo quod ab ipſo producitur: ergo Verbum DEI poſterius eſt DEO Patre, non igitur

In Arrianos.

eſt æternum, ſicut eſt DEVS Pater. Verùm, iſta eorum argumentatio multis modis confutari poteſt. Primò, Solis ſplendor & radius à Sole procedunt, & nihilominus ſimul ſunt cum Sole, nec fuit vnquam Sol ſine ſplendore ac radio. Deinde, ſimulatque intuetur quiſpiam ſpeculum, reſultat eius imago in ipſo ſpeculo: filius autem DEI vocatur à Paulo in primo capite Epiſtolæ ad Hebræos, *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris*; & in capite ſeptimo libri ſapientiæ appellatur ſpeculum ſine macula diuinæ claritatis, ſic enim ibi eſt: *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula* DEI *maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Deinde, DEVS Pater produxit Verbum non voluntate, ſed naturâ: alia omnia, quæ extra ipſum ſunt, fecit DEVS libera voluntate ſua, ita vt & non facere potuerit quæ fecit; & aliter facere potuerit quàm fecit: Verbum autem ſuum genuit naturali quadam neceſſitate, neceſſitatem dico eam, quæ excludit libertatem voluntatis ad producendum, & non producendum. Cùm autem aliquid procedit ex neceſſitate naturæ à ſuo principio, ſtatim vt poſitum eſt principium, niſi quid impediat, procedit ab illo. Quoniam igitur DEVS æternus eſt, ab illo Verbum ab æterno procedit. Ad hæc, DEVS produxit Verbum per ſui, aliarúmque rerum omnium perfectiſſimam intellectionem; hæc autem intellectio, vnica, & ſimpliciſſima, & tota ſimul, & ſempiterna eſt, cùm ſit re ipſa idem cum ſubſtantia DEI: Verbum igitur per eam productum, erit coæternum DEO producenti. Quid plura? DEVS Pater genuit Verbum & filium ſuum ſibi conſubſtantialem; accepit igitur Verbum eandem ſubſtantiam diuinam, quam Pater habet, ſimulque omnes perfectiones DEI, cùm ſint re ipſa idem cum ſubſtantia DEI, inter has verò eſt eſſe æternum; ergo Verbum DEI coæternum eſt Patri; nam ſi non eſſet coæternum Patri, nec eſſet ei conſubſtantiale. Verùm de Verbi æternitate diſſerendi, dabitur aliàs ſæpius in explanatione huius Euangelij, locus. Pergamus igitur ad alia.

QVAR

QVARTA DISPVTATIO.

Super decem varijs ſignificationibus illius vocis, VERBVM.

12 VOX. Latina [*Verbum,*] quæ dicitur Hebraicè, *Dauàr,* Græcè verò, *λόγος*, varias admodum habet ſignificationes, tam à Philoſophis, quàm à Theologis, & à Patribus explicatas: ſuper quibus legendus eſt Dionyſius Areopagita in libro de Diuinis Nominibus in capite ſeprimo vltimæ partis; & Tertullianus in libro quem ſcripſit aduersùs Praxeam, Lactantius libro quarto capite nono, Nazianzenus in libro quarto Theologiæ, Hieronymus in epiſtola ad Paulinum, Damaſcenus libro primo de fide Orthodoxa capite decimo octauo, Auguſtinus in libro octoginta trium Quæſtionum, quæſtione ſexageſima tertia, ac demum Origenes, Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & complures alij hoc loco.

13 In Sacra itaque ſcriptura decem huius nominis *Verbum* ſignificationes vſurpatas licet reperire. PRIMA, ſignificatio notiſſima, & vulgatiſſima eſt pro verbo, quod ore profertur. SECVNDA, pro iuſſu, & imperio, vt in Pſalmo centeſimo ſecundo, de Angelis dicitur: *Potentes virtute ad faciendum verbum eius*, & Pſalmo trigeſimo ſecundo, *Verbo Domini cæli firmati ſunt:* & illud quod dixit Petrus Domino: *In verbo tuo laxabo rete*, eodem ſpectat. TERTIA, pro pacto, & promiſſo, vt in Pſalmo centeſimo quarto: *Et verbi, quod mandauit in mille generationes*; & Pſalmo centeſimo decimo octauo, *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti*, & in Pſalmo centeſimo quadrageſimo quarto: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* QVARTA, pro inſpiratione & reuelatione prophetica, quò pertinet illud Lucæ capite tertio: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium*, qui modus loquēdi frequens eſt in Prophetis. QVINTA, pro facto, & opere ipſo, vt ſecundo Regum capite duodecimo: *Propter hoc verbum, quod feciſti, non recedet gladius de domo tua:* nomine verbi ſignificatur adulterium & homicidium à Dauide factum; & in tertio Regum capite decimo ſexto: *Non declinauit Dauid à vijs Domini, excepto ſermone Vriæ*, id eſt,

præter id quod fecit aduerſus Vriã. SEXTA, pro verbo mẽtis,ſiue cordis: huc pertinet illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo:* & illud, *Eructauit cor meum verbum bonum*; & illud quod frequens eſt in Sacris litteris: *Dixit intra ſe, locutus eſt in corde ſuo.* SEPTIMA, pro Verbo DEI, qui eſt verus & naturalis Filius DEI: hac ſignificatione & hoc loco poſitum eſt à Ioanne,& alibi ſæpius in hoc Euangelio,& in prima eius epiſtola. OCTAVA, pro definitione, quæ declarat perfectè quid res ſit: hac enim ſignificatione vſurpauit Ariſtoteles Græcam vocem, λόγος; Et hæc ſignificatio verbi bellè accommodatur ad Filium DEI, quippe qui eſt imago Patris, perfectè ipſum declarãs,quapropter ipſe dixit: *Qui videt me,videt & Patrem meum.* Scitum eſt illud Nazianzeni dictum: *Breuis*,inquit, *& compendiaria naturæ Patris definitio,eſt Filius: omnis enim proles,ſui parentis tacita quædam eſt definitio.* NONA, pro forma,quam Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum appellauit λόγον; & Auguſtinus in ſermone trigeſimo octauo de Verbis Domini,explanans principium huius Euangelii, *Verbum*, inquit, DEI *eſt forma, non formata, ſed formans omnia formata: forma incommutabilis; forma ſine lapſu, ſine defectu, ſine loco, ſine tempore; ſuperans omnia, exiſtens in omnibus; fundamentum, in quo ſuſtentantur omnia, faſtigium ſub quo continentur omnia:* Sic Auguſtinus. Beatus Thomas in prima parte,Quæſtione tertia,Articulo octauo,in Reſponſione ad ſecundum, Verbum DEI dici formam ab Auguſtino,interpretatur formam, non partialem,ſed exemplarem. DECIMA, pro cauſa cuiuſque rei; à qua res habet ſuum eſſe. Et quia per Filium DEI, tanquam per ſummam rationem, & artem, & ſapientiam, exemplaremque cauſam, omnia ſunt facta; hac etiam ratione Filius DEI appellatur λόγος, & Verbum. Atque has quidem decem vocis Græcæ λόγος, & Latinæ Verbum ſignificationes, atque vſurpationes obſeruare licet partim in Sacris libris; partim apud laudatos & nobiles Autores. Harum porrò decem ſignificationum,quæ maximè congruit huic loco,eſt ſexta, ſecundùm quam verbum ſumitur pro verbo mentis; quod Auguſtinus in libris de Trinitate ſæpe appellat verbum cordis,mentis conceptam notitiam,formatam cogitationem, prolem mentis,ſobolem memoriæ fœcundæ. Anſelmus in ſuo Monologio capite quadrageſimo tertio ita deſcribit verbum mentis: Mentis,

Nazianzenus.

S. Auguſt.

S. Thomas.

S. Auguſt.

Anſelmus.

Mentis, inquit, verbum eſt cognitio rei, ad eius ſimilitudinem, in memoria formata.

QVINTA DISPVTATIO.

Verbum DEI *ſic eſſe appellatum, ad ſimilitudinem humani verbi mentalis, potiùs quàm vocalis: & quibus rebus humanum verbum mentale ſimile ſit Verbi diuini, quibúſque rebus ſit eius diſſimile.*

14 CVM præcipua huius vocis *Verbum* ſignificatio & vſurpatio apud Theologos & Philoſophos duplex ſit; Altera quidem pro verbo mentali (liceat mihi hoc locò his verbis vti, quibus vtuntur ſcholaſtici Theologi & Philoſophi.) Altera verò pro vocali: quærere dignum eſt in præſentia, an Verbum DEI ſic appellatum fuerit, ſecundùm ſimilitudinem humani verbi mentalis, an vocalis? Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hoc loco, & ante iſtos omnes Tertullianus in libro aduerſùs Praxeam, putant, ſic dictum eſſe Verbum DEI, ad ſimilitudinem verbi humani vocalis. Sicut enim verbum humanum vocale arcana & occulta ſenſa noſtri animi foràs effert, & aliis manifeſtat; ita filius DEI in mundum veniens, & nomen, & conſilium, & voluntatem DEI manifeſtauit hominibus: vnde ipſe dixit, *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Et alio loco: *Omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Baſilius. Chryſoſt. Theophylact. Euthymius. Tertullianus.

15 At enim, veriſimilius ſit, Verbum DEI ſic eſſe appellatum, ſecundùm ſimilitudinem humani verbi mentalis, potiùs quàm vocalis. Etenim B. Ioannes dixit: *In principio erat Verbum*; id autem eſt, ab æterno erat Verbum: Filius autem DEI nec carnem humanam ſumpſit ab æterno, nec ab æterno nomen Patris ſui manifeſtauit hominibus: non igitur propter eam, quàm iſti Doctores dixerunt, ſimilitudinem verbi vocalis, appellatum eſt Verbum DEI. Deinde, verbum vocale non manet in dicente ipſum, ſed exiens fo-

ras extra ipſum eſt; Verbum autem mentale eſt in dicente ipſum: de Verbo autem DEI Ioannes dixit, *Verbum erat apud* DEVM. Gentiles etiam Philoſophi nonnullam diuini Verbi cognitionem habuerunt, vt ſupra oſtendimus; nec ad eam tamen notitiam peruenerunt ex ſimilitudine verbi vocalis, ſed ex ſimilitudine verbi mentalis. Huc ſanè ſpectat illud quod Auguſtinus ſcripſit in libro decimo quinto de Trinitate capite decimo: Quiſquis, inquit, poteſt intelligere verbum, priuſquàm per os ſonet; immò etiam priuſquàm ſonorum eius imagines cogitatione voluantur: is iam poteſt videre per hoc ſpeculum, atque in hoc ænigmate, aliquam diuini Verbi ſimilitudinem, de quo dixit Ioannes, *In principio erat Verbum.*

S. Auguſt.

Octuplex ſimilitudo inter humanum verbum mentale, & Verbũ diuinum.

16 Sed breuiter indicemus, quæ ſit inter Verbum diuinum, & verbum humanum mentale ſimilitudo, & item quæ ſit diſſimilitudo. Sanè, quemadmodum ſe habet verbum mentale ad ipſam mentem ſeu intellectum, ita ſe habet Verbum diuinum ad DEVM Patrem. Primò enim, verbum mentale producitur ab ipſo intellectu. Secundò eſt in ipſo intellectu à quo producitur, ab eo indiuiſum. Tertiò, producitur ſine paſſione, & alteratione, vel motu. Quartò, eſt imago rei intellectæ. Quintò, mens per verbum intelligibile loquitur ſecum. Sextò, per mentale verbum artificiale, artifex facit extra ſe opus artificioſum. Septimò, non poteſt eſſe intellectus in actu, & perfectus ſine verbo mentali; & contrà, verbum mentale non eſt niſi in intellectu in actu, & perfecto. Octauò, verbum mentale foràs emiſſum, & induens ſonum, fit ſenſibile, & manifeſtatiuum mentis apud homines.

Mentale verbum hominis eſſe octo rebus diſſimile Verbi diuini.

17 Atque hæc quidem ſunt, quibus verbum mentale ſimilitudinem aliquam gerit diuini verbi; ſiquidem octo illa, quæ diximus eſſe in verbo mentali, ea omnia perfectiſſimè licet in Verbo diuino cernere. Sed, quia humanum verbum mentale, ſi comparetur cum Verbo diuino, eſt imperfectiſſimum; idcirco multis etiam rebus eſt illius perquàm diſſimile. Sicut igitur paulò ante oſtendi, mentale verbum hominis eſſe octo rebus ſimile Verbi diuini: ita nunc curſim oſtendam, humanum hoc verbum octo etiam rebus eſſe diuini Verbi diſſimile. PRIMO, mentale verbum hominis eſt quidpiam accidentale, nec eſt per ſe ſubſiſtens: Verbum autem diuinum

diuinum eſt ſubſtantiale, per ſe ſubſiſtens, & eſt perſona diuina. SECVNDO, verbum hoc humanum eſt quid nouum & temporarium, principium durationis habens, & finem: diuinum autem Verbum eſt æternum. TERTIO, humanum hoc verbum non poteſt eſſe ipſum quidem ſine intellectu à quo producitur; at intellectus ſine ipſo eſſe poteſt, non enim humanus intellectus ſemper eſt actu intelligens: Verbum autem diuinum ſicut non poteſt eſſe ſine DEO à quo producitur, ita nec ipſe DEVS poteſt eſſe ſine Verbo ſuo. QVARTO, humanum hoc verbum, intellectu à quo producitur, poſterius eſt, non ſolùm ordine naturæ, ſed etiam temporis: diuinum autem Verbum omnino coæternum eſt DEO ipſum producenti. QVINTO, humanum verbum per ſe inſufficiens atque inefficax eſt ad operandum, faciendúmque aliquid extra ipſum hominem: diuinum autem Verbum potentiſſimum & efficaciſſimum eſt ad operandum, vtpote per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. SEXTO, humanum verbum diuerſæ naturæ eſt ab intellectu, à quo producitur: Diuinum Verbum eiuſdem naturæ eſt, & cōſubſtantiale DEO ipſum generanti. SEPTIMO, humanum hoc verbum eſt multiplex, ac multiforme: diuinum autem Verbum vnicum omnino eſt. OCTAVO, mentale verbum hominis nec ſemper, nec per ſe eſt imago intellectus à quo producitur: Verbum autem diuinum per ſe, & ex propria generationis ſuæ ratione, eſt imago & figura ſubſtantiæ DEI ipſum generantis.

SEXTA DISPVTATIO.

An nomen iſtud VERBI DEI *notum fuerit hominibus ante* CHRISTI *Domini noſtri aduentum?*

18 NOMEN VERBI DEI ante CHRISTI Domini aduentum non modò fuit notum hominibus, ſed etiam pluribus in locis veteris diuinæ ſcripturæ celebratum eſt. In capite primo libri Eccleſiaſtici ſic eſt: *fons ſapientiæ,* VERBVM DEI *in excelſis:* & in eiuſdem libri capite vigeſimo quarto ſapientia diuina (quæ

Quibus in locis Sacra ſcriptura veteris poſitum, & celebratum ſit nomen Verbi Dei.

 eſt

eſt VERBVM DEI) de ſe ipſa loquens: *Ego*, inquit, *ex ore Altiſſimi prodiui*: quæ eſt periphraſis quædam VERBI DEI. In trigeſimo capite libri prouerbiorum ſic eſt: *Quod eſt nomen eius, & nomen filij eius, ſi noſti?* quibus verbis procul dubio inſinuare voluit nomen hoc VERBI DEI, ſicut nos B. Ioannes docuit, in capite decimo nono libri Apocalypſis, hæc ſcribens de Filio DEI: *Et habebat nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe, & vocabatur* VERBVM DEI.

Chaldaica paraphraſis.

In multis præterea Sacræ ſcripturæ locis, in quibus eſt nomen 19
DEI, vel Domini, pro eo Chaldaica paraphraſis habet nomen VERBI DEI: exempli gratiâ, in capite ſexto libri Exod. legitur: *Et nomen meum* ADONAI *non indicaui eis*, pro quo Chaldaicè eſt, *Et nomen* VERBI MEI *non indicaui eis*. Et in capite quinto Deuteronomij ſcriptum eſt: *Ego mediator ſteti inter vos &* DEVM, pro quo Chaldaicè legitur: *Mediator ſteti inter vos &* VERBVM DEI. Patres etiam ad id probandum adferunt quædam alia ſcripturæ loca, vt eſt illud ex Pſalmo trigeſimo ſecundo: *Verbo Domini cæli firmati ſunt*. & ex Pſalmo quadrageſimo quarto: *Eructauit cor meum Verbum bonum*. & ex Pſalmo centeſimo ſexto; *Miſit Verbum ſuum & ſanauit eos*: & ex capite quadrageſimo Iſaiæ, *Verbum Domini manet in æternum*: & ex capite decimo octauo libri ſapientiæ: *Omnipotens ſermo tuus Domine è regalibus ſedibus venit.*

An Verbum Dei cognitum fuerit Ethnicis hominibus.
Lactantius.
Euſebius.
Cyrillus.
Theodoretus.
Orpheus.
Trimegiſtus.
Heraclitus.
Plato.
Stoici.
Plotinus.
Porphyrius.
Numenius.
Amelius.
Duo errores Gentilium circa Verbum Dei.
Stoici.

Nec tantùm in Sacris litteris, verùm etiam in profanis, & ab 20
Ethnicis Philoſophis & Poëtis VERBVM DEI cognitum, maximiſque celebratum eſt laudibus. Lactantius in libro quarto capite octauo & nono, Euſebius libro ſeptimo de præparatione Euangelica capite quinto, & libro vndecimo capite decimo, Cyrillus contra Iulianum libro primo & octauo, Theodoretus in libris de curatione Græcarum Affectionum clariſſima de Verbo DEI referunt teſtimonia, & præconia, Orphei, Trimegiſti, Heracliti, Platonis, Stoicorum, Plotini, Porphyrij, Numenij, & Amelij; qui ampliſſimis verbis & laudibus τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ prædicauerunt. Quanquam iſti erroris vacuam & expertem cognitionem Verbi DEI nequaquam habuerunt; ſed in alterutro duorum errorum verſati ſunt. Stoici etenim VERBVM DEI putauerunt idem eſſe atque ipſam DEI rationem, & ſapientiam DEO ſubſtantialem,

ſtantialem, atque eius perfectionem; non autem eſſe perſonam quampiam diuinam. Contrà verò Platonici tres DEOS inter ſe ſecundùm naturam diſtinctos poſuerunt; primum vocabant DEVM Patrem, ſiue ipſum bonum: alterum, appellabant DEVM Verbum, ſiue mentem, ſiue Ideam: tertium DEVM nominabant animam Mundi: & hos tres DEOS ſecundùm naturam diſtinctos, & ſecundùm perfectionem diſpares faciebant; ita vt primus eſſet maior ſecundo, & ſecundus tertio. Atque ex hoc fonte virulentam & peſtiferam doctrinam ſuam Arrius hauſit, Filium DEI nec conſubſtantialem, neque coæternum, atque æqualem DEO Patri faciens. *Platonici.*

SEPTIMA DISPVTATIO.

Cur Latinus interpres Græcam vocem (λόγος) Latinè reddiderit Verbum *potiùs, quàm vel* ſermonem, *vel* rationem.

21 CVM Græca vox λόγος, qua vſus hoc loco eſt B. Ioannes, Latinè conuerti poſſit vel in *Verbum*, vel in *ſermonem*, vel in *rationem*; quæritur, an cùm ea vox ponitur pro Filio DEI, poſſit Latinè reddi vel *ſermo*, vel *ratio*; & an fuerit hoc loco aptiùs & congruentiùs, eam vocem conuertere in *rationem*, vel *ſermonem*, quàm in Verbum? Negari non poteſt, quin plures veterum Doctorum Filium DEI appellauerint ſermonem: ea quippe voce vſi ſunt & Tertullianus in libro aduersùs Praxeam, & Cyprianus libro ſecundo contra Iudæos capite quinto, Hilarius libro ſecundo de Trinitate, Hieronymus in primum caput Epiſtolæ ad Epheſios, Ambroſius libro primo de fide contra Arrianos capite ſecundo, Lactantius libro quarto capite octauo & nono. Quinetiam Auguſtinus in centeſimo octauo tractatu in Euangelium Ioannis ait, in quibuſdam libris legi hoc loco: *In principio erat ſermo.* Denique ipſa quoque Sancta Eccleſia in Miſſa de Natiuitate Domini, verba illa quæ ſunt in capite decimo octauo libri ſapientiæ: *Omnipotens ſermo tuus Domine, è regalibus ſedibus venit*, ad CHRISTVM Dominum applicat, eadémque verba de Filio DEI antiqui Patres vſurpârunt. *Tertullianus. Cyprianus. Hilarius. Hieronymus. Ambroſius. Lactantius. Auguſtinus.*

An filius Dei rectiùs dicatur ſermo, quàm Verbum? Eraſmus.

Sed nũquid rectiùs hoc loco Filius DEI appellatus eſſet *ſermo*, 22
quàm *Verbum?* ſanè, Eraſmus arbitratur magis huic loco congruere nomen *ſermonis*, quàm *Verbi*. Nam verbum, inquit, eſt ſimplex vox, ob ídque ad exprimendum omnem animi noſtri ſenſum minimè idonea; at ſermo omnia animi noſtri ſenſa explicare poteſt.

Autoris ſententia.

Ego contra ſentio: Filius enim DEI dicitur Verbum ſecundùm ſimilitudinem humani verbi mentalis, quod à Theologis appellatur verbum, potiùs quàm ſermo. Deinde, ſermo eſt quid multiplex,& multiforme,variéque compoſitum: Verbum autem poteſt eſſe quid ſimplex, atque ea re magis repræſentare ſimplicitatem Verbi diuini. Ad hæc, nomen *Verbi* ſignificare poteſt & vocem ſimplicem,& orationem compoſitam:nam in illa ſententia; *Quod eſt verbum quod dixit tibi Rex*: & in illa: *Verbum mihi ad te ô princeps:* procul dubio verbum ſingulari numero poſitum nõ vnam vocem ſignificat,ſed plura verba,& ſermonẽ; & apud Lucam capite octauó,ſemen in bonam terram iactum,& multùm fructificans, interpretatur Dominus verbum DEI, non ſanè prout ſimplicem aliquam vocem ſignificat: & apud Latinos ſcriptores verbum aliquando ſignificat prouerbium; huc enim pertinet illud, *Vetus verbum eſt.*

4. Regum. 9. Regum.

An meliùs fuiſſet hoc loco ponere nomen rationis quàm verbi? Tertullianus.

Sed videamus,an,cùm Græca vox λόγος Latinè reddi poſſit *ratio*, 23
rectiùs hoc loco reddi debuerit *Ratio*, quàm *Verbum*. Tertullianus certè in libro aduersùs Praxeam, aptiùs & congruentiùs eſſe huic loco dixit nomen, *Rationis*, quàm *Verbi*, vel *ſermonis*: nomen enim *Verbi* conuenit Filio DEI ex tempore propter humanam videlicet naturam aſſumptam,per quam *In terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus eſt*: nomen autem *Rationis* conuenit ei ab æterno.

Baruch tertio.

Auguſtinus.

Verùm, Tertulliano contradicit Auguſtinus in libro octoginta trium Quæſtionum Quæſtione ſexageſima tertia ſcribens,vocem Græcam λόγος in hoc loco Euangelij Ioannis,rectiùs Latinè conuerti in *Verbum*, quàm in *Rationem:* Quoniam Verbum, inquit, non tantùm ſignificat reſpectum ad Patrem, à quo producitur; verùm etiam ad ea quæ per Verbum facta ſunt potentiâ eius operatiua: Ratio verò, etiamſi per eam nihil fiat,verè tamen,rectéque dicitur ratio. Nomen præterea *Verbi* multis rebus,& ſatis expreſsè refert proprietates Verbi diuini,vt ſuprà docuimus in Diſputatione quin

ne quinta; quas ratio non ſimiliter refert. Et illa quidem Tertulliani argumentatio nō eſſet fortaſſe inualida, ſi Filius DEI appellaretur hoc loco Verbum a ſimilitudinem humani verbi vocalis, non autem mentalis; quod nos tamen in ea, quam proximè nominauimus, Diſputatione refutauimus.

24 Vna etiam nunc reliqua eſt de Verbo DEI quæſtiuncula hoc loco tractanda: Cur B. Ioannes loquens hoc loco de CHRISTO, appellauit eum *Verbum*, ac nō potiùs *Filium?* potuit enim ita dicere: (In principio erat Filius: & Filius erat apud DEVM: & DEVS erat Filius, & hic erat apud DEVM:) ſed cur Ioannes maluerit ponere nomen *Verbi*, quàm *Filij*, quinque cauſas ſiue rationes minimè improbabiles afferre licet. Prima ratio Chryſoſtomi, Euthymij, & Theophylacti: Ne ſtatim in principio Iudæos alienaret à lectione huius Euangelij: illi enim horrebāt nomen *filij*, & nomen generationis in DEO; & dicere plures diuinas perſonas, perinde quaſi multiplicate DEOS, blaſphemiam eſſe putabant. At nomen *Verbi* DEI, cùm frequens in veteri Teſtamento ſit, nec nouum ipſis, nec reſpuendum videri poterat. Secunda ratio Baſilij: Ne Gentilibus nomen filij ſuſpicionem ingereret, etiam ſecundùm Chriſtianos, in DEO eſſe carnalem quampiam generationem, qualem nempe antiqui eorum Theologi, & Poëtæ confinxerant. Tertia ratio B. Thomæ: Propoſitum fuiſſe B. Ioanni in hoc Euangelio, ſcribere de CHRISTO, prout à DEO Patre miſſus eſt in mundum ad manifeſtandum hominibus nomen, & voluntatem eius: reſpectu autem huius muneris & officij magis ei conuenit nomen *Verbi*, quàm *filij*. Quarta ratio Ianſenij; Vt magis inuitaret & alliceret ad lectionē huius Euangelij Gentiles, à quibus ſciebat Verbum DEI fuiſſe cognitum, ampliſſimíſque laudibus celebratum. Quinta ratio noſtra eſt: Conſilium B. Ioannis fuit ſtatim in principio Euangelij oſtendere CHRISTI æternitatem, & indiſſolubilem coniunctionem eius cum DEO, & effectricem rerum omnium poteſtatem: ad hæc autem expreſſiùs demonſtranda nomen *Verbi* aptiùs eſt, quàm *filij*.

Cur Ioannes non poſuerit nomen filij, potiùs quàm Verbi.

Chryſoſt. Euthymius. Theophylact.

Baſilius.

B. Thomas.

Ianſenius.

OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et verbum erat apud DEVM.

De ſex rebus valde obſeruandis, quæ ſignificantur iſtis verbis.

CVm dicitur, Verbum fuiſſe apud DEVM, ſex de- 25
Baſilius. notantur. Primò quidem (ait Baſilius) quia dictum
fuerat, Verbum fuiſſe in principio, id eſt, ante om-
nia, hoc legentem, vel audientem ſubire poterat
huiuſmodi quædam dubitatio, *Vbi erat Verbum, an-
tequàm quidquam fieret?* iſti cogitationi, ſiue dubitationi occurrit
Ioannes dicens: *Erat apud* DEVM, Patrem videlicet ſuum. Quaſi
diceret, non eſt quærendus naturæ incorporeæ locus corporeus;
nec æternæ, tempus; neque infinitæ, terminus: nuſquam alibi Ver-
bum eſſe poterat niſi apud DEVM à quo productum eſt. Dein-
de, Verbum diuinum ſic eſt dictum ad ſimilitudinē humani verbi:
hoc autem, ſi eſt mentale, eſt accidens quoddam inhærens in men-
te tanquam in ſubiecto: ſi eſt vocale, eſt ſonus quidam extra dicen-
tem fluens per aëra. Ne quid igitur tale de Verbo diuino exiſti-
maretur, continuò Ioannes adiunxit: *Et Verbum erat apud* DEVM:
id autem eſt, neque Verbum erat in DEO tanquam in ſubiecto,
neque tanquam quid ſeparatum, & extraneum DEO. Ad hæc,
ſignificatur iſto loquendi modo, Verbum eſſe natura per ſe ſub-
ſiſtentem, & perſonam diuinam: ſi enim non eſſet, non diceretur
de eo, quod *erat apud* DEVM: non enim calor dicitur eſſe apud
ignem, ſed eſſe in igne; neque vllum accidens dicitur eſſe apud
Valentinus hæreticus. ſubiectum, ſed in ſubiecto. Valentinus, & alij quidam hæretici, vt
Origenes. refert Origenes hoc loco, dixerūt, Verbum DEI non eſſe hy-
poſtaſim, ſiue perſonam aliquam; ſed eſſe tantùm vocem, DEI
Lactantius. prolatione formatam: etiam Lactantius libro quarto capite nono
neſcio quid ſimile videtur effutiuiſſe.

Significatur præterea iſto loquendi modo perſonalis diſtinctio 26
Verbi

Verbi diuini à DEO Patre, contra Sabellium tollentem è medio realem diuinarum perſonarum inter ſe diſtinctionem. Diſtinctionem porrò perſonalem Verbi, & Filij à Patre Cyrillus hoc loco multis probat & manifeſtis Diuinæ ſcripturæ ſententiis. Sanè, eſſe Filium & Patrem, generantem & genitum, procedentem & à quo procedit, mittentem & miſſum, eſſe imaginem DEI & figuram ſubſtantiæ eius, demonſtrant euidenter perſonalem diſtinctionem Filij à Patre. Declaratur etiam iſtis verbis origo Filij à Patre, & autoritas Patris ad Filium; autoritas, inquã, non maioris antiquitatis, vel perfectionis, ſed autoritas tantùm principij, & originis; quia Filius eſt à Patre, Pater autẽ nõ eſt à Filio. Poſtremò, iſto loquendi modo denotatur ſumma concordia, & indiſſociabilis coniunctio Filij cum Patre, cõtra fabulas Poëtarum gentilium diſſidia & bella fingentium inter ipſos DEOS: & contra inſaniam Marcionis, qui fecit duo prima rerum omnium principia inter ſe contraria. *Cyrillus.* *Marcio hæreticus.*

27 Rupertus hæc verba explanans, Erat, inquit, Verbum apud DEVM, tanquam apud ſapientem ſapientia; apud fortem fortitudo; apud Solem ſplendor; apud exemplar imago ſubſtantialis; apud Patrem Filius; & apud dicentẽ Verbũ. Et erat apud DEVM in maximo honore; in intima coniunctione; in perfectiſſima rerum omnium communione, & in ſummâ dilectione. *Rupertus.*

28 Non eſt hoc loco in præteritis relinquendum illud Hilarij documentum, ab eo traditum in libro ſecundo de Trinitate: ait, Ordinem, quem Filius habet ad DEVM Patrem, in Diuina ſcriptura variè ſignificari per diuerſas præpoſitiones, præcipuè autem per has quattuor, *Apud, In, Cum, Ex*, vel *A*, vel *De*. Per *Apud*, vt hoc loco: *Verbum erat apud* DEVM, quo ſignificatur ſocialis coniunctio Verbi DEI cum ipſo DEO, cuius eſt Verbum. Per *In*, vt cùm Dominus dixit, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, quo ſignificatur conſubſtantialitas Patris & Filij, eorúmque inuicem inſeparabilitas. Ad hæc, per *Cum* in capite octauo libri Prouerbiorum loquens de ſe diuina Sapientia ait, *Cum ipſo aderam, cuncta componens*; quo ſignificatur æqualitas poteſtatis Filij cum Patre in omnibus quæ producuntur & ſunt extra DEVM. Præterea, per *Ex*, vel *A*, vel *De*, huc ſpectant illa: *Ex vtero ante luciferum genui te*. & *Exiui à Patre, & veni in mundum*. & Filius dicitur miſſus à Patre, & procedens à *Obſeruãdum Hilarij documentum.*

Patre:

Patre: & Sancta Eccleſia in Symbolo canit de Filio, *Ex Patre natum ante omnia ſæcula*, DEVM *de* DEO, *Lumen de lumine*, DEVM *verum de* DEO *vero*. Per hoc autem ſignificatur Filij à Patre origo, ſiue proceſſio, atque generatio.

Illud quoque lectorem hoc loco animaduertere volumus, B. Ioannem in hoc principio ſui Euangelij complures ſententias eleganti quodam artificio ſic inuicem nexuiſſe, atque colligâſſe, vt idem eſſet antecedentis ſententiæ finis, & initium proximè ſequentis, vt cernere eſt hoc loco: *In principio erat Verbum: Verbum erat apud* DEVM: DEVS *erat Verbum: hoc* (ſcilicet Verbum) *erat in principio apud* DEVM; & paulò poſt, *In ipſo vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt*. Eſt autem hæc figura rhetorica magnam orationi gratiam & venuſtatem addens, multúmque ad memoriæ facilitatem, firmitatémque conducens: qua etiam figura vſus eſt Iſaias in capite vigeſimo ſexto. 29

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et DEVS *erat Verbum*.

Quod ex Sacris litteris euidenter oſtendatur, Verbum DEI eſſe verum DEVM?

BEATVS Ioannes in prima ſententia ſui Euangelij indicauit æternitatem Verbi DEI dicens: *In principio erat Verbum*: in ſecunda ſententia dicens: *Verbum erat apud* DEVM, demonſtrauit coniunctionem Verbi cum DEO Patre: in hac verò tertia ſententia: *& DEVS erat Verbum*: oſtendit Verbi Deitatem; ne quis fortè ſuſpicaretur, audiens Verbum eſſe apud DEVM, ipſum Verbum non eſſe DEVM. Scire autem conuenit, in hac ſententia: *Deus erat Verbum*, vocem illam DEVS eſſe prædicatum; vocem autem illam *Verbum* eſſe ſubiectum: & eundem ſenſum habere, 30

bere, atque ſi dictum eſſet à Ioanne, *Verbum erat Deus*. Sed B. Ioannes, vt à fine præcedentis ſententiæ inchoaret proximè ſubſequentem, mutauit rectum ordinem vocum dicens; *& Deus erat Verbum*: vtrouis tamen dicatur modo, idem planè ſignificatur, id autem eſt, Deitas Verbi.

31 Sed quia ſententia hæc Arrianos negantes CHRISTVM eſſe verum DEVM manifeſtè redarguebat; duplici eam cauillo obſcurare, ac peruertere conati ſunt. Primò quidem; referente B. Auguſtino in libro tertio de doctrina Chriſtiana capite ſecundo, lectionem huius ſententię ita diſtinguebant, vt finirent eam in illo *erat*, ſic, *& Deus erat*: Vocem autem illam proximè ſequentem, *Verbum*, iungebant cum ſubſequenti ſententia hoc modo; *Verbum hoc erat in principio apud Deum*. Sed enim, abſurditas huius lectionis & diſtinctionis Arrianorum manifeſta fit ex eo, quod ſecundùm illam tollitur pulchra illa harum ſententiarum inter ſe connexio, de qua paulò ante diximus. Et dicere *Deus erat*, nullatenus cohæret cum præcedentibus, quin etiam planè vacat. Cùm enim ante dictum eſſet, quòd *Verbum erat apud Deum*, iam pro certo poſitum fuerat, quod DEVS erat; ergo ſuperuacaneum fuiſſet adiungere, & DEVS erat. *Duplex Arrianorum cauillus contra hanc ſententiam B. Ioannis. Auguſtinus.*

32 Alter circa ſententiam hanc Ioannis cauillus Arrianorum, eſt huiuſmodi: in iſtis verbis, *Deus erat Verbum*, non eſſe præpoſitum articulum illi voci DEVS, ideoque ſignificari, Verbum nominari quidem DEVM propter ſingularem perfectionis eius excellentiam, eximiámque diuinitatis participationem; non eſſe tamen ſummum & perfectiſſimum DEVM. Atque hoc etiam videri poteſt ſenſiſſe Origenes, cùm ſcribat hoc in loco, Patrem eſſe αὐτόθεον; Filium verò dici DEVM propter eximiam quandam Deitatis participationem. Sed impia hæc eſt ſententia, & ratio qua fulcitur, perinfirma & futilis. Nõ enim ſemper in Sacra ſcriptura pręponitur articulus illi voci DEVS, etiam cùm per eam vocẽ ſignificatur veriſſimus & ſũmus DEVS. Etenim, paulò infra dicitur, *fuit homo miſſus à Deo* & paulò poſt: *Deum nemo vidit vnquam*, vtroque tamen in loco vox DEI, ſignificans vtique veriſſimum DEVM, ſine articulo poſita eſt: ſicut etiam in illis Pauli verbis: *Gratia vobis à Deo Patre*. *Ad Rom. 1.*

D Contra

Contra verò vox DEI, ſignificans Filium, ſæpenumero præpoſitum habens articulum inuenitur in ſcriptura; vt in ſecundo capite epiſtolæ ad Titum in illis verbis: *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei*, vbi filius dicitur DEVS præpoſito articulo. Et item ad Romanos nono capite loquẽs Paulus de CHRISTO, *Qui eſt*, inquit, *ſuper omnia Deus benedictus*: vbi etiam vox DEI præpoſitum habet articulum. Cauſa verò cur Ioannes in hac ſententia *Deus erat Verbum*: non præpoſuerit articulum illi voci DEVS, ea fuit, ne perſonas Patris & Filij inuicem confunderet: cùm enim proximè ante dixiſſet, *& Verbum erat apud Deum*, & præpoſuiſſet articulum illi voci DEVM, ſignificando DEVM Patrem; ſi nunc etiam voci DEVS præpoſuiſſet articulum dicens, *Et ille Deus erat Verbum*, viſus profectò eſſet ſignificare, Patrem eſſe Verbum, illud enim relatiuum (ille) non aliò, niſi ad proximè dictum DEVM referri poterat. Ipſe porrò Ioannes, quòd CHRISTVS ſit veriſſimus DEVS, expreſſiſſimè docuit in vltimo capite primæ epiſtolæ ſuæ, ita ſcribens, *Vt ſimus in vero filio eius; hic eſt verus Deus, &c.* 33

Sex modi, quibus in Sacra ſcriptura, ſecũdùm Hilarium, oſtenditur Chriſti Deitas.

Hilarius in libro ſeptimo de Trinitate docet, in Sacra ſcriptura ſex modis oſtendi CHRISTVM eſſe, *Deum, Nomine, Naturâ, Duratione, Natiuitate, Poteſtate, & Profeſſione. Nomine*, quia pluribus in locis diuinæ ſcripturæ nomen DEI tribuitur CHRISTO, vt ex iis quæ paulò ſuprà diximus, manifeſtum eſt. *Naturâ*, quia ipſe dixit: *Ego & Pater vnũ ſumus*, illud *Vnum* oſtendit eandem eſſe naturã Filij DEI, & DEI Patris; natura Patris eſt Deitas, ergo etiam Filij: eodem ſpectat illud Pauli de CHRISTO, *Qui cùm in forma Dei eſſet &c. Duratione*, quia Sacra ſcriptura æternum eſſe ipſum multis locis docet; & de ipſo Paulus, *Per quem*, inquit, *fecit & ſecula. Natiuitate*, quia cùm Ioannes dixerit, ipſum eſſe verum DEI Filium, ex eo concluditur neceſſariò, ipſum eſſe conſubſtantialem DEO Patri; natiuitas enim fit ſecundùm naturæ ſimilitudinem, non enim eſt verus filius hominis, niſi verus homo. *Poteſtate*, quoniam ipſe dixit: *Quidquid facit Pater, & Filius ſimiliter facit*, & *Omnia quæ Pater habet, mea ſunt.* & quod Ioannes hoc loco dixit, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Profeſſione*, quia ipſe profitebatur, Patrem ſuum eſſe DEVM, æqualem ſe faciens 34

ad Philip. 2.

ad Hebræos 1.

DEO;

DEO; quamobrem Iudæi voluerunt eum lapidare. Hactenus ex Hilario.

Septem alij modi, quibus ſcriptura demonſtrat Chriſtum eſſe Deum.

35 Iſtis ſex modis ab Hilario traditis, quibus in ſcriptura demonſtratur CHRISTI deitas; alij ſeptem modi poſſunt adiungi. Primò, demonſtratur CHRISTVM eſſe DEVM ſicuti eſt DEVS Pater, ex pari atque eadem inuocatione nominis CHRISTI, atque nominis ipſius DEI Patris: Dominus enim dixit Matthæi vltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Secundò, ex omniſcientia CHRISTI, quæ eſt propria DEI: *In* CHRISTO *enim*, (ſicut Paulus dixit) *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.* Tertiò, ex eo quòd ipſe eſt vltimus finis, & æterna vita hominũ: nam ipſe dixit, *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum* DEVM, *& quem miſiſti* IESVM CHRISTVM. Quartò, quia ipſe à Paulo vocatur *Imago inuiſibilis* DEI, *& figura ſubſtantiæ eius.* Quintò, ex plenitudine diuinitatis corporaliter in CHRISTO habitantis, teſtante Paulo, *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Sextò, ex generali omnium rerum conſeruatione & gubernatione: CHRISTVS enim, vt Paulus dixit, *Portat omnia Verbo virtutis ſuæ*; Verbum *portandi* continet ſignificationem & conſeruandi, atque ſuſtentandi, & item regendi ac dirigendi. Septimò, ex honore qui ſoli DEO debetur, & tribuitur ipſi CHRISTO, ſecundùm illud, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*; Seſſio enim ad dexteram DEI, denotat æqualitatem honoris & gloriæ ſic ſedentis, cum ipſo DEO. Huc etiam ſpectat quod ſcribit Ioannes in capite quinto libri Apocalypſis: Millia millium Angelorum voce magna dixiſſe, *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem*, (id eſt, honorem & gloriam ſoli DEO debitam) *& honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & in terra, & ſubterra, & in mari. Et audiui omnes dicentes, ſedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.*

Ad Coloſſ. 2.

Ioannis decimo ſeptimo.

Ad Coloſſ. 1. ad Hebr. 1.

Ad Coloſſ. 2.

Ad Hebræos primo.

DECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 2. Et hoc erat in principio apud DEVM.

Confutatur error Eunomianorum, qui fecerunt duplex DEI *Verbum & impiè de* CHRISTO *ſenſerunt.*

DVo, quę Ioannes in duabus primis ſententiis diſiunctè de Verbo DEI dixerat, & ipſum fuiſſe in principio, & fuiſſe apud DEVM; ea nunc in hac quarta ſententia coniunctè dixit de ipſo Verbo, dicens: *Quod Verbum erat in principio apud* DEVM. Nec eſt mera duarum illarum ſententiarum repetitio, nihil adiunctum noui habens: hoc enim noui habet additum, quod non modò Verbum erat in principio, nec modò erat apud DEVM; ſed quod à principio ſemper fuit apud DEVM: ita vt, ex quo Deus fuit, & Verbum fuit; ſemper Verbum fuerit apud DEVM: vt intelligatur, ſocietas & coniunctio Verbi cum DEO Patre, ſempiterna fuiſſe. Illud relatiuum *Hoc*, licèt ſecundùm Latinam lectionem, non poſſit aliò referri, quàm ad Verbum, quia eſt neutrius generis: Græcè tamen quia eſt οὗτος quæ vox eſt maſculini generis, æquè referri poteſt & ad vocem λόγος, & ad vocem θεός, tria enim hæc in Græca lingua ſunt maſculini generis. Verùm, quia in iſtis ſententiis inuicem connectendis Ioannes ab eadem voce inchoauit ſequentem ſententiam, quâ finierat proximè antecedentem; propterea etiam Græcè illud pronomen οὗτος, congruentius ad λόγον, quàm ad θεὸν refertur. 36

Cyrillus. *Error Eunomianorū facientium duplex Verbum Dei.*

Cyrillus hoc loco refert Eunomianos hæreticos duplex feciſſe 37
Verbum DEI; alterum quidem, naturaliter inſitum & intimum DEO, eique coæternum, nec ab eo diſtinctum, nec ſecundùm ſubſtantiam, nec ſecundùm perſonam. Alterum autem Verbum faciebant externū, extra ipſum DEVM exiſtens, illius prioris Verbi perfectam imaginem: & hoc Verbum dicebant factum eſſe carnem, & in Scriptura vocari Filium DEI & CHRISTVM. Quòd autem DEVS Pater habeat ſuum proprium Verbum diſtinctum à Filio,

Filio, ſic argumentabantur: In pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu*, & in pſalmo centeſimo nono: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Si DEVS Pater dixit illud Filio, ergo per aliquod Verbum dixit; habet ergo DEVS Pater Verbum diſtinctum à Filio. Quinetiam ipſe Dominus hoc ipſum indicauit apud Ioannem capite decimo quarto dicens, *Sermo, quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius, qui miſit me Patris.* *Argumenta Eunomianorum.*

38 Sed iſtum Eunomianorum errorem facile eſt refellere; B. Ioannem hoc in loco agere de Verbo DEI ſummo & perfectiſſimo & intimo ipſi DEO, eique coæterno, ſatis indicat articulus præpoſitus illi voci λόγος: & quod Verbum fuiſſe apud Patrem, & per idem iſtud Verbum omnia eſſe facta dixit. Loquitur itaque Ioannes de proprio DEI Verbo & ſummo, & intimo, & æterno, & rerum omnium principio. Atqui hoc ipſum Verbum Ioannes dixit factum eſſe carnem, & habitâſſe inter homines: ergo diſtinctio illa ſummi Verbi DEI ab alio Verbo DEI quod factum eſt caro, & vocatur Filius DEI, & CHRISTVS, impia, & perabſurda eſt. Deinde, Ioannes in vltimo capite primæ epiſtolæ ſuæ CHRISTVM vocat verum DEI Filium: ſi verus eſt DEI Filius, ergo conſubſtantialis DEO, & coæternus eſt: non igitur poteſt eſſe quidpiam externum, ſiue extraneum DEO. Ad hæc, ſummum illud & intimum DEI Verbum, omnem habet ſapientiam & ſcientiam; hoc autem de CHRISTO dixit Paulus ſcribens ad Colloſſenſes capite ſecundo omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ in CHRISTO eſſe. Ergo CHRISTVS eſt ſummum & perfectiſſimum & intimum DEI Verbum. Præterea, non poteſt dici CHRITVS Verbum externum & extraneum DEO, cùm non aliter quàm per fœcundiſſimum DEI Patris intellectum, & per communicationem eiuſdem naturæ productum ſit. Quoniam autem Verbum DEI, quod eſt CHRISTVS, verus eſt DEI Filius, & verè genitus à DEO, neceſſum eſt, perſonam eſſe diſtinctam à perſona DEI Patris generantis. *Cõfutatio ſupradicti Eunomianorum erroris.*

39 Ad Eunomianorum argumenta ſit hoc breue reſponſum: in illis verbis: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te*: illud dicere DEI Patris ad CHRISTVM, ſi ad generationem eius diuinam pertinet, non eſt aliud quàm Patrem producere Filium, *Reſponſio ad Eunomianorũ argumẽta.*

quod eſt Verbum ſuum: aut manifeſtare humanitati eius vnionem ipſius perſonalem cum æterno DEI Verbo, per quam homo ille verè Filius DEI eſt. In illis autem verbis, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, illud *dixit*, ſignificat collationem ſummæ dignitatis & gloriæ à DEO datam homini CHRISTO propter meritum paſſionis & mortis eius iuxta illud Pauli dictum: *Propter quod & DEVS exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtriũ, & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria eſt DEI Patris.* Iã verò cùm CHRISTVS dicit, ſe DEI Verbum, vel ſermonem ſeruare, vel manifeſtare hominibus, nomen verbi ſignificat vel mandatum; vel decretum, vel promiſſum, vel pactum, vel doctrinam DEI Patris, vel aliud quidpiam ſimile; ſicut nos docuimus ſupra in quarta Diſputatione ſuper hoc primum caput, vbi decem ſignificationes huius vocis *Verbum* expoſuimus.

Ad Philippẽſes 2.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil.

Oſtenditur per illam vocem Omnia *profligari ſeptem errores hominum circa generationes rerum.*

DEITATIS CHRISTI argumentum fuit, quòd In principio, id eſt, ab æterno fuit Verbum apud DEVM: ſed hoc quod nunc dicitur, euidentiſſimum eiuſdem Deitatis eſt argumentum; indicatur enim his verbis omnipotentia CHRISTI, & infinita virtus omnium effectrix. Sed quia hæc Ioannis ſententia fœcundiſſima eſt, & celeberrima, per partes diſtinctè ac ſubtiliter excutienda, & penſitanda eſt. Ac primò quidem conſideranda eſt illa vox *Omnia*, & obſeruandum eſt, quantò breuiùs, & quantò plura Beatus Ioannes pauciſſimis hiſce verbis nos docuerit, 40

quàm

quàm Moyſes in principio libro Geneſis. Moyſes námque pluribus verbis rerum corporearum generationem dixit eſſe à Deo factam: Ioannes verò dicens *Omnia*, nihil excepit, aut reliquit; cuncta, ſiue corporea ſiue incorporea, ſiue viſibilia ſiue inuiſibilia, hac vna voce *Omnia* complexus eſt: eáque voce ſeptem errores Philoſophorum, & hæreticorum circa rerum omnium effectionem diſcuſſit. Primus error fuit Epicureorum, qui negârunt, ratione, & arte, & ſapientia Dei mundum eſſe factum, & prouidentia eius gubernari, ſed caſu & conditum eſſe, & regi. Alter fuit error Platonis in Thimæo primam effectionem rerum mortalium non ſummo & vni Deo, ſed minoribus diis aſſignantis. Tertius fuit Alexandri Aphrodiſæi, & quorundam Peripateticorum, aientium, res incorruptibiles, vt ſunt Cœli, & Cœleſtes intelligentiæ, à nullo eſſe factas, nec habere poſſe cauſam efficientem. Quartus fuit Stoicorum, quos Hermogenes hæreticus ſequutus eſt, affirmantium, materiam primam non eſſe productam à Deo, ſed eſſe alterum principium rerum, coæternum Deo; ita vt ſint duo prima, & inproducta principia rerum, Devs, & materia prima: quam ſententiam egregiè confutauit Tertullianus in libro, quem ſcripſit aduersùs Hermogenem, & Euſebius in libro ſeptimo de præparatione Euangelica capite octauo. Quintus error fuit Manichæorum, qui faciebant duo prima rerum principia; alterum, rerum corporearum & corruptibilium; alterum, rerum incorruptibilium: & illud, eſſe malorum omnium, quæ in rebus cernuntur, cauſam; hoc autem, bonorum omnium: & hæc principia eſſe inter ſe contraria. Sextus fuit Arrianorum, qui dixerunt, etiam ipſum Dei Verbum eſſe factum: Quos deridens atque illudens Auguſtinus, *Quomodo*, inquit, *Verbum* Dei *factum eſſe potuit, cùm Ioannes dicat, Omnia per Verbum* Dei *eſſe facta? vel enim Verbum* Dei *factum eſt à ſe ipſo, ſed hoc implicat contradictionem; quod enim efficit, iam erat; quod autem fit, non erat. Vel Verbum* Dei *factum eſt ab alio Verbo; aut igitur iſtud Verbum eſt factum ab alio Verbo, vel non: ſi non eſt factum ab alio Verbo, ne res procedat in infinitum, iſtud ipſum Verbum nõ factũ, nos dicimus eſſe* Christvm, *ſiquidẽ Ioannes ait, Omnia per ipſum eſſe facta.* Septimus error fuit quorundam arbitrantium, in prima rerum creatione omnia eſſe à Deo facta, &

Hac ſententia Ioannes confutauit ſeptẽ errores circa rerum omniũ generationẽ.

Epicurei.

Plato.

Alexander Aphrodiſæus & Peripatetici.

Stoici.

Hermogenes.

Tertullianus.

Euſebius.

Manichæi.

Arriani.

Auguſtinus.

per Verbum Dᴇɪ eſſe facta: poſtea verò in rerum propagatione ſolas cauſas ſecundas concurrere ad rerum productiones, per naturalem virtutem datam à Dᴇᴏ cauſis ſecundis in exordio mundi. At enim, B. Ioannes præciſè, & abſolutè, & vniuerſè dixit, Omnia per Verbum eſſe facta, & ſine ipſo factum eſſe nihil; iſtorúmque ſententiam propriè ac directò redarguit infrà capite quinto referens verba illa quæ dixit Dominus: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.*

DVODECIMA DISPVTATIO.

Cùm dicitur, Omnia per ipſum facta ſunt, *diſputatur, quam vim, & propriam ſignificationem habeat hoc loco illa præpoſitio* Pᴇʀ?

Præpoſitionem Pᴇʀ *quattuor modis vſurpari.*

PRÆPOSITIO Pᴇʀ & in diuina ſcriptura, & in 41
communi & vulgari loquēdi modo, quattuor modis vſurpari ſolet. Primò enim ſignificat obſequium, & miniſterium; vt cùm dicitur Imperator facere aliquid per militē, vel Dominus per ſeruum. Deinde, ſignificat inſtrumentum; vt faber dicitur per malleum, vel ſecurim opus facere. Tum, ſignificat formam & principium agendi; Sol enim dicitur illuminare per lucem, & ignis calefacere per calorem. Ad hæc, denotat cauſam efficientem, vt homo per liberum arbitrium humanas & morales actiones facit, & artifex per artem dicitur facere opus artificioſum.

Arrianorum impietas.

Arriani in iſtis verbis Ioannis: *Omnia per ipſum facta ſunt*, illud 42
per interpretantur primo & ſecundo modo: quaſi Verbum concurrerit ad effectionem rerum, tanquam obſequium & miniſterium exhibens Dᴇᴏ, principali rerum effectori. Nec Arrianis diſſimilia ſenſiſſe, ac ſcripſiſſe videri poteſt Clemens Alexandrinus, Euſebius Cæſarienſis, Tertullianus, & nonnullibi etiam Iuſtinus, interdum appellantes filium miniſtrum Patris, & in prima rerum creatione Verbum miniſtraſſe Patri.

Clemens Alexandrinus. Euſebius Cæſarienſis. Tertullianus. Iuſtinus. Syrmienſis Synodus.

Quinetiam Syrmienſis ſynodus contra Fotinum hæreticum congregata, cuius acta & Canones in libro de ſynodis refert Hilarius,

rius,in ſymbolo fidei,& in Canone tertio hæc habet verba: *Si quis non confitetur*, CHRISTVM *in creatione rerum fuiſſe Patri obſequentem, Anathema ſit.* Sed profectò, pia interpretatione hoc dictum illius ſynodi ſubleuandum, & accipiendum eſt; non enim aliud iſtis verbis ſynodus illa ſignificare voluit, quàm Filium & voluntatem, & potentiam, & ſapientiam creandi mundum non à ſe habuiſſe, ſed à Deo Patre accepiſſe. Ergo, cùm dicitur, Omnia per Verbum eſſe facta, illud *Per* ſecundùm tertiam, & quartam ſignificationem, paulò ſupra expoſitam, accipiendum eſt: vt ſignificetur ſumma ars & ſapientia, per quam DEVS fecit omnia. Sicut igitur(ſi parua licet componere magnis) Sol per ſplendorem ſuum illuminat omnia; ſicut fons per fluuium ex ſe promanantem irrigat & fœcundat terram; ſicut artifex per rationem & idæam artis facit opus artificiale; ita DEVS per Verbum ſuum condidit vniuerſa: quamquam in ſupradictis ſimilitudinibus multiplex ineſt diſſimilitudo. *Hilarius.*

43 Quòd autem iſta præpoſitio *Per* non ſemper in diuina ſcriptura ſignificet obſequium, vel miniſterium, vel inſtrumentum, ſed non rarò etiam cauſam efficientem principalem, Chryſoſtomus & Cyrillus probant hoc loco manifeſtis teſtimoniis Sacræ ſcripturæ, quæ nonnunquam iſta præpoſitione *Per* vtitur, cùm loquitur de DEO Patre: vt in primo capite prioris epiſtolæ ad Corinthios: *Fidelis* DEVS (inquit Paulus) *per quem vocati eſtis in ſocietatem* IESV CHRISTI *Filij eius.* Et in quarto capite epiſtolæ ad Galatas; *Si Filius, & hæres per* DEVM: & in primo capite poſterioris epiſtolæ ad Corinthios. *Paulus Apoſtolus* IESV CHRISTI *per voluntatem* DEI. Illud etiam hoc loco lector aduertat, idem, quod Ioannes generatim & breuiſſimè dixit, Omnia per Verbum eſſe facta; Paulum in primo capite epiſtolæ ad Coloſſenſes diſtinctiùs, explicatiúſq; dixiſſe, omnia rerum genera per CHRISTVM facta eſſe oſtendendo: ſic enim eo loco ſcribit: *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia: ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates; omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant.* *Chryſoſt.* *Cyrillus.* *Præpoſitio Per in ſcriptura tribuitur etiã Deo Patri.*

44 Sed quærat fortaſſe quiſpiam, cùm omnes tres perſonæ diuinæ eadem prorſus potentia & actione ad procreationem rerum om-

nium concurrant, nihil enim in rebus eſt vllo modo factum, quod non à qualibet perſona diuina pariter factum ſit; cur Ioannes hoc loco dixerit, omnia eſſe facta per Verbũ, potiùs quàm per DEVM Patrem, vel per Spiritum Sanctum? Reſpondeo, licèt vna ſit & omnino eadem in tribus perſonis potentia creandi; non tamen ea in illis eſt eodem prorſus modo ac ratione. Pater quippe potentiam creandi non ab alio ſed à ſe ipſo habet: Filius eandem potentiam habet, non tamen à ſe, ſed à Patre tantùm: eandem quoque potentiam habet Spiritus Sanctus non à ſe, ſed à Patre & Filio. Cùm autem dicitur aliquid produci per aliud, duo eo loquendi modo denotantur; & id, per quod producitur; & id, quod producit. Vt igitur ſignificaret Ioannes, DEVM Patrem & DEVM Filium produxiſſe omnia; ſed illum, ſua virtute à nullo accepta; hunc verò, eadem omnino virtute, ſed accepta à Patre; ideo dixit per Verbum omnia eſſe facta, à Patre videlicet. Neque illud ignorandum eſt Lectori, cùm in ſcriptura dicitur ſolus DEVS ſine ſocietate alterius feciſſe omnia; ibi nomen DEI vel non ſignificare DEVM Patrem, vt eſt perſona diſtincta à perſona Filij, & Spiritus Sancti, ſed DEVM trinum & vnum: vel ſi DEVM Patrem ſignificat, illa vox (ſolus) non excludit alias perſonas diuinas, ſed alias omnes perſonas vel naturas, quæ ſũt extra DEVM, diuerſam ab eo naturam & ſubſtantiam habentes. Et cùm dicitur ſolus DEVS feciſſe omnia, & nullus alius cum illo, iſto loquendi modo excluditur cooperatio cuiuſcunque creaturæ, non ſanè inſtrumentalis, & vt ita loquar, miniſterialis, ſed principalis, tanquam efficientis cauſæ principalis. Ex quo apparet, quemadmodum intelligenda ſint illa Domini verba, quæ ſunt apud Iſaiam capite quadrageſimo quarto: *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Etiam Spiritui Sancto effectionem rerũ tribuit diuina ſcriptura: vt in Pſalmo trigeſimo ſecundo, *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum:* in quibus verbis tres diuinæ perſonæ ſignificantur; nam Verbum Domini denotat perſonã Filij & Patris; ſpiritus autem oris DEI denotat Spiritum Sanctum procedentem à Patre & Filio. In primo etiam cap. lib. ſapientię ſcriptũ eſt, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſciẽtiam habet vocis.*

Cur omnia dicantur facta per Verbũ potiùs quàm per Deum Patrem.

Locus Iſaiæ cap. 44.

DECI

DECIMA TERTIA DISPVTATIO.

Super illo, FACTA SVNT.

De quinque modis effectionis rerum, & quòd excellentia Verbi DEI *elucet maximè in modo, quo fecit omnia.*

45 ILLVD *facta ſunt*, comprehendit omnes modos, quibus poſſunt res fieri: ſunt autem quinque modi. Primus modus eſt, creando rem ex nihilo; hoc nempe modo facti ſunt Angeli, animæ rationales, & materia prima. Alter modus eſt, producendo rem ex materia quidem præexiſtente, ſed ſine cooperatione cauſarum ſecundarum efficientium, & per ſolius DEI potentiam; ſic in exordio mundi facta eſt prima productio plantarum, & animalium, & formatio corporis Adami & Euæ. Tertius modus eſt, producendo res & ex materia, & per cauſas ſecundas, & tempore, & loco, & modo, atque ordine naturali: & hac ratione fit in hoc mundo ſublunari productio rerum omnium naturalis. Quartus modus eſt, producendo rem præter ordinem & ſuprà vim naturæ, & hoc modo facta ſunt & fiunt miracula, cuiuſmodi fuit ſubita vini ex aqua generatio, facta in nuptiis à Domino. Quintus modus eſt ſupernaturalis, & circa ſupernaturales, & ſpirituales effectus, & hac ratione DEVS per Sacramenta producit in animis hominum gratiam & virtutes. Omnes itaque hos quinque modos effectionis rerum complexus eſt Ioannes, cùm dixit, *Omnia per ipſum facta ſunt.* *Ioan. 2.*

46 Si quæras, quàm bona fuerint omnia, quæ per Verbum facta ſunt? Reſpondebit tibi Moſes, *Vidit* DEVS *cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Et idcirco ſcriptura dicit, DEVM diligere opera ſua, & lætari in operibus ſuis: ſic enim ſcriptum eſt, *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti*: & alio loco: *Lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Ex quo intelligere licet, quod verè ac propriè malum eſt, id non eſſe rem vel naturam quampiam; ſi enim eſſet, procul dubio factum eſſet per Verbum DEI, ideoque bonum eſſet. Si quæras, quanta arte, & ſapientia per Verbum DEI

Geneſis 1. *Quàm bona ſunt omnia Verbi Dei opera.* *Sapientia 11.* *Pſalmo 103.*

pſalmo 103. facta ſint omnia? Reſpondebit Dauid, *Quàm magnificata*, inquit, *ſunt opera tua Domine? omnia in ſapientia feciſti*: quæ DEI ſapientia elucet in eo, quòd omnia certo quodam ordine, menſura, & *Sapientia 11.* numero conſtituit, ſicut in libro ſapientiæ ſcriptum eſt: *Tu Domine omnia in pondere, & numero, & menſura diſpoſuiſti.*

Deum feciſſe omnia prout voluit. Si præterea quæras, an omnia per Verbum facta ſint ſecundùm 47
omnem eius voluntatem, vt omnino ita vt volebat, fecerit omnia? non enim ſemper artifici quamuis ſcientiſſimo, & exercitatiſſimo, & accuratiſſimo, & faciendis operibus intentiſſimo, opera omnia ſuccedunt ex animi eius ſententia. At enim, non ita res habet in DEO: is enim omnia quæ voluit, fecit in Cœlo & in terra; & quo modo voluit, eo modo fecit: nempe de ipſo ſcriptum eſt in pſalmo centeſimo decimo: *Magna opera Domini exquiſita ſecundùm omnes voluntates eius*, id autem eſt, prout DEVS voluit fieri opera ſua, ita ſunt omnino facta. Denique, illud etiamſi quæratur, an *Quàm facilè ac delectabiliter per Verbum Dei facta ſint omnia.* omnia quæ per Verbum facta ſunt, ſine vllo eius labore, ac moleſtia ſint facta? Reſpondebit Salomon, inducens DEI ſapientiam ita de ſe loquentem: *Cum eo aderam cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo, omni tempore, ludens in orbe terrarum*, *Locus Prouerb. cap. 8.* illud *delectabar*, ſignificat omnis prorſus laboris, & moleſtiæ vacuitatem, quin etiam voluptatem & delectamentum. Illud *ludens coram eo*, denotat gaudium & iucunditatem, & delectationem, qualem ſolent homines ex iucundo ludo capere. Vel ſignificat, vniuerſitatem omnium creaturarum, quaſi pro nihilo eſſe apud DEVM; vtpote quam DEVS, velut per ludum & iocum, fecerit. Sanè, apud Iſaiam capite quadrageſimo, & in libro ſapientiæ capite vndecimo, ſcriptum eſt, omnes gentes, omnémque terrarum orbem eſſe apud DEVM velut vnam guttam pluuiæ, ſeu roris antelucani; & ſicut exiguũ puluerem, & tãquam nihilum. Vel iſto loquendi modo ſignificare fortaſſe voluit diuina ſcriptura, productionem rerum omnium ad extra eſſe velut ludum & iocum, in comparatione productionis ad intra diuinarum perſonarum.

DECI

DECIMA QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et ſine ipſo factum eſt nihil.

48 ETsi iam dictum erat, omnia per Verbum eſſe facta; non ſuperuacaneè tamen hoc B. Ioannes adiunxit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Huius enim additionis plures cauſæ reddi poſſunt. Primò enim, ne quis fortè putaret illud *Omnia*, non abſolutè ſignificare omnia rerum genera, ſed omnes tantùm res incorporeas, & incorruptibiles, & innoxias homini, ſicut putârunt Manichæi; ideo Ioannes adiecit, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, declarans, omnia ſe rerum genera comprehendere. Deinde, in ſcriptura nonnunquam illæ voces, Omnis & Nullus, non vſurpantur vniuerſaliter, & ſine vlla exceptione; ſed pro eo, quod plurimùm, & in plurimis eſt, & maxima in parte: ne putaretur itaque hoc modo dictum fuiſſe à Ioanne, omnia eſſe facta per Verbum, id eſt, pleraque omnia; idcirco omnem exceptionem excludens, illud adiunxit, *ſine ipſo factum eſt nihil.* Ad hæc, ſicut illud, per Verbum facta eſſe omnia, indicat ordinem originis Verbi à DEO Patre, tanquam à quo & ſubſtantiam, & potentiam agendi habet: ita hoc, *ſine ipſo factum eſt nihil*, denotat indiſſolubilem ſocietatem, & coniunctionem Verbi cum DEO. Patre, & vtriuſque diſtinctionem perſonalem; ſignificat etiam, Patrem atque filium eadem voluntate, pari virtute, ac potentia, & æquali maieſtate feciſſe vniuerſa.

49 Græca lectio Latinè reddit hanc ſententiam, *ſine ipſo factum eſt ne vnum quidem.* Sed vocem illam *Nihil* in Sacris litteris triplici ſignificatione vſurpatam animaduerto. Sæpe quidem ſignificat nullam rem, vt hoc loco & alibi ſæpius; interdum tamen vſurpatur pro re deſpicabili & contemptibili, & quæ tanquam nihilûm æſtimatur: ſicut in capite quinto libri Eſther dixit Aman: *Nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.* Nonnunquam etiam res aliqua dicitur nihil, non quia nihil ſit, ſed quia in cōparatione alterius rei longè præſtantioris, quaſi

Tres in diuina ſcriptura ſignificationes huius vocis Nihil.

nihil æſtimatur: & iuxta hanc ſignificationem eſt quod legitur in libro ſapientiæ capite ſeptimo de diuina ſapientia: *Diuitias*, inquit, *nihil eſſe dixi in comparatione illius.* Huc etiam referri poſſet illud

1. ad Cor. 13. Pauli aientis, ſe, ſi charitatem non habeat, etiamſi omnem fidem & ſcientiam, & alia, quæ maxima ducuntur bona, habeat, nihil eſſe.

Ex eo quòd omnia facta ſunt per Verbum Dei, ducuntur quinque documenta.

Ex ſupradicta porrò ſententia, quòd *Omnia per Verbum facta* 50 *ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, quinque licet ad maieſtatem Verbi DEI demonſtrandam, deducere documenta. Hinc enim primò liquet, æternum eſſe DEI verbum: ſi enim per ipſum omnia facta ſunt, ergo & tempus, & æuum, & æternitas participata, omníſque duratio quæ DEI non eſt, facta eſt per Verbum: quod autem tale eſt, non poteſt eſſe non æternum. Deinde, hinc patet, Verbum DEI eſſe virtutis ac potentiæ infinitæ. Si enim omnes res per Verbum factæ ſunt, cùm inter ipſas res multæ ſint quæ non aliter fieri poſſunt, quàm ex nihilo, vt res immateriales, ſicut Angeli, & animæ rationales: ad creandum autem ex nihilo eſſe opus infinita virtute ac potentia, extra controuerſiam eſt; ergo neceſſum eſt fateri, infinitam eſſe in Verbo DEI potentiam. Præterea, hinc enoteſcit, omnes perfectiones quæ ſunt in rebus omnibus creatis, eſſe in Verbo per quod creatæ ſunt; ſed eſſe tamen excellentiori modo quàm ſint in ipſis rebus. Etenim omnis perfectio quæ eſt in effectu, eſt quoque in cauſa efficiente; vel æqualiter, ſi fuerit cauſa vniuoca, id eſt, cauſa eiuſdem ordinis cum effectu, vt homo generat hominem, & ignis producit ignem. Vel perfectio effectus eminentiori modo eſt in cauſa efficiente, ſi ea fuerit cauſa æquiuoca, id eſt, ſuperioris ordinis quàm eſt effectus, ſicut Sol generat in rebus ſublunaribus calorem & alias res. DEI autem Verbum eſt cauſa efficiens æquiuoca rerum omnium quæ per ipſum factæ ſunt. Ad hæc, hinc etiam manifeſtum fit, ſi per Verbum omnia facta ſunt, ipſum eſſe verum DEVM: hoc enim tanquam proprio DEI quodam inſigni diuina ſcriptura ſolet manifeſtare & prædicare verum DEVM, quòd ipſe ſit qui fecit cœlum & terram, &

Hierem. 10. omnia quæ in eis ſunt. Hieremias certè non dubitauit dicere illud:

Iona 1. *Dij, qui cælos & terram non fecerunt, pereant.* Et Ionas interrogantibus nautis, quis ipſe eſſet? Reſpondit: *Hebræus ego ſum, & Domi-*

Pſalmo 120. *num* DEVM *cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.* Et Dauid, *Auxilium*

xilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Hinc denique licet intelligere, quemadmodum affecti animo erga Verbum Dei eſſe debeamus. Si enim omnia per Verbum Dei facta ſunt, videntes nos & conſiderantes tantam operum eius multitudinem, varietatem, ordinem, pulchritudinem, & tot tantáſque ex operibus eius peruenientes ad nos vtilitates; oportet immenſam eius prædicare potentiam, admirari ſapientiam, amare bonitatem, venerari maieſtatem, & beneficentiam eius erga nos grato animo laudare, agendíſque gratiis celebrare.

DECIMA QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quod factum eſt, in ipſo vita erat.

Exponitur, & perpenditur multiplex horum verborum lectio, & interpretatio.

51 ILLVD *Quod factum eſt*, variè diſtinguitur, ideóque variam facit lectionem, variáſque peperit interpretationes. Prima lectio eſt hæc: *Quod factum eſt in ipſo*, vt hîc ponatur coma, & deinceps addatur: *Vita erat*. Sic legebant hæc verba hæretici Macedoniani, & Manichæi. Illi enim referentes hoc ad Spiritum Sanctum, quem à Verbo creatum eſſe dicebant, ſic hunc locum legebant & interpretabantur: *Quod factum eſt in ipſo*, id eſt, Spiritus Sanctus qui factus eſt per Verbum, *Vita erat*, id eſt, viuificans omnia: ſolet enim ſcriptura Spiritui Sancto appropriare munus viuificandi. Dominus enim dixit: *Spiritus eſt qui viuificat:* & in Symbolo dicitur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum viuificantem.* Sed iſta lectio & interpretatio & ſententia ex ipſo verborum contextu manifeſtè refellitur: illud enim *Vita erat*; non pertinere ad Spiritum Sanctum, ſed ad verbum, ex eo liquet, quod proximè ſubditur: *Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, &c.* quæ deinceps ſequuntur, perſpicuè ad Verbum Dei pertinentia. Manichæi verò, eandem ſequuti lectionem, ex ea pro

Quadruplex lectio horum verborum.

Prima lectio, Macedonianorũ & Manichæorum.

Auguſtinus. ea probare volebant, vt memorat hoc loco Auguſtinus, omnia quæ facta ſunt per Verbum, habere vitam, etiam terram, & lapides, & metalla: quia Ioannes dixit, Quicquid factum eſt in ipſo Verbo, vitam fuiſſe, id eſt, habuiſſe vitam. Verùm falſitatem iſtius lectionis arguit & conuincit abſurditas ipſa ſententiæ, vt non alia opus ſit confutatione.

2. lectio, Hilary. Alteram horum verborũ lectionem indicat Hilarius in libro ſe- 52
cundo de Trinitate hunc locum ſic legens: *ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo*: & ſic interpretatur: Ne putaretur, ſine ipſo quidem nihil eſſe factum, multa tamen non ab ipſo, ſed ab alio quopiam principio eſſe facta; ideo poſt illud *ſine ipſo factum eſt nihil*, proximè adiunctum eſt, *Quod factum eſt in ipſo*, quaſi ſignificans, nec ſine ipſo, nec niſi per ipſum, quidpiam eſſe factum; illud ſignificat voluntatem, hoc efficientiam. Sed enim, propterea lectio hæc atque interpretatio non eſt admodum probabilis, quia iam paulò ante dictum fuerat omnia per Verbum eſſe facta; ſuperuacaneum igitur fuiſſet, iterare eandem ſententiam dicendo, *Quod factum eſt in ipſo*, ſi hoc ita, vt dixit Hilarius, intelligatur.

3. lectio, Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij. Tertius modus diſtinguendi & legendi hæc verba eſt Chryſo- 53
ſtomi, Theophylacti, & Euthymij: qui illud *Quod factum eſt*, iungunt cum proximè ſuperioribus illis verbis, *& ſine ipſo factum eſt nihil*; ita legentes hunc locum: *ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. & poſt hæc verba, aliam inchoant ſententiam, *Vita erat, & vita erat lux hominum, &c.* Secundùm itaque iſtam lectionem ſenſus horum verborum eſt huiuſmodi: Ne putaretur, Ioannem, cùm dixit, omnia per Verbum eſſe facta, intellexiſſe ſimpliciter omnia quæ ſunt, & occaſionem dediſſe putandi, etiam Spiritum Sanctum fuiſſe factum per Verbum, ſicut dixerunt Macedoniani; ad hanc propulſandam opinionem, continuò adiecit, *Quod factum eſt*, vt ſit ſenſus, cùm dictum eſt, omnia eſſe facta per Verbum, intelligere oportet id non de omnibus ſimpliciter quæ ſunt, ſed de *Epiphanius.* omnibus quæ facta ſunt. Hanc certè lectionem Epiphanius in Ancorato adeò probat, vt aliam quamcunque, ceu hæreticam damnare videatur: odio videlicet Macedonianorum, & Manichæorum, qui aliter hunc locum legentes, ex eo falſa dogmata ſua ſubſtruere atque ſubornare conati ſunt. Sed contra iſtam lectionem

facit

facit illud, quòd per eam planè deſtruitur artificioſa & pulchra illa ſententiarum inter ſe connexio, qua vſum eſſe Ioannem in principio ſui Euangelij, ſuprà oſtendimus. Apparet enim Ioannem in exordio huius primi capitis pleraſque ſententias ſic inuicem continenti ſerie nexuiſſe atque colligâſſe, vt ab eadem voce ſententiam ſequentem inchoaret, in qua terminauerat antecedētem. Hoc autem tollitur ſecundùm iſtam lectionem; ſecundùm quam præcedens ſententia eſt hæc: *ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo.* ſequens autem ſententia eſt hæc: *Vita erat, & vita erat lux hominum &c.* Liquet autem, principium ſentētiæ ſequentis longè diuerſum eſſe à fine antecedentis ſententiæ.

54 Quarta diſtinctio & lectio horum verborum eiuſmodi eſt, vt poſt illud, *Quod factum eſt*; ponatur coma, & ſubiungatur, *In ipſo vita erat.* Hanc lectionem ſimiliter quidem ſequuti ſunt Cyrillus & Auguſtinus; diſſimiliter tamen eam intellexerunt atque interpretati ſunt. Cyrillus enim putat, quia Ioannes ſuperiori ſententia declarauerat, Verbum fuiſſe cauſam efficientem rerum omnium; ideo nunc eum oſtendere ſupradictis verbis rerum omnium conſeruationem, & quaſi vitam à Verbo pendere. Sicut enim nihil fieri potuiſſet, niſi per Verbum eſſet factum; ita nihil perduraret atque permaneret, niſi per Verbum DEI conſeruaretur, & quaſi manu teneretur. Quocirca Paulus dixit, Filium DEI omnia portare Verbo virtutis ſuæ: atque hoc idem ſignificauit Dauid in Pſalmo centeſimo trigeſimo octauo dicens, *Ecce Domine tu formâſti me*, ſignificans DEVM eſſe conditorem & effectorem ipſius: deinde ſubdit, *Et poſuiſti ſuper me manum tuam*, ſignificans DEVM eſſe conſeruatorem & rectorem ipſius, quaſi manu ipſum teneret & ſuſtentaret & regeret: huius item ſimile eſt quod in capite vndecimo libri ſapientiæ legitur: *Quomodo*, inquit, *poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?*

Quarta lectio quæ eſt Cyrilli, & Auguſtini.

Ad Hebr. 1.

55 Ad hanc igitur lectionem & interpretationem Cyrilli applicando hæc verba Ioannis, dupliciter exponi poteſt illud, *In ipſo vita erat*, nam illud, *In ipſo*, referri poteſt vel ad ipſum Verbum, vel ad id quod factum eſt: ſi referatur ad Verbum, reddit hunc ſenſum: Quod factum eſt à Verbo, id erat vita in ipſo Verbo, id

eſt, conſeruabatur, & quaſi viuificabatur à Verbo: nomen enim vitæ tum hîc, tum alibi ſæpe in Sacris litteris, latè ſumitur, ita vt ſignificet conſeruationem, ſicut verbum viuificare, frequenter vſurpatur pro eo quod eſt conſeruare. Omnia igitur quæ facta ſunt, in Verbo ſunt vita, quia per Verbum viuificantur & conſeruantur. Sin autem illud, *In ipſo*, referatur ad id quod factum eſt; & illud, *Vita erat*, referatur ad ipſum Verbum, erit hic ſenſus: In omni eo quod factum eſt, Verbum erat vita, id eſt, Verbum rebus à ſe factis vitam & vigorem & conſeruationem præſtabat, vt ſubſiſtere poſſent: atque hæc eſt quidem Cyrilli explicatio huius loci; eáque magis congruit coniunctioni huius ſententiæ cum ſequentibus; nam cùm ſubditur, *& Vita erat lux hominum*, ſine dubio illud, *Vita*, refertur ad Verbum DEI: ergo etiàm in præcedenti ſententia illud, *Vita erat*, ad Verbum referri debet, vt eadem vox & præcedentem claudat ſententiam, & inchoet ſequentem. Quòd autem verbum viuificare latè ſumatur pro conſeruare, patet ex eo quod Paulus de DEO dixit, *Qui viuificat omnia*: & Dauid in Pſalmis loquens cum DEO ſæpè vſurpat illud, *Viuifica me ſecundùm verbum tuum*: & in primo libro Regum capite vigeſimo ſeptimo ſcriptum eſt, Dauidem cùm irrueret in hoſtes populi DEI, nullum eorum viuificâſſe, id autem eſt, nullum conſeruâſſe in vita, ſed omnes dediſſe neci. Sicut illud, *Viuifica me ſecundùm verbum tuum*, hæc ſignificat, ſerua me in vita, nec me in mortis diſcrimen venire pariaris, *ſecundùm verbum tuum*, id eſt, ſecundùm promiſſionem tuam; quam promiſſionem ipſe pluribus verbis exponit in Pſalmo octogeſimo octauo.

Prima ad Timotheum 6. *Pſal. 118.*

DECIMA SEXTA DISPVTATIO.

Diligenter explicatur eorundem iſtorum verborum, Quod factum eſt, in ipſo vita erat, *interpretatio, quam tradit B. Auguſtinus, quæ eſt valde ſubtilis & planè theologica.*

56 BEATVS Auguſtinus in primo Tractatu ſuper hoc Euangelium explanans hæc verba Ioannis, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: illud, *In ipſo*, refert ad Verbum DEI; illud autem,

autem, *Vita erat*, refert ad illud, *Quod factum eſt*, hoc ſenſu: Quidquid per Verbum factum eſt, id vita eſt in ipſo Verbo. Omnia enim quæ facta ſunt, priùs quàm fierent, erant in potentia effectrice ipſius Verbi: & nunc etiam, poſtquàm iam facta ſunt, in eiuſdem Verbi notitia & cognitione ſunt: quidquid autem eſt in DEO, eſt ipſe DEVS, & ideo habet eſſe viuens & diuinum. Sicut domus quæ fit ab architecto, priùs fuit ſecundùm artem in mente architecti habens ibi eſſe intelligibile: quemadmodum igitur domus facta eſt quidem materialis & ſenſibilis, ſed priùs quàm fieret, in mente artificis erat, habens eſſe immateriale, atque intelligibile: ita, licèt non omnia quæ facta ſunt, habeant in ſe vitam; ea tamen ratione vt in DEO ſunt, cùm idē ſint quod ipſe DEVS, habent vtique vitam diuinam: quocirca peruulgatum eſt apud ſcholaſticos Theologos illud Anſelmi dictum, in capite tertio ſui Monologij, quod, Creatura in DEO, eſt creatrix eſſentia, & Deitas. Hanc porrò interpretationem fusè tractat idem Auguſtinus in libro quinto ſuper Geneſin ad litteram capite decimo quarto & decimo octauo: cuius explanationi ſubſcripſit hoc loco Rupertus, & adſtipulati ſunt, qui poſt Auguſtinum fuerunt, omnes fermè Latini Doctores. Nobilitas itaque ac celebritas huius interpretationis & ſententiæ poſcit, vt eam paulò ſubtiliùs, enucleatiúſque tractemus. *Anſelmus.*

57 Scire igitur conuenit, omnia quæ facta ſunt, tripliciter eſſe in DEO, & in ipſo Verbo. Primò quidem, ſunt in DEO ſecundùm cauſalem eius efficientiam; omnis enim effectus ſecundùm virtutem cauſalem, præexiſtit in cauſa eius efficiente. Deinde, ſunt omnia in Verbo ſecundùm cognitionem: habet enim Verbum diſtinctam & propriam cuiuſlibet rei cognitionem: omne autem quod cognoſcitur, eſt in ipſo cognoſcente per intelligibilem eius ſpeciem quæ repræſentat ipſum intellectui: in ipſo autem Verbo non eſt alia ſpecies repræſentans ei omnia intelligibilia, niſi ipſa diuina eſſentia. Ad hæc, omnia quæ facta ſunt, in DEO ſunt propter eminentiam perfectionis diuinæ, quæ cùm ſit infinita, neceſſariò continet omnes perfectiones quæ ſunt in rebus creatis, ſed eminenter. Hæc autem eminentia diuina in quattuor rebus poſita eſt: primò, quia continet eandem perfectionem, ſed infinitis *Tribus modis omnia quæ facta ſunt, eſſe in Deo.* *Deum quattuor modis continere omnia eminèter.*

partibus excellentiùs, quàm ſit in re creata, exempli gratiâ, ſapientiam, iuſtitiam, & potentiam, quæ eſt in hominibus & in Angelis, habet DEVS eminentiſſimo modo: ſicut Sol eminenter dicitur lucidus, & ignis calidus reſpectu aliorum quæ lucida & calida ſunt. Deinde, DEVS continet perfectiones rerum creatarum ſecundùm eſſe multò nobilius quàm ſint in ipſis rebus, habent enim in DEO eſſe diuinum: ſicut artifex formam domus in animo & arte ſua continet, ſecundùm eſſe immateriale atque intelligibile. Præterea; quia vnica & ſimpliciſſima DEI perfectio æquipollet, immò infinitè præpollet cunctis perfectionibus quæ ſunt in rebus creatis: ſicut vna præſtantiſſima gemma, vt Adamas, vel Margarita, maioris pretij eſt, quàm plurimi nummi argentei vel aurei. Poſtremò, DEVS eminenter continere dicitur omnes perfectiones, quia continet eas citra vllam imperfectionem & defectus, qui cum perfectionibus permixti ſunt in ipſis rebus creatis: ſunt autem tres eiuſmodi defectus. Primò, perfectionem ſuam creatura non habet à ſe, ſed à DEO pendentem. Deinde, habet perfectionem determinatam, & certo quodam gradu definitam. Tum, præſtantiſſima perfectio quæ eſt in nobiliſſima creatura, hominem dico & Angelum, eſt autem ea perfectio ſuprema eius felicitas in clara DEI viſione conſiſtens; hæc, inquam, perfectio non eſt homini nec Angelo ſubſtantialis neque naturalis; ſed accidentalis & ſupernaturali dono DEI eis data.

Perfectio rerũ creatarum mixta eſt cũ triplici imperfectione & defectu.

B. Dionyſius. Triplex ſimilitudo, qua oſtenditur, quemadmodũ omnia contineantur in Deo.

Ad hoc declarandum quod diximus, omnia in DEO contineri, vtitur Beatus Dionyſius in libro de Diuinis Nominibus triplici 58
ſimilitudine: vna eſt circuli, de cuius centro exeunt plures lineæ: ſed in centro lineæ illæ ſunt vnitè, atque indiuiſibiliter, quò longiùs autem recedunt à centro, eò magis ac magis inter ſe diſiunguntur & diſtant. Altera ſimilitudo eſt Monadis ſiue Vnitatis, quæ principium eſt omnium numerorum: & ſicut numerus non eſt aliud quàm vnitas ipſa variè multiplicata; ita non eſt aliud creatura, quàm natura diuina variè atque imperfectè participata. Tertia ſimilitudo eſt lucis ſolaris; quam ſimilitudinem pluribus verbis proſequitur Dionyſius in prima parte libri de Diuinis Nominibus, & in capite quarto. Quoniam igitur omnia quæ facta ſunt, in ipſo Verbo ſunt tripliciter, & ſecundùm cauſalem potentiam, & ſecundùm

cundùm omnimodam notitiam, & ſecundùm eminentiam diuinæ perfectionis; ea verò ratione qua res in DEO ſunt, idem planè ſunt quod ipſe DEVS qui eſt vita; ex eo apparet, veriſſimè dictum eſſe, quicquid à Verbo factũ eſt, in ipſo Verbo eſſe vitam.

59 Cæterùm, quæri hôc loco dignum eſt, *Vbi creatura verius eſſe habeat, in Deóne, an in ſe ipſa?* Sed ad hanc quæſtionem facilis eſt & prompta reſponſio. Illud enim (*verius*) ambiguæ ſignificationis eſt: ſi enim ſignificet idem quod nobilius & perfectius, procul dubio res habent verius eſſe in DEO quàm in ſe ipſis; habent enim in DEO eſſe viuens, intelligens, increatum, infinitum, & vt verbo dicam, diuinum. Sin autem illud (*verius*) ſignificet idem quod magis proprium & conueniens naturæ ipſius rei; habet profectò res verius eſſe in ſe ipſa: nam eſſe conueniens, exempli gratiâ, naturæ hominis, eſt eſſe corporeum, & mortale, & ſentiens, & per diſcurſum intelligens, & finitæ perfectionis, & à naturis aliarum omnium rerum diſtinctum: tale autem eſſe non habet homo prout eſt in DEO, ſed prout extra DEVM eſt in, ſe ipſo & in mundo. At enim, cognitio rerum creatarum prout illas Beati cognoſcunt in Verbo, multò nobilior & ſuauior eſt quàm earundem rerum, prout extra DEVM ſunt in ſe ipſis, cognitio: quemadmodum longè ſuauius eſt comedere pirum vel ceraſum, prout melle vel ſaccharo ſunt optimè condita, quàm ea comedere, qualia ex arbore producuntur & decerpuntur: & ad hoc ſignificandum B. Auguſtinus cognitionem rerum in Verbo appellauit matutinam; earundem verò rerum cognitionem in ipſiſmet rebus, voſpertinam nominauit.

Vtrum creaturæ verius eſſe habeãt in Deo, an in ſe ipſis.

Auguſtinus.

DECIMA SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et vita erat lux hominum. VERS. 4.

60 TRIA ſuper his verbis diſtinctè ſunt, explicatéque tractanda: Primò, cur Verbum dicatur vita? deinde, cur vocetur lux? tum, cur præcipuè ac propriè appelletur lux hominum? Vita nominatur Verbum per quandam excellentiam, habet enim

Verbum Dei appellari vitã propter ſex vitæ perfectiones, quas excellenter habet.

excellenter ſex perfectiones vitæ. Primò, habet vitam æternam ſine principio & fine; & idcirco in Sacris litteris appellatur *Viuens in æternum*, ſicut legitur apud Danielem capite duodecimo, & apud Ioannem in Apocalypſi capite quinto & decimo, Angelum iuraſſe per *Viuentem in ſæcula ſæculorum*; & in capite decimo octauo libri Eccleſiaſtici ſcriptum eſt, *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Deinde, Verbum habet vitam omnino inuariabilem atque incommutabilem, eodémque in ſtatu vigoris & perfectionis perpetuò conſiſtentem. Tum, totus ipſe DEVS eſt vita, nec in eo quidquam eſt quod non viuat, eius námque ſapientia, & potentia, eſt vita; eius intellectus, & voluntas eſt vita. Ad hæc, à ſe ipſo habet vitam, & ſolus ipſe DEVS ſibi ſufficiens eſt ad perfectè beatéque viuendum. Præterea, habet vitam infinitæ virtutis & perfectionis, ita vt per eam omnia quæ ſunt in DEO & viuant & ſint vita. Poſtremò, talis eſt eius vita, vt ſit fons omnis vitæ. Ariſtoteles in libro ſecundo de Anima diſtinguit quattuor gradus viuentium, faciens quadruplex viuere, ſcilicet, nutriri, ſentire, moueri à ſe ipſo ſecundùm locum, & intelligere: & licèt hic vltimus gradus viuendi tantùm ſit in DEO, propter imperfectionem aliorum trium; omnes tamen gradus vitæ, qualeſcunque fuerint, ex infinita illa DEI vita promanant.

Ariſtoteles.

Deus quadruplicem vitam tribuit animæ rationali.

Epheſ. 2.

Animæ autem rationali quadruplicem vitam tribuit DEVS: 61 vnam quidem naturalem, qua & ipſa per ſe viuit anima, & viuificat corpus mortale. Altera eſt vita gratiæ, de qua loquens Paulus dixit: Nos, cùm eſſemus mortui peccatis, viuificatos eſſe per CHRISTVM: & ſicut in diuina ſcriptura peccatum ſæpe nomine mortis appellatur; ita nomine vitæ frequenter vocatur gratia. Tertia vita eſt gloriæ cœleſtis, nondum tamen completæ, atque conſummatæ; & hæc vocatur æterna vita, quam nunc in cœlis beatæ animæ ſine corporibus ſuis viuunt. Quarta vita, eſt gloriæ conſummatæ; cùm reſuſcitatis corporibus, ſuo quæque corpori tribuet anima beata vitam immortalem. Quoniã igitur tam multiplex & admirabilis vita ex Verbo DEI promanat, meritò B. Ioannes hoc loco dixit, Verbum eſſe vitam: meritò etiam Dauid illud cecinit: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Locus Pſalmi 35.

DECI

DECIMA OCTAVA DISPVTATIO.

Cur Verbum DEI *dicatur lux hominum?*

62 DEINCEPS explicandum eſt, cur Verbum ſit dictum lux, & cur præcipuè ac propriè lux hominum? Non eſt Verbum lux corporalis, vt ſit ipſe Sol non hominibus ſolùm, ſed etiam ipſis brutis lucens, quemadmodum ſtultè Manichęi dixerunt: Sed appellatur in diuina ſcriptura CHRISTVS lux metaphoricè, propter ſeptem nimirum huius proprietates, quæ adumbrant & referunt diuinas Verbi proprietates. PRIMA, eſt pulchritudo & decor lucis; quæ tanta eſt, vt non ſolùm ipſa lux per ſe decora & pulchra ſit, verùm aliis etiam rebus decorem ac pulchritudinem impertiatur: vnde in Canticis dicitur: *Pulchra vt Luna*, & in Pſalmo centeſimo tertio dicitur DEVS amictus lumine tanquam veſtimento. SECVNDA, eſt puritas & munditia lucis: ea námque, licèt per omnia permeet, etiam ſordidiſſima, nullius tamen impuritatis contagione inquinatur. TERTIA, eſt efficacitas lucis; per lucem enim cœleſtem cuncta quæ ſub cœlo ſunt, generantur, conſeruantur, augentur, & ad maturitatē, perfectionēmq; adducuntur. QVARTA, eſt lætitia & gaudium quo implet omnia, præſertim verò animantes, & in his præcipuè hominem: quocirca Salomon in capite vndecimo Eccleſiaſte dixit: *Dulce lumen, & delectabile oculis videre Solem.* & cœcus ille Tobias: *Quod gaudium*, inquit, *mihi eſſe poteſt, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* QVINTA, eſt manifeſtatio rerum; etenim ſine luce, indiſcreta iacet rerum omnium facies; per lucem verò manifeſtantur rerum differentiæ; & per aſpectum cœleſtis lucis non ſolùm motus, & ordo, & magnitudo, & figura, & immortalitas, & virtus cœleſtium corporum deprehenditur; ſed etiam vſque ad incorporearum mentium cognitionem penetrat & peruenit humanus intellectus. SEXTA, eſt mira velocitas lucis in illuminando; ſubitò enim, & velut puncto temporis maximum quodvis ſpatium, lucis capax, vſquequaque colluſtrat. SEPTIMA, eſt generalis virtus illuminandi quam habet lux, per omnes res corporeas, tā ſublunares, quàm cœleſtes, pertinens

Septē proprietates lucis, ob quas Deus vocatur lux.

Cant.6.

Tobiæ 5.

nens atque peruadens. Et hæ quidem ſeptem proprietates lucis corporalis, ſecundùm ſpiritualem intelligentiam acceptæ, mirificè

Dionyſius. cõpetunt Verbo DEI; de quo legendus eſt B. Dionyſius in quarto capite primæ partis libri de Diuinis Nominibus, vbi diuinam virtutem cum luce Solis variè comparans affirmat, lucem eſſe pulcherrimam imaginem diuinæ potentiæ atque bonitatis.

Cur Verbum Dei appelletur lux hominũ. Reſtat explicandum, cur Verbum DEI dictum ſit eſſe lux ho- 63
minum? Reſpondeo, ſic eſſe appellatum Verbum DEI ob quattuor bona ſpiritualia, quæ præſtat homini, & quæ ſimilitudinem habent quattuor proprietatum lucis. Lux enim manifeſtat res, facítq; vt eas videre & diſcernere poſſimus: ſimiliter Verbum DEI primò donat homini lumen fidei, per quod manifeſtantur diuina myſteria, quæ lumen rationis naturalis excedunt. Deinde, CHRISTVS largitur homini gratiam quæ èſt donum ſupernaturale & diuinum, mira pulchritudine decorans & ornans animam hominis, faciénſque DEO eam gratam & amabilem: quamobrem diuina ſcriptura gratiam, propter decorem & pulchritudinem quam præſtat animæ noſtræ, ſæpe appellat nomine lucis. Ad hæc, CHRISTVS homini tribuit charitatem, & alias virtutes infuſas, per quas homo facit bona opera, Deóq; accepta, & præmiis æternis digna. Quam ob cauſam, cùm aliæ virtutes, tum maximè charitas, lux in diuinis litteris nominari ſolet. Præterea, CHRISTVS poſt hãc vitam, ſeruis ſuis æternam præbet felicitatem, quæ ineffabili lætitia, ſempiternóque gaudio Beatos complet; ob ídq; cœleſtem gloriam & beatitùdinem nomine lucis multifariam in Sacris litteris adumbratam legimus. Quin etiam, mos eſt Sacræ ſcripturæ, ingens aliquod gaudium & proſperitatem, etiam corporalem atque temporalem, nomine lucis denunciare: contra verò, maximas hominum calamitates, & miſerias, nomine tenebrarum ſignificare, idque perfrequens in Prophetis.

Cur Verbum dicatur lux hominũ tantùm, & non etiã Angelorum? Sed cur Verbum dicitur lux hominũ præcisè, & non etiam lux 64
Angelorũ, cùm illuminatio Angelorũ per Verbũ DEI, multò ſit, quàm hominũ illuminatio, præſtãtior? An quia propoſitũ B. Ioanni fuerat ſcribere de Verbo DEI, ea potiſſimùm ratione, vt ipſum præcipuam quandã prouidẽtiam & curã gerit hominũ; non ſolùm eos creando, & naturali atque ordinaria prouidentia conſeruando,

illumi

illuminando,& regēdo: ſed etiam per ſingularem quandam & admirabilem prouidentiam docendo eos diuina & ſupernatutalia myſteria; oſtendendo rectam viam quæ ducit ad æternam vitam; eripiendo poteſtati Dæmonum, à ſeruitute peccati liberando, donis cœleſtibus & diuinis ornando & honorando? An quia illuminatio hominum facta per verbum DEI, notiſſima fuit ipſi homini: Verbum enim caro factum eſt per ſuam prædicationem, & per doctrinam & prædicationem Diſcipulorum ſuorum manifeſta illuminatione tenebras errorum atque vitiorum expulit, luce veritatis & iuſtitiæ atque ſanctitatis oblata? An vt exploderet falſam quorundam Philoſophorum ſententiam aientium, humanum intellectum illuminari ab infima intelligentia cœleſti, ſicut dixit Auicenna, & alij quidam Arabes Philoſophi? An potiùs ita B. Ioannes locutus eſt, quia ſi intellectus humanus, qui Angelicorum ordinum intellectibus comparatus, eſt infimus, & à DEI cognitione remotiſſimus, ab ipſo tamen DEO illuminatur; quantò magis putare conuenit, etiam Angelos à DEO illuminari? Mihi iſtarum rationum prima præ cæteris probatur. *Auicenna.*

DECIMA NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. VERSV 5.

65 DECLARANDVM primo loco eſt, quid ſignificetur hîc nomine tenebrarum? deinde, quomodo lux in tenebris luceat, & quomodo tenebræ eam non comprehenderunt? Quid ſignificetur nomine tenebrarum, ſex reperio interpretationes. PRIMA eſt Cyrilli tenebras interpretantis creaturam rationalem; hæc enim quia lucem intelligentiæ non habet à ſe, ſed ignorantiam magis, quamquam capax eſt intelligentiæ; idcirco nomine tenebrarum ſignificata eſt à B. Ioanne. SECVNDA interpretatio eſt Caietani, per tenebras ſignificari creaturas irrationales, ſic appellatas, quia carent lumine *Quid nomine tenebrarũ ſignificetur, ſex interpretationes.* *Prima Cyrilli.* *Secunda Caietani.*

intellectuali; & ideo non poſſunt lucem Verbi comprehendere, quia cognitionem Dei nullo modo attingunt. *Tertia Chryſoſtomi.* TERTIA eſt Chryſoſtomi, tenebras interpretantis & mortem, quæ eſt humani generis commune malum, & errores gentilitatis. Etenim virtus CHRISTI eluxit in morte; cùm eam ſua morte deſtruxit, nec mors eum potuit comprehendere ac detinere; ſed ſtatim à morte reſurrexit ad vitam immortalem, & beatam. Nec infidelitas gentilium, erroréſque veritatem fidei & doctrinæ CHRISTI comprehendere, id eſt, obſcurare potuerunt; quin potiùs errores gentilitatis CHRISTVS infuſa veritatis luce diſcuſſit. *Quarta interpretatio.* QVARTA interpretatio quorundam, nomine tenebrarum ſignificari exiſtimantium aduerſarias poteſtates & ipſos Dæmones, quos etiam Sacra ſcriptura appellat principes & poteſtates tenebrarum. In iſtis autem luxit CHRISTVS dupliciter: eos namq; potentia CHRISTI ex humanis corporibus inuitos atque repugnantes eiecit, etiã palàm teſtificantes ipſum eſſe virum iuſtum & ſanctum, & Filium DEI, & CHRISTVM. *Matth. 8. & alibi. Luca 11. Ioan. 12.* Effulſit quoque CHRISTI potentia in victoria Dæmonis, quem, vt ait ſcriptura, CHRISTVS alligauit, & ſpoliauit, & foràs eiecit.

Quinta interpretatio Auguſtini, Bedæ, Ruperti, etiã ipſius Caietani. QVINTA interpretatio eſt Auguſtini, & Bedæ, & Ruperti, & 66
quam Caietanus poſteriori loco commemorat, eamque cum ſequentibus ſententiis huius capitis maximè congruere fatetur. Secundùm iſtos, nomine tenebrarum ſignificantur homines peccatis & erroribus obtenebrati & obcæcati: ſolet enim diuina ſcriptura & ipſa peccata, & ipſos homines peccatores appellare tenebras: ſanè, Paulus ad Epheſios ſcribens capite quinto, *eratis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* *Locus ad Epheſ. 5. c. 5. Ad Rom. 13.* & alibi Paulus diſtinguit filios lucis & filios tenebrarum. Quemadmodum autem Verbum DEI in huiuſmodi hominibus peccatoribus tam exteriùs quàm interiùs, & multis, variíſque modis luceat, opportuniùs declarabitur paulò infrà ſuper illis verbis, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioannes porrò ſignatè in præſenti tempore dixit, *lucet*, & non, (luxit, aut lucebat,) vt ſignificaret, illuminationem DEI ſuper homines, etiam peccatores, nunquam intermitti, ſed eſſe perpetuam; vt ob eius defectum non poſſit quiſquam peccatum ſuum excu

excuſare. Hanc verò lucem tenebræ non comprehenderunt, quia multi peccatis obcæcati eam recipere noluerunt: alij receptam, & perſpectam, ſcientes & volentes auerſati ſunt, præpoſitis vitiorum & voluptatum tenebris. Alij, ne hoc quidem contenti, etiam oppugnare lucem ipſam auſi ſunt, & quantum in ipſis fuit, extinguere conati; de quibus nempe Dominus dixit: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Ad iſtos quoque pertinent verba illa Iob quæ ſunt in capite vigeſimo quarto libri eius, *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius.*

Tribus modis tenebræ non comprehenderunt lucem.

Ioan. 3.

67 SEXTA interpretatio eſt, nomine tenebrarum ſignificari quidem homines peccatores, non tamen generatim atque indifferenter quoſlibet ſicut in quinta interpretatione dictum eſt; ſed ſpeciatim & propriè ipſos perfidos Iudæos, quibus Verbum caro factum præcipuè luxit; ipſi verò eius lucem repudiarunt & abiecerunt. Hanc ſextam interpretationem valde adiuuat illud quod paulò poſt hæc verba ſubiungitur: *In propria venit, & ſui eum non receperunt*; quod de Iudæis dictum eſſe, dubitari non poteſt. Quin etiam, Ioannes ipſe infrà capite duodecimo ad Iudæos pertinere affirmat verba illa quæ ſunt apud Iſaiam capite ſexto, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Quinque porrò modis luxit CHRISTVS Iudæis: per cœleſtis doctrinæ ſalutiferam prædicationem: per clariſſima virtutum exempla & ſanctitatis vitæ: per effectionem ſupernaturalium operũ & miraculorum: per impletionem veterum prophetiarum quæ de ipſo CHRISTO in veteri teſtamento erãt: per teſtificationem Ioannis Baptiſtæ, aliorúmque Iudæorum inſigni iuſtitia ac pietate præſtantium; quibus adiungi poteſt ipſorum etiam Dæmonum teſtimonium de CHRISTO Domino.

Sexta interpretatio.

Locus Iſaiæ cap. 6.

Quinque modis Chriſtum luxiſſe Iudæis.

68 Sed enim, dicet fortaſſe aliquis, ſi lux in tenebris lucet, quomodo tenebræ non ſunt illuminatæ, ipſam lucem comprehendentes, præſentia enim lucis extemplò tenebras fugat, & locum ante tenebroſum reddit lucidum? Reſpondeo: ſi corpus aliquod opacum ſit in media luce, extrinſecus quidem ſecundùm externam ſuperficiem illuſtratur, intrinſecus tamen lucem non admittit,

Quomodo lux lucens in tenebris non eas diſcutiat.

quia lucis, niſi corpus diaphanum, capax non eſt. Si quis item cœcus ſit, vel clauſos habeat oculos, quamuis multa ſit luce circumfuſus, lucem tamen nullatenus cernet: conſimili quadam ratione homo peccator, licèt diuina luce perfuſus ſit, attamen propter interiorem quandam animi opacitatem & cordis cœcitatem ex diuturno peccandi vſu contractam, atque inolitam, diuinæ veritatis & gratiæ lucem haud quaquam comprehendit. Audiat lector, quid in hanc ipſam ſententiam de Iudæis in capite duodecimo huius Euangelij ſcripſerit B. Ioannes: *Cùm tanta*, inquit, CHRISTVS *ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eũ.* Similis profectò fuit de Iudæis expoſtulatio Moſis, in capite vigeſimo nono Deuteronomij hiſce verbis expoſita: *Vos* (loquitur Moſes Iudæis) *vidiſtis vniuerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti, ſigna & portenta ingentia: & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſint audire, vſque ad præſentem diem.* Similia eorum quæ diximus, tradit Auguſtinus, ſuper hoc ipſo loco ita ſcribens: Homo poſitus in Sole cœcus, præſens eſt illi Sol, ſed ipſe Soli abſens eſt: ſic omnis ſtultus & iniquus atque impius, in corde ſuo cœcus eſt. Præſens eſt illi ſapientia DEI, ſed cùm præſens eſt cœco, oculis eius abſens eſt; non quia ipſa ſit ei abſens, ſed quia ipſe eſt abſens ab illa. Quid ergo faciet iſte homo: mundet, vnde ſapientia DEI poſſit videri. Si enim propterea quis videre non poſſet, quia ſordidos vel ſaucios haberet oculos, irruente puluere, aut pituita, aut fumo; diceret illi Medicus, Purga ex oculo tuo quidquid mali eſt, vt lucem oculis tuis videre poſſis. Puluis, pituita, fumus, peccata ſunt, tolle iſta ex corde tuo, & videbis lucem ſapientiæ quæ præſens eſt tibi; DEVS enim, qui vbique eſt, eſt ipſa ſapientia: & dictum eſt à Domino: *Beati mundo corde, quia ipſi* DEVM *videbunt.* hæc Auguſtinus.

Auguſtinus.

Matth.5.

VIGESIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Fuit homo miſſus à DEO, cui nomen erat Ioannes, *& cætera quæ ſequuntur vſque ad illud*, Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. VERS. 6.

69 PAVCA quædam interponuntur hoc loco de B. Ioanne Baptiſta,duas ob cauſas: primò quidem,vt ex eius comparatione, cuius magna erat apud Iudæos ſanctitatis & auctoritatis exiſtimatio, clariùs enoteſceret CHRISTI Domini excellentia; Siquidem ſumma Ioannis dignitas in eo fuit, quòd CHRISTI præcurſor,& prænũcius,& teſtis,& præco fuit. Deinde,verba hæc de Ioanne Baptiſta facere voluit Ioannes Euangeliſta,vt quia mox dicturus erat, Iudæos non recepiſſe miſſum ad ſe CHRISTVM, præmonſtraret, eorum ignorantiam CHRISTI, prorſus eſſe inexcuſabilem: etenim Ioannes Baptiſta præmiſſus à DEO fuerat, vt aduentum CHRISTI Iudæis denunciaret, & digito ſuo præſentiam eius demonſtraret.

70 Appellatus eſt autem Ioannes Baptiſta *homo*, ne fortè quiſquam vel propter inuſitatam eius vitæ aſperitatem, vel propter vaticinium Malachiæ, appellantis ipſum Angelum, putaret non fuiſſe eum verum hominem. Origenes certè non dubitauit hoc loco *Origenis error.* Ioannem dicere fuiſſe Angelum incarnatum: quin etiam veriſimile putat, incarnato verbo DEI, nonnullos etiam Angelorum incarnari voluiſſe; tum,in obſequium & miniſterium ipſius Verbi incarnati: tum, quoquo modo aſſimilari ei cupientes: quemadmodum, ſi Rex vulgarem & vilem aliquem ſumat veſtitum, confeſtim aulæ principes ſimilem induendi veſtitum inceſſit cupido. At enim Ioannem fuiſſe Angelum, non modò falſum, ſed abſurdum & impoſſibile eſt. Ioannes enim, vt verus homo, & conceptus,& natus,& educatus,& conuerſatus cum hominibus,& mor-

tuus eſt. Nec potuit, qui vetus homo erat, fuiſſe Angelus, niſi vel Angelo informante corpus humanum, eo modo quo anima rationalis informat ipſum; ſed cùm Angelus ſit natura quædam omnino completa in gradu Angelico, non poteſt eſſe forma & pars eſſentialis naturæ humanæ, quæ tam diuerſo in gradu conſtituta eſt. Vel id factum eſſet, aſſumente Angelo naturam humanam ſine eius perſonalitate, in vnitatem perſonæ Angelicæ, ſicut Verbum DEI aſſumpſit naturam humanam in vnitate ſuæ perſonæ; ſed hoc proprium eſt Verbi DEI, nec alij naturæ conuenit quàm infinitæ poteſtatis & perfectionis. Malachias porrò in capite tertio vocauit Ioannem Baptiſtam Angelum, ſiquidem ipſemet Dominus Malachiæ verba referens, ea de Ioanne Baptiſta eſſe ſcripta dixit; Ioannem inquam vocauit Malachias Angelum, vel propter admirabilem eius ſanctitatem vitæ, Angelicā nempe magis quàm humanam: vel propter officium annunciandi aduentum CHRISTI. Angeli enim nomen ſignificat nuncium.

Angelum non poſſe incarnari.

Cur Ioannes Baptiſta dictus ſit Angelus? Matth. 11. Locus Malachia cap. 3.

Sed quid ſignificat illud, *miſſus?* verbũ Græcum quod in hoc loco 71
eſt, propriè ſignificat mittere cum mandatis, ſiue legationis munus iniungere: vnde ductum eſt nomen Apoſtoli, cuius nominis vim quaſi interpretans Paulus in quinto capite poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios, *Pro* CHRISTO, inquit, *legatione fungimur.* Ac licèt omnes etiam Prophetæ miſſi fuerint à DEO, Ioannis tamen Baptiſtæ miſſio multis rebus eximia & ſingularis fuit. Primùm enim, miſſio Ioannis prophetatã fuit à multis, vt ab Eſaia capite quadrageſimo illis verbis: *Vox clamantis in deſerto*, & à Malachia capite tertio, cùm dixit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quin etiam putat Cyrillus, eam fuiſſe prophetatam à Dauide in Pſalmo centeſimo trigeſimo primo illis verbis: *Paraui lucernam* CHRISTO *meo:* Ioannes enim dictus eſt à CHRISTO: *lucerna ardens & lucens.* Miſſio quoque Ioannis prædicta eſt ab ipſo eius patre Zacharia, cùm dixit: *Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Deinde, miſſio Ioannis multis & magnis prædecorata eſt miraculis, in eius conceptu & in ortu. Ad hæc, propter incredibilem vitæ eius aſperitatem & ſanctitatem, tot annos in deſerto cum omnium admiratione tranſactæ, miſſionis eius præſtantia comprobata eſt. His adde, quòd alij Prophetæ miſſi

Ioannis miſſio quinque rebus fuit eximia.

Ioan. 5. Luca 1.

ſunt,

ſunt, vt longè pòſt venturum Meſſiam prænunciarent: Ioannes verò miſſus eſt, vt præſentem mundo demonſtraret. Denique vt non ſolùm verbis, ſed factis etiam CHRISTVM præiret, miſſus eſt Ioannes; nam & naſciturum, naſcendo; & baptizaturum, baptizando; & prædicaturum, prædicando; & moriturum, moriendo præceſſit. Quomodo autem Ioannes miſſus à DEO fuerit, an per exteriorem aliquam apparitionem; an per viſionem quampiam imaginariam; an per interiorem illuminationem & inſtructionem, & deſtinationem ad munus quod obiturus erat; an potiùs per hæc omnia, aut pleraque ſimul, in Sacris litteris expreſſum non eſt. Illud tantùm dixit Lucas, *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* *Quomodo miſſus à Deo fuerit Ioannes.* *Lucæ 3.*

72 Sequitur illud, *cui nomen erat Ioannes.* Nomen Ioannis, ſi etymologiam eius euoluas, ſignificat gratiam & miſericordiam DEI: & duplex eius nominis claritas fuit; Altera ex impoſitore eius nominis, qui fuit DEVS per Gabrielem Archangelum; impoſitio autem nominum à DEO facta, vt eſt rara, ita magni alicuius boni prænuncia eſt, ſicut animaduertere eſt in Abraham, & Iſrael, & in Petro. Altera claritas iſtius nominis elucet ex ſignificatione eius, ſignificat enim, vt diximus, gratiam & miſericordiam DEI; quod ſanè ad B. Ioannem bellè quadrat. Etenim ipſe, per DEI gratiam & miſericordiam, parentibus infœcundis & impotentibus generandi conceſſus eſt: ipſe gratiâ repletus eſt, & ſanctificatus in vtero matris ſuæ: ipſe per gratiam DEI, omnibus qui ante ſe fuerant Prophetis & Sanctis præcelluit: ipſe fuit quaſi Horizon legis antiquæ, & Euangelij, veterem ſtatum legis Moſaicæ & doctrinæ Propheticæ terminans, & inchoans ſtatum noui teſtamenti & gratiæ Euangelicæ; denique, ipſe præco fuit CHRISTI, per quem, & à quo omnis gratia data eſt hominibus. *De nomine Ioannis.*

73 Reſtat illud explicandum, *vt omnes crederent per illum.* Hic primò ſcire conuenit, illud *Vt*, non denotare effectum & fructum conſecutum miſſionem & teſtificationem Ioannis; non enim ita euenit, vt omnes per Ioannem crediderint, immò verò pauci crediderunt: ſed ſignificare finem intentum per eam miſſionem & teſtificationem Ioannis; intentum dico à DEO, non per abſolutam

tam

tam eius voluntatem, quæ vocatur à Theologis, voluntas beneplaciti, hæc enim ſemper impletur, & ad effectum peruenit; ſed per voluntatem DEI quam Theologi vocāt antecedentem, vel ſigni, qua ſcilicet voluntate Paulus dixit DEVM velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire, qua voluntate DEVS voluit legem Euangelicam eiúſque ſacramenta in commune publicari & exponi cunctis hominibus ad eorum ſalutem. Illud porrò *omnes*, vel ad Iudæos tantùm referri poteſt, de quibus nempe deinceps loquitur Ioannes Euangeliſta, ad illos enim tantùm & non ad Gentes miſſus eſt Ioannes Baptiſta, & apud illos tantùm non autem apud Gentes teſtimonium de CHRISTO perhibuit. Vel etiam referri poteſt ad omnes tam Iudæos quàm Gentes, omnes enim per Ioannem crediderunt in CHRISTVM, non quidem (vt ita loquar) immediatè, ſed mediatè; nam per Ioannem Baptiſtam crediderunt Apoſtoli, alijque Iudæi, per quos deinde omnes Gentes fidem CHRISTI receperunt, aut certè recipere potuerunt. Nec videri profectò debet abſurdum, ſicut Caietano viſum eſt, homines per Ioannem credidiſſe in CHRISTVM; creditur enim in CHRISTVM per hominem, tanquam per inſtrumentum & adminiſtrum DEI, prædicando nimirum, & miraculis confirmando doctrinam fidei: hoc enim docuit nos B. Paulus in quinto capite poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios ita ſcribens: DEVS *erat in* CHRISTO, *mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum: & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro* CHRISTO *ergo legatione fungimur, tanquam* DEO *exhortante per nos: obſecramus pro* CHRISTO, *reconciliamini* DEO. Quamuis itaque illud pronomen *illum*, ſecundùm Græcam lectionem referri queat & ad lumen & ad Ioannem, quoniam & maſculino & neutri generi cōuenire poteſt; rectè tamen Latinus interpres iſtud pronomen Græcum Latinè reddit *illum*, referens vtique ad Ioannem, cui profectò, ſecundùm verborum ſententiam, magis conuenit quàm lumini; quidquid Eraſmus & Caietanus dicant, Latinam tranſlationem, vbicunque poſſunt, carpentes. Quod autem dicere, per hominem credi in CHRISTVM, non modò non ſit falſum, ſed etiam maximè congruens Diuinæ ſcripturæ, quæ iſto loquendi modo vtitur, ſatis indicat, vel vnus ille locus Euangelij

Ioannis

1. Timoth. 2.

Ioannis, in cuius capite quarto ſcriptum eſt, complures Samaritanorum credidiſſe in CHRISTVM propter verbum mulieris Samaritanæ: per illam igitur mulierem, Samaritani crediderunt in CHRISTVM.

VIGESIMA PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. VERS. 9.

De tredecim modis quibus hominem DEVS *illuminat.*

74 ET illi voci lux & illi voci *vera* in Græca ſcriptura præpoſitus eſt articulus; quo ſignificatur prima illa & ſumma lux, omníſque lucis fons: & de hac luce intelligẽdum eſt id quod proximè ante dictum eſt de Ioanne Baptiſta, *Non erat ille lux*: hæc nimirum lux vera. Nam quod quidam dixerunt, ibi Ioannem dici lucem ſine articulo, Verbum autem appellari lucem præpoſito articulo; id ſanè non valde firmum eſt: ſiquidem apud Matthæum capite quinto Apoſtoli appellantur à CHRISTO *Sal terræ*, & *lux mundi*, articulo vtrique voci præpoſito. Ioannes itaque non erat lux vera, de qua hîc agitur: Verbum autem erat lux vera; idque probatur manifeſto ſigno, proprióque effectu veræ lucis, quia Verbum illuminat omnem hominem. Dicitur porrò Verbum lux vera tripliciter: Primò, contra falſam lucem Philoſophorum, ſcilicet permixtam multorum tenebris errorum: deinde, contra vmbratilem & figuratiuam lucem legis & doctrinæ Iudaicæ: ad hæc, contra participatam & diminutam lucem, qualem habent creaturæ intellectuales per diuinæ lucis participationem. Rectè enim adnotauit Ianſennius, hæc vocabula, *Verum & Veritas*, tribus modis in Sacra ſcriptura vſurpari: vel vt opponuntur falſo & falſitati, quo pertinet illud Pauli ad Epheſios quarto, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Vel qua ratione opponuntur ei quod eſt vmbratile vel figuratiuum, ſicut Ioannes paulò infra dixit, *Lex per Moiſen*

Cur verbum dicatur lux vera.

Ianſennius.

Verum & Veritas tribus modis vſurpātur in ſcriptura.

Moiſen data eſt, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM *facta eſt.* Vel prout opponuntur ei quod eſt tale per participationem, ſicut Ioannes dixit in vltimo capite primæ Epiſtolæ ſuæ, *Vt ſimul in vero Filio eius*, CHRISTVM appellans verum Filium DEI, quia eſt filius naturalis; ad differentiam nempe ſanctorum hominum qui dicuntur filij DEI, ſed quia non ſunt filij ſecundùm naturam, ſed per gratiam adoptionis, idcirco non ſunt veri filij, ſicut eſt CHRISTVS.

Tredecim modi quibus Deus illuminat homines.

Super illis verbis, *Illuminat omnem hominem*: ſcire conuenit, 75
DEVM variè admodum, multíſque modis illuminare homines. Primo: Illuminat hominem creando animam rationalem, & in ea naturale lumen rationis accendendo: de quo munere gratias DEO agens Dauid dixit in Pſalmo decimo quinto, *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum*, & ad hoc multi applicant illud quod ſcriptum eſt in quarto Pſalmo, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Secundo: illuminat hominem per ſinderesin conſcientiæ, & habitum primorum principiorum tam ſpeculatiuorum, quàm practicorum, quem DEVS cunctis hominibus naturaliter indidit. Atque his duobus modis homo in vniuerſum, & naturaliter, & ſuper cuncta animalia, illuminatur à DEO: & huc ſpectat illud quod eſt in trigeſimo quinto capite libri Iob, *Qui docet nos*, inquit, *ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudit nos.* Tertio: per creaturas quæ ſunt in mundo, quarum aſpectus & contemplatio, propter earum multitudinem, ordinem, pulchritudinem, admirabiles effectus, & plurimas maximáſque vtilitates, quæ ad hominem ex ipſis perueniunt, docet hominem creatoris earum potentiam, ſapientiam, & bonitatem: vnde Paulus dixit, inuiſibilia DEI, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpici: & in decimo tertio capite libri ſapientiæ ita ſcriptum eſt: *A magnitudine ſpeciei creaturæ, cognoſcibiliter creator horum videri poteſt.*

Locus Iob ca. 35. *Ad Rom. 1.*

Quarto modo DEVS homines illuminat per humanam philoſophiam & ſcientiam; de eo quippe dixit Dauid in Pſalmo 93. 76
Qui docet hominem ſcientiam. Iuſtinus Martyr & Clemens Alexandrinus affirmant, ſicut DEVS Iudæis dedit legem & Prophetas; ita eum gentibus dediſſe philoſophiam per quam videlicet & DEVM ipſum cognoſcerent, & bonum à malo diſcernentes,

Iuſtinus Martyr. Clemens Alexandrinus.

tes,

tes bene viuendi rationem ab ea pérdiſcerent. Quinto: illuminat DEVS hominem vel interiùs vel exteriùs per Angelos, ſicut pluribus verbis docet Dionyſius Areopagita in libro de cœleſti Hierarchia. Sexto: per infuſum lumen fidei, quo illuminatur homo ad cognoſcenda & credēda ſupernaturalia diuinarum rerum myſteria. Septimo: per quatuor illa Spiritus Sancti dona, quæ ad illuminationem & directionem humani intellectus pertinent, conſilij, intellectus, ſcientiæ, ac ſapientiæ. Octauo: per Sacrarum ſcripturarum doctrinam. Nono: per ſupernaturalia opera & miracula, quæ ſunt certa veritatis & potentiæ DEI argumenta. Decimo: per extraordinarias illuminationes, & inſpirationes. Vndecimo: per occultarum rerum reuelationes, & propheticas viſiones, ſiue in ſomno, ſiue in vigilia. Duodecimo: per ſanctorum hominum prædicationes, exhortationes, ſcripta, & vitæ ac virtutum exempla. Decimo tertio: per lumen gloriæ, quæ eſt perfectiſſima hominis illuminatio, de qua dixit Dauid, *In lumine tuo videbimus lumen.* *Pſal. 35.*

Dionyſius Areopagita.

VIGESIMA SECVNDA DISPVTATIO.

Cùm multi homines non habeant in ſe lumen ſiue illuminationem DEI, *quomodo intelligendum ſit, omnem hominem illuminari à* DEO?

77 CYRILLVS facilè hanc difficultatem expedit, interpretatus illuminationem naturalem, cunctis hominibus per rationis lumen inditam. Hanc ipſam ſecutus interpretationem Caietanus: Non alicui tantùm homini, inquit, ſed vniuerſaliter omnibus hominibus illuminationem præbet Verbum; vt intelligamus, Ioannem loqui de naturali lumine intellectus, quo videmus immediatè, abſque ſtudio, veritatem primorum principiorum, & per hoc conſurgimus ad videndum inuiſibilia DEI per ea quæ facta ſunt, intellecta: hoc enim lumen præbet omni homini lux illa ſuprema. Tempus autem quo fit iſta illuminatio hominum exprimitur, cùm ſubiungitur, *Venientem in mundum.* Tunc enim omnis homo illuminatur, quando venit in mundum: tunc autem venit in mundum, *Cyrillus.* *Caietanus.* *Ad Rom. 1.*

quando fit ſiue generatur; imò ipſum fieri ſiue generari, eſt ipſum venire in mundum: nam ſi priùs fuiſſet, etiam priùs fuiſſet in mundo, & non diceretur tunc venire in mundum. Sic Caietanus.

78 Sed plures Doctorum iſtiuſmodi illuminationem omnium hominum, interpretantur de ſpeciali quadam & gratuita DEI illuminatione, ad ſpiritualem hominum ſalutem pertinente: variè tamen propoſitam ſuprà difficultatem ſoluunt. Chryſoſtomus ait, omnem hominem illuminari à DEO, quantum in ipſo DEO eſt: Si homo lumen diuinum non accipit, non luminis defectu, ſed culpa hominis id accidit. Verùm, obiiciet fortaſſe quiſpiam illud quod in cap. 5. lib. Sap. ſcriptum eſt de impiis hominibus qui dixerunt, *Iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Ad hanc obiectionem reſpondendum eſt; diuinum lumen lucere omnibus, quia omnibus propoſitum & oblatum eſt, & ſufficiens eſt illuminare hominem: verùm quod attinet ad efficaciam illuminandi, & ad principalem effectum diuinæ illuminationis, qui eſt liberatio à peccatis, & reductio hominis ad DEVM, & denique conſecutio vitæ æternæ; hac, inquam, ratione, non omnis homo illuminatur à DEO; ſed id contingit, vt diximus, non defectu illuminationis diuinæ, ſed hominis culpa. Origenes hominem venientem in hunc mundum interpretatur venientem & ingredientem in Eccleſiam CHRISTI, per fidem ſcilicet, & Sacramenta. Sed iſta interpretatio & planè allegorica eſt non autem litteralis; & mundum ſumere pro Eccleſia CHRISTI, ſatis eſt inſolens in Sacris litteris.

Chryſoſt. — *Locus libri ſapientiæ c. 5.* — *Origenes.*

79 Rupertus hoc loco DEVS omnem hominem, inquit, illuminat, non quia omnes homines illuminentur, ſed quia omnes qui illuminantur, per ipſum illuminentur. Quamquam igitur homines non omnes illuminantur; omnes tamen homines qui illuminantur, non ab alio quàm à DEO illuminantur: & hac ratione Rupertus interpretatur etiam illud quod eſt in Pſalmo centeſimo quadrageſimo quarto: *Dominus erigit omnes eliſos, & alleuat omnes qui corruunt*, quia nimirum omnes qui eriguntur & alleuantur, ab ipſo DEO eriguntur & alleuantur. Dionyſius Carthuſianus: illuminat, inquit, DEVS omnem hominem, quia ex omni hominum ſexu, ætate, natione, & conditione, aliquos illuminat, ita vt ſignum illud

Rupertus. — *Carthuſianus.*

illud vniuerſale *omnes*, non denotet ſingulos homines, ſed omnia genera, omnéſque differentias hominum. At enim, & Rupertus & Carthuſianus ſuas iſtas loci huius interpretationes acceperunt à B. Auguſtino, qui eas in ſuo Enchiridio capite centeſimo ſecundo his verbis tradidit: Cùm legimus illud quod de DEO Apoſtolus dixit: *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quamuis nobis certum ſit, non omnes homines ſaluos fieri; non ideo tamen debemus omnipotentiſſimæ DEI voluntati aliquid derogare; ſed ita intelligere, tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſaluum, niſi quem DEVS ſaluum fieri voluerit: non itaque omnis homo ſaluus ſit, ſed omnis qui ſaluus ſit, DEI voluntate ſaluus ſit. Sic etiam intelligimus id quod in Euangelio Ioannis ſcriptum eſt: *Qui illuminat omnem hominem*, non quia nullus hominum ſit, qui non illuminetur à DEO; ſed quia nullus homo illuminatur, niſi à DEO, & quicunque hominum illuminatur, non ab alio quàm à DEO illuminatur. Aut certè per illud, *Omnes homines*, omne genus hominum intelligamus per quaſcunque differentias diſtributum, verbi gratiâ, Reges & priuatos, nobiles & ignobiles, doctos & indoctos, ſanos & ægrotos, ingenioſos & tardicordes, fatuos & prudentes, diuites & pauperes, mares & fœminas, infantes, pueros, adoleſcentes, iuuenes, ſenes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus. Iſto enim locutionis modo vſus eſt Dominus, cùm dixit Phariſæis: *Decimatis mentam, & rutam & omne olus*, non quòd Phariſæi omnia olera vbicunque locorum ſingulatim decimarent; ſed quòd ex omni olerum genere decimarent: conſimili ratione intelligere poſſumus DEVM velle omnes homines ſaluos fieri, quia ex omni genere hominum vult homines aliquos ſaluos fieri. hactenus ex Auguſtino.

Auguſtinus. *1. ad Tim. 2.* *Lucæ 11.* *Matth. 23.*

80 In illis verbis, *venientem in hunc mundum*, ſciat lector, illud pronomen, *hunc*, non eſſe in ſcriptura Græca, ſed ſine ipſo legi præciſè, *mundum*, præpoſito tamen articulo Græco τὸν; Latinus autem interpres & hîc, & alibi articulum Græcum τὸν, vertit in pronomen, *hunc*, quo vſus eſt hoc in loco non ad diſtinguendum hunc mundum inferiorem & ſublunarem à mundo ſuperiori & cœleſti,

ſed loco ſigni demonſtratiui, ſicut in vulgari ſermone dici ſolet, *Auguſtinus.* hoc cœlum, hic Sol, hæc Luna. Quamquam B. Auguſtinus iſtud pronomen *hunc*, quaſi notam diſtinctionis accipiens, interpretatur mundum hunc inferiorem, & diuerſum à cœleſti Patria & Paradiſo, locum videlicet non ſolùm corporalibus tenebris, ſed multò magis ſpiritualibus errorum & peccatorum tenebris obſcurum & caliginoſum: vt ob eam cauſam, veniens homo in hunc mundum, maximè indigeat illuminatione diuina. Per id autem quod dicitur, *venientem in hunc mundum*, ſignificatur quàm generalis ſit hæc DEI illuminatio, quippe non tantùm pertinens ad homines in vnum aliquem terræ angulum concluſos, veluti ad Iudæos; ſed ad omnes vbique terrarum atque locorum degentes.

Quid ſit venire in mundum. Venire portò in mundum, & exire de mundo, phraſes propriæ 81
ſunt diuinæ ſcripturæ: per illam ſignificatur idem quod generari ſiue naſci; per hanc verò, idem quod mori. Iſto autem loquendi modo voluit fortaſſe Sacra ſcriptura ſignificare, animam rationalem eſſe ſubſtantiam quandam per ſe exiſtentem, & ſeparabilem à corpore; ciúſque originem non eſſe à materia, vt ex eius potentia educatur, ſed extrinſecus eſſe à DEO. Hoc etiam vidit, & luculentis verbis ſcriptum reliquit princeps Philoſophorum Ariſtoteles, affirmans, alias quidem animas intrinſecus ex ipſo ſemine produci: ſolam verò mentem & intellectum extrinſecus aduenire. *Ariſtotelis illuſtriſſima de mētis humanæ immateriali, & immortali, & quaſi diuina natura ſententia.* Aurea eius verba, in libro ſecundo de generatione animalium capite tertio, huiuſmodi ſunt: *Quorum principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore eſſe non poſſe certum eſt, verbi gratiâ, ambulare ſine pedibus: itaque extrinſecus ea venire impoſſibile eſt; nec enim ipſa per ſe accedere poſſunt, cùm inſeparabilia ſint; neque cum corpore, ſemen enim excrementum alimenti mutati eſt. Reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat, eáque ſola diuina ſit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* *Caietanus.* Sic eo loco Ariſtoteles. Hoc etiam Caietanus animaduertit: explanans enim hæc verba, *venientem in hunc mundum*, ſic, inquit, locutus eſt Ioannes ad ſignificandum quòd anima rationalis venit ab extrinſeco; hoc eſt, producitur non per eductionem ipſius de potentia materiæ, ſicut fiunt animæ reliquorum animalium; ſed ſimplici emanatione à DEO: nec fit tamen priùs quàm infundatur corpori, ſed creando infunditur, & infundendo creatur.

creatur. Ad ſignificandum igitur ſingulariſſimum productionis modum, quo anima rationalis cuiuſlibet hominis fit, dixit illud: *venientem in mundum*. Dixit autē potiùs hominem venire in mundum, quàm animam hominis venire in mundum, ne erraremus ſuſpicando, animas præexiſtere & præilluminari, antequàm homo exiſtat & illuminetur: & omni antiquitate excluſa intelligamus, tunc intellectum animæ noſtræ illuminari, cùm nos generamur in mundo, id eſt, vt iam diximus, dum anima creando infunditur corpori, & infundendo creatur. Ita Caietanus.

VIGESIMA TERTIA DISPVTATIO.

Ponitur multiplex confutatio ſententiæ Origenis aientis, animas rationales ante corpora fuiſſe in cœlo, & propter peccata inibi admiſſa, in corpora, tanquam in carcerem, ſupplicij causâ, eſſe detruſas.

82 NON igitur, quia dictum eſt, DEVM illuminare omnem hominem venientem in hūc mundum, cogitandum vlli eſt, animas hominum fuiſſe ante corpora, & cùm quis generatur animam de cœlo venire ad corpus eius: quemadmodum Origenes deceptus nonnullis ſcripturæ ſententiis perperam intellectis, vel potiùs Platonicis dogmatibus imbutus, cenſuit. Iſtam enim Platonis ſententiam, nomine tamen tacito Platonis, indicauit Ariſtoteles *Ariſtoteles.* in primo libro de Anima textu quadrageſimo nono ita ſcribens: *Laborioſum eſt, commixtum eſſe corpori, non potens abſolui, idque fugiendum eſt; Siquidem melius eſt intellectu, non cum corpore eſſe, quemadmodum & conſuetum eſt dici, & multis placet.* Sic Ariſtoteles. Hoc verò dogma ſuum Origenes expoſuit cùm alibi, tum ſuper illis verbis Pſalmi ſexageſimi quinti: *Induxiſti nos in laqueum.* Conatur autem huic ſententiæ fidem aſtruere ex eo quòd Ioannes dixit, hominem venire in mundum, tanquam ſignificans, animam rationalem, propter quam homo eſt homo, aliunde, vbi priùs fuerat, venire ad corpus. Huc etiam applicat illud quod eſt in Pſalmo centeſimo decimo octauo. *Priuſquàm ego humiliatus ſum, deliqui.* Quibus verbis ſignificari putat, animam propter priora peccata, humiliari & deijci

deijci in corpus; Huc item detorquet illud quod eſt in Pſalmo centeſimo quadrageſimo primo, *Educ de cuſtodia animam meam.* Corpus vocat cuſtodiam & carcerem: & frequentiſſimum eſt in Sacra & Eccleſiaſtica doctrina, ſeparationem animæ à corpore per mortem, vocare ſolutionem animæ à vinculis corporis. Hoc etiam

Eccleſ. 13. ſignificare voluit ſcriptura cùm ait, per mortem hominis ſpiritum eius reuerti ad DEVM qui fecit illum: ſi enim anima reuertitur ad DEVM, ergo priùs fuerat apud DEVM. Et hæc quidem, atque alia quædam huius generis ſunt argumenta, & argumentationes Origenis. Putauit itaque Origenes, animas hominum fuiſſe multò ante aſſumptionem corporum, & fruentes quidem magnis bonis; ſed ſatietate, vt fit, eius ſtatus, licèt optimi; & terreſtris vitæ turpi cupiditate captas, ſupplicij causâ, delapſas eſſe in corpora. Hanc Platonicam ſententiam elegantiſſimis verſibus expo-

Virgilius. ſuit Virgilius in libro ſexto Æneidos. Hunc Origenis errorem re-

Epiphanius. futauit Epiphanius in libro ſecundo Panarij; contra Hæreſim ſexageſimam quartam, & in epiſtola ad Ioannem Ieroſolymitanum

Hieronymus. Epiſcopum, & B. Hieronymus in epiſtola ad Pammachium de erroribus Origenis. Et iſtum Origenis errorem multo pòſt tempore ſuſcitauit atque renouauit Priſcillianus Hæreticus: de quo legen-

Auguſtinus. Leo Papa. Primum Concilium Braccarenſe. dus eſt Auguſtinus in libro de hæreſibus numero 70. & Leo Magnus Papa in epiſtola ad Aſtoligenſem Epiſcopum; Concilium præterea primum Braccarenſe, in cuius capite ſexto error iſte damnatus eſt.

Nouem rationibus refellitur ſententia Origenis aientis animas fuiſſe ante corpora. Ego curſim hoc loco attingam aliquot rationes ex variis Sacra- 83
rum litterarum ſententiis petitas atque contextas, quibus falſitas & abſurditas iſtius Origenis ſententiæ oſtenditur atque conuincitur. Prima ratio ducitur ex illis verbis B. Ioannis quæ ſunt in hoc loco, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si anima hominis tunc venit in mundum cùm homo generatur, ergo ante generationem hominis non erat anima: nam ſi ea fuiſſet, in mundo vtique fuiſſet tanquam pars aliqua vniuerſitatis rerum. Secunda ratio: ſi tunc illuminatur anima cùm venit in mundum, & copulatur corpori; ergo ante vnionem eius cum corpore non illuminabatur; cùm tamen, ſecundùm Origenem, tunc maximè erat illuminata cùm erat ſeparata à corpore, cùm autem iungitur corpori,

corpori, obtenebratur magis quàm illuminatur; Tertia ratio: ſi anima delapſa eſt in corpus propter antè commiſſa peccata, vt ſic puniatur; quomodo tunc dicitur, ſecundùm B. Ioannem, illuminari à DEO, potiùs enim deberet ſupplicij cauſâ, obtenebrari: ſiquidem illuminari à DEO, non pœna nec ſupplicium eſt, ſed magnum DEI beneficium. Quarta ratio: diuina ſcriptura in capite primo & ſecundo libri ſapientiæ negat, mortem eſſe opus DEI, ſed eam inuidiâ Diaboli accediſſe homini; quo ſignificatur, eam non eſſe bonum quodpiam, ſed malum: DEVS *mortem*, inquit, *non fecit: ſed creauit* DEVS *hominem inexterminabilem; Diaboli autem inuidiâ mors introiuit in orbem terrarum*. At ſi corpus eſt animæ carcer, & detentio animæ in corpore ſupplicium eſt, vt dixit Origenes; Mors ipſa profectò, per quam anima exoluitur corpore, hoc eſt, carcere ac vinculis liberatur, magnum quoddam bonum æſtimari deberet.

84 Quinta ratio eſt huiuſmodi: B. Paulus in capite nono Epiſtolæ ad Romanos ait, Iacob & Eſau, cùm nondum eſſent nati, nec boni quidquam aut mali egiſſent; Iacob tamen eſſe à DEO dilectum, Eſau autem odio habitum: ergo, ante coniunctionem animæ cum corpore, animæ illorum nihil boni vel mali fecerant, contra id quod ſenſit & dixit Origenes. Idem quoque Apoſtolus in eiuſdem Epiſtolæ capite quinto ſcripſit, propter peccatum Adami regnâſſe mortem in omnes homines, etiam in eos qui non peccauerunt; ſignificans vtique infantes, qui propria voluntate proprium peccatum, vt vocant, actuale, nullum fecerunt. Hoc autem verum non eſſet; ſi, vt dixit Origenes, animæ hominum peccâſſent ante ipſorum generationem. Hoc etiam confirmatur eo quod Paulus dixit in capite quinto poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios, omnes homines manifeſtari oportere ante tribunal CHRISTI, vt referat vnuſquiſque, prout geſſit in corpore, ſiue bonum ſiue malum. Non dixiſſet Apoſtolus tantùm, *in corpore*, ſi ante corpus eſſet aliquod animæ hominis vel malum vel bonum meritum. Huc etiam pertinet quod Dominus noſter in capite nono Euangelij Ioannis dixit de cœco nato, illum non peccâſſe vt cœcus naſceretur; quia videlicet ante ortum, nullum poterat ille feciſſe peccatum. At, ſecundùm Origenem, anima illius cœci propter ante actæ vitæ pec-

cata, in tale corpus includi taliq́ue puniri cæcitate meruerat.

Sexta ratio hanc vim habet: DEVS in veteri lege atrociſſi- 85
ma ſcelera puniri morte iuſſit, tanquam maxima & acerbiſſima pœna: & ipſe vindicaturus maxima hominũ flagitia per diluuium, omnes homines, octo duntaxat exceptis, morte deleuit. Atqui, ſi corpus carcer eſt animæ, & eſſe in corpore, ſupplicium eſt eius; mors vtiq; tali carcere ac ſupplicio liberans, non pœna,ſed beneficium fuiſſet.Septima ratio: ſecundùm iſtam Origenis ſententiam, generatio hominis in mundo magnum eſſet malum; per quam ſcilicet anima de cœlo deiecta in corpus, quaſi teterrimum in carcerem detruderetur. At diuina ſcriptura generationem Iſaac, & Samuelis, & Sampſonis,& Ioannis Baptiſtæ in magnis diuinæ potentiæ miraculis, & bonitatis eius muneribus numerat. Octaua ratio: Si corpus eſt carcer animæ,& ſupplicium eius eſt manere in corpore, cur Ezechias Rex tantopere perhorreſcebat mortem, vitámque ſibi prorogari flagrantiſſimè cupiebat? cuius Regis precibus & lacrymis permotus DEVS,quindecim ipſi vitæ annos inſuper adiecit. Id enim fuiſſet totidem annos ipſi carceris & ſupplicij prorogare. Cur etiam Dominus noſter amicum ſuum Lazarum, iam quatriduo mortuum, reuocauit ad vitam?hoc enim, ex ſenſu Origenis, fuit, eum iam eductum ex carcere, vinculíſque ſolutum,recludere iterum in carcerem & vinculis reuincire? Cur tantopere Sancti reſurrectionem corporum optabant, eámque CHRISTVS Dominus pro ſummo beneficio & pręmio ſeruis ſuis promiſit,cùm ea potiùs, ſecundùm Origenem, auerſanda & fugienda eſſet? Nona ratio: ſi vera eſſet Origenis ſententia, coniunctio animæ cum corpore, inuoluntaria & violenta & acerba eſſet homini; diſſolutio verò, & ſeparatio animæ à corpore eſſet maximè optabilis &
2. ad Corinth. 5. lætabilis: quod tamen contrà omnino euenit: Apoſtolus enim dixit, nolle nos ſpoliari corpore, ſed ſuper veſtiri, ſcilicet, accepta
Ariſtoteles 2. Eth. eius impaſſibilitate & gloria: & Ariſtoteles dixit,omnium terribilium maximè terribilẽ eſſe mortem.His accedit,quod iſti ſentẽtiæ Origenis neceſſariò conſequens eſt,ſpeciem humanæ naturæ, quæ præſtantiſſima omnium mundi huius ſpecierum eſt, per accidens eſt in mundo, & ex mala occaſione vel cauſa, ob peccata ſcilicet animarum facta, priuſquàm in corpus veniret.

Cæterùm,

86 Cæterùm, quiſpiam fortaſſe in ſuffragium & præſidium ſententiæ Origenis afferet illum Sacræ ſcripturæ locum, qui eſt in capite octauo libri ſapientiæ, vbi Salomon inducitur hæc verba loquens: *Cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Sed enim, verba hæc, ſi attento animo penſitentur, aduerſantur magis quàm fauent Origeni: Etenim Salomon ait, animam ſuam, quia erat bona, veniſſe in corpus incoinquinatum: at Origenes cenſet, quoniam animæ hominum erant antea malæ, & quia peccauerant, detruſas eſſe in corpus, tanquam in carcerem. Vera porrò iſtorum Salomonis verborum ſententia, huiuſmodi eſt: Quoniam DEVS dederat mihi, inquit Salomon, animam excellenti ingenio, aliiſque naturalibus animæ rationalis perfectionibus eximiè præditam; (hoc enim Salomon ſignificauit eo in loco illis verbis, *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.*) Idcirco, vt, par erat, talem animam copulauit cum corpore pariter bono & perfecto, id autem eſt, cum corpore optimè temperato, & ad prauas cupiditates, impuráſque voluptates, & flagitia minimè propenſo: & huiuſmodi corpus vocauit ipſe corpus incoinquinatum.

Locus libri ſapientia c.8.

VIGESIMA QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt. Ver. 12.

87 PROXIME antè oſtendit B. Ioannes cæcitatem Gentilium, qui ex mundi opificio non cognouerunt mundi conditorem DEVM, dicens, *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Oſtendit etiam Iudæorum cæcitatem ſimulque perfidiam atque impietatem; qui Verbum DEI factum hominem, & ad ipſos præcipuè miſſum aut non cognouerunt, aut cognitum non receperunt, dicens, *In pro-*

pria venit, & ſui eum non receperunt. Hoc autem loco, verbis illis in titulo huius quæſtionis propoſitis demonſtrat B. Ioannes, quanta vtilitas & dignitas, recipientibus Verbum Dei contigerit, dicens, iſtis datam eſſe poteſtatem, vt filij Dei fierent.

Quomodo qui iam receperũt ipſum Chriſtum, ſint etiam tũc in potentia, vt fiant filij Dei.

At enim, horum verborum ſententia perobſcura eſt, tribúſque 88
de cauſis ad intelligendum difficilis. Primò, qui iam receperunt Verbum Dei, quomodo iſti poteſtatem acceperunt vt fierent filij Dei, cùm recipiendo ipſum Verbum, facti iam ſint filij Dei? Deinde, ſi, qui receperunt Verbum, iſti ex Deo nati ſunt, vt ipſe paulò poſt dicit; ergo iam erant filij Dei, per hoc enim fiunt filij Dei, quia ex Deo naſcuntur. Illud enim relatiuum, *qui non ex ſanguinibus*, procul dubio refertur ad illud, *quotquot receperunt eum*, non autem ad illud, *filios* Dei *fieri*, ſicut falsò putauit Caietanus: id enim apertè demonſtrat lectio Græca, in qua relatiuum illud, *qui*, eſt maſculini generis, vox autem illa, *filios*, neutrius generis eſt. Ad hæc, poteſtatem vt filij Dei poſſint fieri, habent etiam qui nondum receperunt Christvm, ſicut poteſtatem habent credendi in ipſum: nam, vt dixit Auguſtinus in libro de Spiritu & littera, poſſe credere, naturæ hominis eſt; credere autem, gratiæ Dei eſt.

Auguſtinus.

Sextuplex propoſitæ difficultatis ſolutio.

Theophylact.

Sex modis nodus hic ſolui poteſt, quorum primos tres expo- 89
ſuit hoc loco Theophylactus. Primus modus eſt, Ioannem locutum eſſe de receptione Christi, quæ fit per ſolam fidem, & ante gratiam iuſtificantem quæ datur in Baptiſmo: ſicut videre eſt in Catechumenis, qui credunt in Christvm, & poſtea per Sacrum Baptiſmum diuinitùs regenerati, fiunt Dei filij. Secundus modus eſt, Ioannem loqui de perſeuerantia in filiatione Dei vſque ad finem vitæ. Tertius modus eſt, Ioannem loqui de glorioſa filiatione, quæ continget homini poſt reſurrectionem corporis; de qua videlicet Paulus in capite octauo Epiſtolæ ad Romanos dixit, *Adoptionem filiorum* Dei *expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Et hunc tertium modum approbauit in hoc loco Caietanus: licèt in quinto ſuo Ientaculo, quæſtione quinta alium ponat modum, qui erit hoc in loco quartus: Quotquot, inquit, receperunt Christvm per fidem charitate informatam, habuerunt poteſtatem vt filij Dei fierent; ſed illa poteſtas præceſſit filiationem,

Caietanus.

non

non ordine temporis,ſed ordine tantùm naturæ. Quintus modus eſt, poteſtatem illam vt fierent filij DEI, datam fuiſſe recipientibus CHRISTVM ante ipſam eorum receptionem; videlicet per fidei prædicationem, & miracula, & per interiores animi motiones,& ſpecialia DEI auxilia.

90 Sextus modus,qui ſupradictis aliis quinque modis videtur probabilior,eſt Ianſennij, ſumptus à Cyrillo ſuper illis verbis,*Dedit eis poteſtatem*, pro illa voce, *poteſtatem*, Græcè legi, ἐξουσίαν, quæ vox etiam ſignificat auctoritatem,& ius,& dignitatem. Hac ſignificatione Apoſtolus ea voce vſus eſt in decimo tertio capite Epiſtolæ ad Romanos cùm dixit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: &, Non eſt poteſtas, niſi à* DEO. Et in decimo nono capite huius Euangelij ſcriptum eſt, Dominum noſtrum dixiſſe Pilato, *Non haberes poteſtatem aduersùm me vllam,niſi tibi datum eſſet deſuper.* Præterea,in illis verbis, *Filios* DEI *fieri*, pro illo, *fieri*, Græcè eſt γενέσθαι, etiam ſignificans, *eſſe*. Ergo plana & germana horum verborum ſententia eſt huiuſmodi: Qui receperunt Verbum, illis tanta collata eſt auctoritas & dignitas, tantúmque datum eſt ius,vt ſint filij DEI. Ad hanc ipſam profectò ſententiam idem Ioannes in prima ſua Epiſtola dixit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij* DEI *nominemur, & ſimus.* *Cyrillus.* *Ianſenius.* *Cap. 3.*

91 Illis autem proximè ſequentibus verbis, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex* DEO *nati ſunt*, B. Ioannes excellentiam filiationis DEI collatæ recipientibus Verbum demonſtrat ex comparatione eius cum humana filiatione, quæ tota carnalis eſt. Eius námque materia eſt ſanguis menſtruus fœminæ, quem Latinus interpres pluratiuè appellauit ſanguines, ſequutus indubiè Græcam lectionem quæ plurali numero eam vocem habet hoc loco. Niſi fortè quis velit, nomine ſanguinum ſignificari vtrúmque ſemen tam fœmineum quàm virile,quod eſt reſiduum ſanguinei alimenti;& ſecundùm Galenum, etiam materialiter concurrit ad generationem hominis. Per illa autem verba, *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, denotantur cauſæ efficientes generationis humanæ, mas, inquam,& fœmina: hæc ſignificata per carnem, ob molliorem ſexum, infirmiorémque rationem. Vel ſignificatur duplex appetitus ad gene- *Galenus.*

rationem humanam concurrens, ſenſitiuus, & rationalis. Caietanus nouam, & valde ſubtilem, ſed non admodum congruam, horum verborum explanationem tradit, quam ego, ſtudio breuitatis, in præſentia referre ſuperſedeo.

Caietanus.

Quid ſit naſci ex Deo, & quibus in rebus conſiſtat hæc natiuitas.

Reſtant explicãda illa verba, *ſed ex* DEO *nati ſunt*: quibus aper- 92
tè oſtenditur, filiationem recipientium Verbum, planè diuinam eſſe. Hæc autem Natiuitas diuina, ſiue natum eſſe ex DEO, in his rebus conſiſtit: in peccatorum remiſſione: in gratiæ ac virtutum infuſione: In conſortio diuinæ naturæ: In participatione diuini eſſe: In eleuatione ad ordinem & gradũ rerum ſupernaturalium: & in ſimilitudine Naturæ diuinæ, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed per gratiæ & gloriæ participationem: vt qualis DEVS eſt per naturam, & ſecundùm infinitam excellentiam; talis quodammodo ſit homo per determinatam quandam gratiæ & gloriæ ipſius participationem.

Differentia inter Iudæũ & Christianum circa filiationem Dei.

Cæterùm, dicet aliquis, etiam ante CHRISTI aduentum, in 93
veteri Teſtamento, Iudaicus populus appellatus eſt filius DEI, atque adeò etiam primogenitus: quid ergo poſt CHRISTI aduentum, & in nouo Teſtamento Chriſtianus ex eo quòd eſt filius DEI, ampliùs habet quàm Iudæus? Reſpondeo, Iudaicum populum propterea vocatum eſſe filium & primogenitum DEI, quòd cum DEVS præ cæteris gentibus ſingulari quadam, & quaſi paterna beneuolentia, & cura, & protectione tueretur & regeret ac defenderet, plurimis aduerſùs hoſtes eius editis prodigiis; vt in eductione eius ex Ægypto, in deductione per deſertum annis quadraginta, atque in eiuſdem introductione in terram promiſſionis, apparuit. Credentes autem in CHRISTVM, dicuntur filij DEI, non propter iſtiuſmodi bona temporalia; ſed propter ſupernaturalium & diuinorum bonorum participationem, & propter ius quod habent adeundi & poſſidendi hæreditatem æternæ felicitatis. Cyrillus ex eo quod hîc dicitur, *ex* DEO *nati ſunt*, argumentatur, Spiritum ſanctum eſſe DEVM: Siquidem infra in capite tertio huius Euangelij ſcriptum eſt, Dominum dixiſſe Nicodemo, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non introibit in regnum* DEI. Ergo idem eſt naſci ex Spiritu ſancto, atque naſci ex DEO.

Cyrillus.

VIGE

VIGESIMA QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et Verbum caro factum eſt. VER. 14.

Quid in iſtis verbis ſignificet nomen illud, caro: *Et cur Ioannes dixerit, Verbum eſſe factum carnem, & non potiùs, eſſe factum hominem?*

94 HÆc ſententia cum duabus proximis ſuperioribus ſententiis connecti poteſt: vel cum illa, ***in propria venit & ſui eum non receperunt.*** Dubitari enim poſſet, ſi Verbum ab initio mundi erat in ipſo mundo, vt ſupra dictum eſt, ***In mundo erat & mundus per ipſum factus eſt:*** Quomodo dicitur veniſſe poſtea in mundum, & in particulam quandam mundi, id eſt, in Iudæam? declarat ideo Ioannes modum quo Verbum certo quodam tempore venit in mundum, dicens, ***Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.*** Nam etſi Verbum ſemper fuit in mundo ſecundùm ſuam diuinitatem; nouo tamen modo, per incarnationem factus homo, cœpit eſſe in mundo ſecundùm aſſumptam à ſe humanitatem; ***& in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt:*** Vel poſſunt hæc verba connecti cum illa ſententia, ***Dedit eis poteſtatem filios*** DEI ***fieri.*** Nam ne putaretur eſſe impoſſibile, hominem fieri DEI filium; declarat id, & quaſi probat Ioannes ex alio, quod & maius illo eſt, & cauſa illius eſt: vt, ſi id factum fuerit, credibilius ſit, illud fieri potuiſſe. Etenim DEVM fieri hominem; maius eſt, & minùs credibile, quàm hominem euadere in filium DEI: cùm igitur illud factum ſit, nequaquam incredibile hoc videri debet. *Baruch 3.*

95 Huius porrò ſententiæ prima illa vox, ***Caro***, diligenter explicanda eſt. Nomen carnis multis & variis in ſcriptura ſignificationibus vſurpatur. Primò ſumitur pro parte corporis diſtincta ab oſſibus & neruis, vt Lucæ 24. ***Spiritus carnem & oſſa non habet.*** & Iob, 10. ***Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me.*** Secundò, pro carnali concupiſcentia, vt ad Romanos 7. ***Scio quia non habitat***

Septem variæ ſignificationes huius vocis, Caro, in Sacris litteris vſurpatæ.

in car

in carne mea bonum : & ad Galatas 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*.& ad Romanos 8. *Si ſecundùm carnem vixeritis., moriemini*.Tertiò, pro parte hominis inferiori, vt eſt diſtincta à ſuperiori quæ vocatur ratio vel ſpiritus ; vt apud Matthæum cap.26.*Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*. Quartò, pro homine carnali, ſecundùm carnem ſapiente ac viuente, vt in priori Epiſtola ad Corinthios cap.15. *Caro & ſanguis regnum* D E I *non poſſidebunt*.Quintò, pro generatione carnali, quæ fit naturali & ordinario modo,vt ad Romanos 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*. Et in Epiſtola ad Galatas cap. 4. Iſmaël dicitur eſſe natus ſecundùm carnem, Iſaac verò, per repromiſſionem. Sextò, nomen carnis interdum ſignificat ſtatum hominis ſecundùm præſentem vitam mortalem & paſſibilem, vt in poſteriori Epiſtola ad Corinthios cap. 5. *Etſi cognouimus ſecundùm carnem* C H R I S T V M, *ſed nunc iam non nouimus*. & ad Hebræos 5. C H R I S T V S *in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationéſque* D E O *cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*. Septimò, nomen carnis frequenter in ſcriptura vſurpatur pro toto homine;per figuram videlicet quæ appellatur Synecdoche, qua pars ponitur pro toto: ſic Ioelis 2. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*, id eſt, ſuper *omnem hominem* : & ad Romanos 3. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo*, id eſt, *omnis homo*. & ad Epheſios 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem*, id eſt,*aduerſus homines*. Sicut etiam nomen animæ frequenter ponitur pro toto homine,vt apud Ezechielem cap. 18. ſcriptum eſt, *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*. & Actorum 27. Scriptum eſt, fuiſſe animas ducentas ſeptuaginta ſex in naui in qua erat Paulus ; ſic etiam Italicè vulgò loquimur cùm dicimus, tot animas eſſe in hac vel illa ciuitate.Secundùm hanc verò vltimam ſignificationem huius vocis, *caro*, ſumitur id nomen hoc loco, idémque ſignificat, *Verbum caro factum eſt*, atque, *Verbum homo factum eſt*.

Cur non potiùs dictũ ſit, Verbum eſſe factum hominẽ, quàm eſſe factũ carnem, exponũtur duodecim rationes.

Sed hoc loco exiſtit quæſtio, cùm clarius eſſet, faciliúſque ad 96
intelligendum, & ab omni remotius errore, dicere, Verbum factum eſſe hominem, quàm, factum eſſe carnem; cur non illud potiùs dixit Ioannes, quàm hoc? Reſpondeo, multis de cauſis B. Ioannem ſic loqui voluiſſe. Primò, ne putaretur Verbum aſſumpſiſſe

perſonam hominis, quam ferè ſignificat vox, *homo*. Nam etſi nonnunquam Patres aiunt, aſſumptum eſſe hominem à Verbo; per vocem tamen hominis, intelligunt ipſam humanitatem, ſiue naturam humanam. Secundò, vt ſignificaretur, Verbum aſſumpſiſſe integram naturam humanam; ſi enim carnem aſſumpſit, multò magis credibile eſt, aſſumpſiſſe animam & mentem. Tertiò, ſecundùm Chryſoſtomum & Theophylactum, quo euidentiùs DEI erga homines bonitatem declararet, qui ſe ad aſſumptionem carnis, rei nempe abiectiſſimæ & viliſſimæ, hominum causâ demiſit: nimirum de carne hominis dictum eſt, *Omnis caro fœnum*. Quartò, quò credibiliùs faceret, quod paulò ante dixerat, eos qui recipiunt Verbum, fieri DEI filios: ſi enim DEVS factus eſt caro, cur non fiat credibile, hominem fieri poſſe DEI filium per gratiam adoptionis? Quintò, quò pernoteſceret, Verbum veniſſe in mundum, vt totum hominem ſaluum faceret, id eſt, non modò ſecundùm mentem, ſed etiam ſecundùm carnem: ideoque dicitur, aſſumpſiſſe id, quod maximè corruptum fuerat, & reparatione indigebat; & ita carni etiam ſpes daretur glorioſæ reſurrectionis, per quam ipſa fieret immortalis atque impaſſibilis. Sextò, ſignificare voluit Ioannes, filium DEI etiam ſecundùm carnalem cognationem nobis eſſe coniunctum, & verè appellari fratrem noſtrum: audiat lector in hanc ſententiam, verba B. Pauli, quæ ſunt in ſecũdo capite Epiſtolæ eius ad Hebræos: *Propter quam, inquit, cauſam, non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* & iterum, *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi* DEVS. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Septimò, vt ſic mirabiliter exaltaretur caro hominis, etiam ſupra Angelos: & daretur homini poteſtas conficiendi Sacramentaliter in Sacramento Euchariſtiæ corpus & ſanguinem CHRISTI, & poteſtas claudendi & aperiendi cœlum, & viuificandi mortuos; denique tanta poteſtas, quantam habet in terris ſummus Pontifex. Videat lector quæ ad hanc ſententiam ſcripſit B. Gregorius in lib. 2. Dialogorum cap. 23. Octauò, vt ſic totius mundi, atque omnium creaturarum quodammodo fieret deificatio, toto homine ſecundùm omnes partes eius deificato: ſiquidẽ in homine continẽtur gradus omniũ creaturarũ.

Eſa 40. *Pſal. 21.* *Iſaia 8.* *B. Gregorius.*

Nona cauſa ſiue ratio ſit hæc: ex eo modo loquendi planè intelligitur cauſa, cur caro CHRISTI adoretur à Chriſtianis: cur caro & ſanguis eius det homini vitam æternam: Cur Beatiſſima Virgo dicatur mater DEI, quæ in generatione CHRISTI tantùm materiam præbuit: cur dicatur DEVS paſſus & mortuus: cauſa enim iſtorum omnium fuit, quia *Verbum caro factum eſt.* Decimò, omnis caro, vt ait ſcriptura, diligit ſibi ſimile; & homo, valde affixus cupiditatibus rerum terrenarum, ægrè adduci poterat ad amandum bona inuiſibilia. Verbum igitur factum eſt caro, vt ſic caro carni conſociaretur, & adhæreſceret: vnde canit Eccleſia: [Quia per incarnati Verbi tui myſterium noua noſtræ mentis oculis lux tuæ claritatis infulſit; vt dum viſibiliter DEVM cognoſcimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur.] Vndecimò, vt hac ratione præmuniret Eccleſiam Catholicam aduersùs errores Manichæorum aientium, carnem humanam per ſe malam eſſe & à malo principio factam; & carnem CHRISTI non fuiſſe veram carnem humanam. Duodecimò, vt ita cognoſceretur, quemadmodum ſuperbia Adami qui ſimilis DEO fieri voluit, per humilitatem expiata ſit Verbi DEI quod caro factum eſt; & ſecundùm Apoſtolum, *exinaniuit ſemet ipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* 97

Eccl. 13.

Geneſ. 3.

VIGESIMA SEXTA DISPVTATIO.

Super illo: Factum eſt.

De quinque modis quibus vna res fit alia res, cum aliqua ſui mutatione: & de aliis quatuor modis quibus vna res fit alia res, ſine vlla ſui mutatione.

EX eo quod dicitur Verbum eſſe factum carnem, quidam Hæretici argumentabantur, Verbum eſſe cõuerſum in carnem, vel ex coniunctione & commixtione Verbi atque carnis tertiam quãdam ſubſtantiam eſſe compoſitã atque conflatam: aiebant enim, cùm vnum fit aliud, id fieri alterutro duorum modorum; 98

vel

vel quia vnum conuertitur in aliud; vel quia ambo conuertuntur in tertium quoddam. Sed impium hoc dogma manifeſtè coarguit immutabilitas DEI, quam vllo modo in aliud mutari, eſt impoſſibile. Poſt incarnationem etiam Verbi prædicatur CHRISTVS eſſe Filius DEI, & verus DEVS, & fuiſſe ante Abraham & ante conſtitutionem mundi, & alia de eo dicuntur in Euangelio & in Epiſtolis Apoſtolicis, quæ demonſtrant apertè, etiam poſt factam incarnationem Verbi, diuinam Verbi ſubſtantiam permanſiſſe in CHRISTO.

99 Nos igitur dicamus, quinque modis vnum aliquid fieri aliud cum ſui mutatione. Primo, ſecundùm totius ſubſtantiæ ſuæ conuerſionem in aliud, quæ in Eccleſia Catholica vocatur tranſubſtantiatio: & hoc modo per verba conſecrationis, panis fit corpus CHRISTI, & vinum ſanguis eius. Secundo, per conuerſionem formæ ſubſtantialis in aliam formam ſubſtantialem, circa eandem vtriuſque formæ materiam: ſic aqua fit aër, & aër fit ignis. Tertio, per mixtionem; & hoc modo Elementa fiunt ipſum mixtum, quia per mutuam eorum mixtionem, in eorum materia generatur forma mixti. Quarto, per ſuſceptionem perfectioris formæ ſubſtantialis; ſic embryo fit homo. Quinto, per aſſumptionem perfectioris ſtatus naturalis: ſic puer fit iuuenis & vir. Et his quidem quinque modis vnum fit aliud cum ſui mutatione. *Vnũ fieri poſſe aliud cum ſui mutatione quinque modis.*

100 Quatuor etiam modis reperire licet vnum dici fieri aliud ſine vlla ſui mutatione. Primo, in ſpecie tantùm, & vt vulgò dicitur, ſecundùm apparentiam: ſic virgæ Magorum, ſecundùm opinionem multorum, factæ dicuntur in ſcriptura ſerpentes: hoc etiam modo dici poſſet, Angelos fieri homines, cùm aſſumunt corpus ad ſimilitudinem humani corporis figuratum, ita vt homines eſſe videantur & putentur. Secundo, per aſſumptionem noui alicuius honoris vel dignitatis, vel muneris & poteſtatis; ſic dicitur quis fieri Sacerdos, Epiſcopus, Cardinalis ſine vlla ſubſtantiæ ſuæ mutatione. Atque huiuſmodi exemplo vſi ſunt ad demonſtrandum incarnationis Filij DEI modum, Athanaſius, Nazianzenus, Flauianus, Ambroſius, Seuerianus, & Chryſoſtomus, vt refert Theodoretus in Dialogo qui inſcribitur (Immutabilis.) Tertio, vnum dicitur fieri aliud propter ſummam vtriuſque inuicem con- *Quatuor modis dici vnum fieri aliud ſine ſui mutatione.* *Exod.7.*

iunctionem: ſic Matthæi 19. vir & vxor dicuntur à Domino fieri vna caro, propter arctiſſimam & indiſſolubilem eorum inter ſe
1. ad Cor. 6. coniunctionem: & ſecundùm Paulum, *Qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt.* Quarto, vnum fit aliud per relationem, ſine vlla illius mutatione, ſed ob ſolam alterius mutationem: exempli gratiâ, vnicus patri filius, ſi poſtea alius filius ex eodem patre generetur, ille fit frater huius citra ſui mutationem: & ego, non motus loco, efficior nunc dexter, nunc ſiniſter alij qui locum mutat: ſic etiam creato mundo, DEVS factus eſt Dominus & gubernator & conſeruator mundi: ſic Dauid in Pſalmo 69. dixit, *Domine refugium*
S. Thomas. *factus es nobis à generatione in generationem.* B. Thomas in tertia parte quæſtione decima ſexta articulo ſexto, in reſponſione ad ſecundum docet, hoc modo intelligendum eſſe quod dixit B. Ioannes hoc loco, *Verbum caro factum eſt*, & quod dici ſolet, DEVS *factus eſt homo*: illud enim, (factum) non dicitur de Verbo nec de DEO niſi terminatiuè, & extrinſecè; at intrinſecè dicitur & realiter de carne & humanitate propter vnionem eius cum Verbo. Itaque quartus hic modus proprius eſt huius myſterij, nec in alio ſimiliter aut eſt aut fuit vnquam: ſecundùm quem, id quod eſt perfectum ſuppoſitum vnius naturæ, fit de nouo ſuppoſitum alterius naturæ diſtinctæ. Etenim verbum, cùm ab æterno fuiſſet ſubſiſtens in natura diuina, ex tempore cœpit eſſe ſubſiſtens in natura humana: & quia illa humanitas non habebat aliam perſonalitatem, niſi diuinam Verbi perſonalitatem; ideo verè dicitur & DEVS eſſe factus homo, & homo eſſe factus DEVS.

At enim, obiiciet nobis fortaſſe [illegible] illud quod Apoſtolus 101
Locus Epiſtolæ ad Philippenſes cap. 2. in ſecundo capite Epiſtolæ ad Phili[illegible]es ſcripſit dicens, Filium DEI ſemet ipſum exinaniuiſſe [illegible] factus eſt homo: ſi enim Filius DEI per incarnationem e[x]nanitus eſt, ergo mutatus aliquo modo eſt, & aliquid perdidit, vel dere liquit quod habebat antea; id enim ſignificare videtur illud, *exinanitum eſſe.* Ad hanc obiectionem ita reſpõdendum eſt: Apoſtolum continuò proximè ſequentibus verbis declaraſſe, quemadmodum Filius DEI exinaniuerit ſemet ipſum, ſubdens, *Formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Exinanitus igitur dicitur Filius DEI per incarnationem, eò quòd apparere voluit ſub forma

hominis

hominis mortalis & paſſibilis, & humilis atque pauperis, & ſub conditione ſeruili: Etenim ipſe, tanquam ſeruus, lauit pedes: tanquam ſeruus, pecuniâ venditus eſt; tanquam ſeruus maleficus, verberibus cæſus eſt, & crucem geſtauit, & in crucem ſublatus eſt.

VIGESIMA SEPTIMA DISPVTATIO.

Exponuntur, ſimúlque refelluntur nonnulli Hæreticorum errores circa hæc verba B. Ioannis & circa Incarnationem VERBI DEI.

102 VISVM nobis eſt, curſim indicare hoc loco aliquot Hæreticorum errores qui circa hæc verba Ioannis à veritate fidei Catholicæ aberrârunt. Arrius, quia Ioannes dixit, Verbum eſſe factum carnem, putauit, Verbum nihil aſſumpſiſſe de natura humana niſi nudam carnem, carentem anima. Sed iſte non animaduertit Ioannem poſuiſſe hoc loco nomen carnis pro toto homine, ſecundùm phraſin in Sacra ſcriptura frequentatam. Quòd autem poſt Verbi incarnationẽ fuerit in CHRISTO anima diſtincta à Verbo, & à carne, luce clarius eſt in diuinis litteris: hoc enim oſtendunt illa Domini verba, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* & illa, *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Quid quòd eſurire, ſitire, fatigari, creſcere ſecundùm ætatem, dolere, lacrymari, turbari, quæ de CHRISTO leguntur in Euangelio, non poſſunt ſine anima verè eſſe in vllo; & ipſa caro, ſi eſt in anima non eſt, niſi æquiuocè, caro; multò minùs, caro hominis.

Quinque errores Hæreticorũ circa hæc verba B. Ioãnis.

Primus error Arrij.

Matth. 26.

Ioan. 10.

103 Apollinaris, quia Verbum dicitur factum caro, & nomen carnis nonnunquam in ſcriptura ſumitur pro inferiori hominis parte quæ eſt irrationalis; dixit, Verbum aſſumpſiſſe carnem cum anima quidem vegetatiua & ſenſitiua, ſed ſine anima rationali, cuius vicem ſuppleuit ipſum Verbum Dei. Atqui, ſi animam rationalẽ non habuiſſet CHRISTVS, verè nõ fuiſſet homo; nec fuiſſet obediens DEO patri; nec meruiſſet vel redemptionem humani generis, vel exaltationem ſui nominis; neque creuiſſet in gratia & ſapientia,

Secundus error, qui eſt Apollinaris.

Luca 2. vt de eo ſcripſit Lucas: hæc enim omnia, quæ de CHRISTO dicuntur in Euãgelio, ſine anima rationali conſiſtere haudquaquam poſſunt. Præterea, Verbum non potuit carni præſtare vim animæ rationalis, quæ eſt forma & pars hominis: DEVS enim ſupplere non poteſt immediatè vicem cauſæ materialis, vel formalis; id enim continet imperfectionem, diuinæ perfectioni contrariam.

Tertius error, qui eſt Neſtorij. Neſtorius negauit, verbum eſſe factum carnem, ſiue hominem 104 ſubſtantialiter, ſed tantùm accidentaliter. Dixit enim, duas eſſe in CHRISTO perſonas, & perſonam VERBI, & perſonam illius hominis, vnitas inter ſe arctiſſimo charitatis vinculo, & ſumma conformitate voluntatis humanæ cum diuina voluntate. Hic error damnatus eſt in Concilio Epheſino: & damnatur multifariam in Sacra ſcriptura, quæ de eodem CHRISTO & diuina prædicat, & humana. Contra quem errorem apertè facit illud quod B. Ioannes in quarto capite ſuæ primæ Epiſtolæ ſcripſit his verbis: *Omnis ſpiritus qui ſoluit* IESVM, *ex* DEO *nõ eſt.* Dixit, *Qui ſoluit* IESVM, in eos qui diuidunt in CHRISTO perſonam diuinam & humanam; & vnionem naturæ diuinæ cum humana ſubſtantialem atque perſonalem tollunt.

Quartus error, qui eſt Eutychetis. Eutyches confundebat naturas, dicens, per incarnationem Ver- 105 bi fuiſſe inuicem mixtas, & conuerſas in vnam quandam tertiam ſubſtantiam. Damnatus eſt hic error in Concilio Chalcedonenſi. Sanè, talis commixtio & conuerſio repugnat immutabilitati Deitatis Verbi: & poſt incarnationem euidenter & diſtinctè apparuerunt in CHRISTO propriæ operationes diuinitatis, & humanitatis. Marcion, & Manichæi dixerunt, Verbum DEI non ſumpſiſſe veram carnem humanam, ſed tantùm ſpeciem externam, & figuram atque ſimilitudinem carnis humanæ; ſicut Angelus Raphaël apparuit Tobiæ ſub ſpecie hominis iuuenis; & tres Angeli, *Tob. 6. Geneſ. 18.* quos ſub humana & virili ſpecie Abraham vidit, & hoſpitio accepit. *Quintus error, qui fuit Manichæorũ Valentini & Apellis.* Valentinus autem & Apelles dixerũt, corpus illud CHRISTI non fuiſſe ex materia humanæ carnis, ſed ex materia corporũ cœleſtium. Sed huius ſententiæ falſitas ex eo manifeſta fit, quòd Dominus poſt Reſurrectionem ſuam diſcipulis apparens; & ambigentibus illis an ipſe phantaſma quoddã eſſet; eam ab ipſis dubitationem remouens dixit: *Luca 24.* *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa*

oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et verò ſi CHRISTVS veram carnem humanam non habuiſſet, verè neque conceptus, neque natus, neque mortuus, nec reſuſcitatus fuiſſet, ſed hæc omnia ſecundùm ſpeciem tātùm & ſimulationē in eo facta eſſent; quamobrem nec verè hominum redemptio per CHRISTI mortem facta eſſet; nec ipſe CHRISTVS per humiliationem paſſionis & mortis meruiſſet exaltari ſuper omnia, ſicut ait Paulus. Quapropter B. Ioannes aduersùs iſtum errorem in quarto capite ſuæ primæ Epiſtolæ, hæc verba ſcripſit: *Omnis ſpiritus, qui cōfitetur* IESVM *in carne veniſſe, ex* DEO *eſt: qui autem non confitetur; hic ſeductor eſt, & Antichriſtus.* Tertullianus ad hunc refellendum errorem, librum ſanè quàm eruditum & diſertum de vera CHRISTI carne ſcripſit: eum quoque errorem Ignatius Martyr execratur in Epiſtolis ſuis ad Tarſenſes, & ad Philippēnſes, & Dionyſius Areopagita in Epiſtola ad Caium.

Ad Philipp. 2. *Tertullianus.* *Ignatius.* *Areopagita.*

VIGESIMA OCTAVA DISPVTATIO.

De multis, & varijs modis quibus in Sacra ſcriptura veteris Teſtamenti figuratè præſignificatum eſt myſterium incarnationis VERBI DEI.

106 MVLTIS profectò, variiſque modis diuinam ſcripturam veteris Teſtamenti adumbrâſſe, atque inſinuâſſe myſterium incarnationis Verbi DEI, licet obſeruare. Primò, Salomon in capite nono libri Prouerbiorum ita ſcripſit: *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Quod complures Patrum de Verbi DEI incarnatione interpretati ſunt. Secundò, in vigeſimo quarto capite libri Eccleſiaſtici: *Qui creauit me*, ait anima CHRISTI, *requieuit in tabernaculo meo*, id eſt, in corpore meo, cui vnitum perſonaliter fuit Verbum DEI: & ideo Paulus dixit in ſecundo capite Epiſtolæ ad Coloſſenſes, in CHRISTO inhabitare plenitudinem diuinitatis corporaliter. Quòd autem corpus humanum in ſcriptura non rarò metaphoricè ſignificetur nomine domus & tabernaculi, notius eſt, quàm vt prolatis in medium ſcripturæ locis demonſtrari neceſſe

Decem in locis Sacra ſcriptura veteris Teſtamenti fuiſſe myſterium incarnationis Verbi adumbratum, & præſignatū.

neceſſe ſit. Tertiò, Eſaias cap. 6. *Vidi*, inquit, ***Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum*** : per illud ***Dominum***, intelligunt Patres Verbum & Filium DEI, & ſic eſſe intelligendum docuit nos CHRISTVS, vt ſcribit Ioãnes in capite duodècimo huius Euangelij. Per ***ſolium excelſum & eleuatũ***, ſignificatur humanitas CHRISTI, ſciẽtia, poteſtate, gratia, honore & dignitate, & gloria, ſuper omnes creaturas eleuata. Triplex autẽ illa acclamatio Seraphim, ***Sanctus, Sanctus, Sanctus***, denotauit triplicem in CHRISTO ſanctitatem, diuinæ naturæ, & animæ, & corporis. Quartò, apud eundem Eſaiam cap. 11. ***Egredietur***, inquit, ***virga de radice Ieſſe; & flos de radice eius adſcendet***. Quibus verbis metaphoricè inſinuatur incarnatio filij DEI ex ſemine Dauid. Quintò, apud eundem Eſaiam cap. 45. ſignificatur hoc myſterium nomine roris, & pluuiæ, & germinationis: ſic enim apud illum eſt: ***Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem***. Sextò, apud Dauidem in Pſalmo ſeptuageſimo primo inſinuatur hoc myſterium per deſcenſum pluuiæ in vellus, illis verbis: ***Deſcendet ſicut pluuia in vellus***. Huiúſque rei perilluſtris figura fuit, quod in ſexto capite libri Iudicum narratur de vellere Gedeonis. Septimò, eodem ſpectat illud Hieremiæ vaticinium ſcriptum in capite trigeſimo primo illis verbis: ***Nouum creauit Dominus ſuper terram, mulier circundabit virum***. Id autem eſt, mulier in vtero ſuo habebit hominem perfectum; perfectum dico, ſecundùm rationis vſum, & ſecundùm omnem perfectionem ſuperioris partis animæ. Octauò, illud etiam luculentum eſt hac de re vaticinium Baruch cap. 3. ***In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt***. Nonò; huc quoque pertinet myſticus ille, viſus Danieli, lapis abſciſſus de monte ſine manibus. Decimò, in decimo ſeptimo quoque libri Numerorum capite inſignis huius myſterij figura legitur, virga ſcilicet Aaronis ſine humore & ſine ſemine frondeſcens, & floreſcens, atque fructificans.

Danielis 2.

Vndecim nomina, quibus figuratè ac myſticè in Sacra ſcriptura ſignificatur caro & corpus Chriſti Domini noſtri.

Illud præterea obſeruandum eſt, carnem ſiue corpus CHRISTI Domini, ob multas & varias eius ſingulares proprietates atque excellentias, variis etiãm nominibus metaphoricis in diuina ſcriptura deſignari, ſicut ex proximè dictis licet intelligere. Significatur enim nomine domus, Prouerbiorum 9. Et tabernaculi, Eccleſiaſtici. 107

cleſiaſtici 24. & lapidis, Danielis 2. & Habitus, ad Philippenſes 2. Cùm dicitur, *Habitu inuentus vt homo*, & Templi, vt Ioannis 2. *Soluite templum hoc &c.* Et Nubis, Eſaia 28. & Panis ac cibi, Ioannis 6. & Velaminis, ad Hebræos 10. Et Grani frumenti, Ioannis 12. Et Stolæ ac Pallij, Geneſis 49. & Indumenti ac veſtis, Eſaiæ 63. & Apocalypſis 19.

VIGESIMA NONA DISPVTATIO.

De quatuor ſimilitudinibus, quibus myſterium hoc incarnationis Verbi à Patribus declarari ſolet.

108 PRIMA ſimilitudo eſt inſitionis; ſed contrario modo quàm ab hominibus ferè ſolet fieri; fit enim inſitio meliori arbore inſita in deteriorem, vt ei bonitatem ſuam communicet. In hoc autem myſterio contra factum eſt, deteriori nimirum natura inſita quodammodo perfectiſſimæ naturæ. Et hunc inſitionis modum ſpectauit Paulus, cùm in vndecimo capite Epiſtolæ ad Romanos ſcripſit illa verba: *Tu autem cùm Oleaſter eſſes, inſertus es, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.* Secunda ſimilitudo eſt ferri ſiue gladij igniti: in gladio enim ignito & gladij, & ignis proprietates atque operationes, vt ſunt, vrere, & ſcindere, diſtinctè apparent. Tertia ſimilitudo eſt cryſtalli, quæ Solis luce tota penetratur & perfunditur: manet enim in ea diſtinctè vis lucis, & ipſius cryſtalli: & quamuis, fracta vel diuiſa cryſtallo, partes eius ſeparentur inuicem; lux tamen ab earum partium nulla ſeparatur. Quarta ſimilitudo, qua frequenter vſi ſunt Patres, & quæ videtur huic myſterio congruentiſſima, eſt ſimilitudo coniunctionis animæ rationalis cum humano corpore: ſicut in Symbolo Athanaſij dicitur, (ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo; ita *Athanaſius.* DEVS & homo vnus eſt CHRISTVS.) Hac ſimilitudine vſus eſt Auguſtinus in Epiſtola tertia & quinquageſima ſeptima, & in capite decimo ſeptimo libri decimi tertij; de Trinitate Gregorius *Auguſtinus.* Nazianzenus in Epiſtola prima ad Elidonium; Cyrillus in libro *Nazianzenus. Cyrill. Alex.* de incarnatione capite octauo, & Concilium Epheſinum, & *Concilium Epheſinum.*

B.Thomas. B.Thomas in cap.quadrageſimo primo libri quarti, contra gentes.

Quoniam igitur huiuſmodi ſimilitudo ſatis celebrata eſt à Pa- 109
tribus, operæ pretium fuerit, non incurioſè eam ſimilitudinem declarare: ſunt enim in coniunctione animæ rationalis & corporis, & in vnione Verbi & humanitatis CHRISTI multa ſimilia; ſunt etiam pariter multa diſſimilia; hæc autem ſeparatim ac diſtinctè lectori notificanda eſſe duximus.

Sex ſimilitudines inter coniũctionem animæ rationalis & corporis & inter vnionẽ Verbi Dei & humanæ naturæ.

Prima ſimilitudo: Sicut in homine anima & corpus, cùm ſint naturæ actu diſtinctæ & diſiunctæ, ſubſtantialiter tamen coëunt inuicem ad vnum conſtituendum: ita in CHRISTO diuinitas & humanitas inuicem cõiunctæ ſunt, ex quibus conſtitutus eſt CHRISTVS. Secunda ſimilitudo: Sicut poſt coniunctionem animæ cum corpore, manent vtriuſque inconfusè, ac diſtinctè naturæ proprietates, & operationes: ita poſt incarnationem Verbi, manent in CHRISTO duæ naturæ diuina & humana inconfuſæ, earúmque proprietates & operationes diſtinctæ. Tertia ſimilitudo: Sicut in homine, & quæ ſunt animæ, & quæ ſunt corporis, licèt inter ſe admodum diuerſa ſint, & nonnulla etiam contraria; ea tamen, propter ſubſtantialem earum inter ſe vnionem, eidem homini attribuuntur: ita in CHRISTO quæ ſunt diuinitatis, & quæ ſunt humanitatis, propter perſonalem earum vnionem, eidem CHRISTO attribuuntur. Quarta ſimilitudo: Sicut anima & corpus, licèt naturæ ſint diſtinctæ, in vna tamen perſona humana vniuntur: ita etiam in CHRISTO diuina & humana natura vniuntur in vna perſona Verbi. Quinta ſimilitudo: Sicut corpus eſt organum internum & coniunctum animæ participans eius operationes: ita in CHRISTO caro eius erat organum internum & coniunctum diuinitati, participans diuinas operationes; vt ſunt, facere miracula, remittere peccata, dare vitam æternam. Sexta ſimilitudo: Sicut propter vnionem animæ & corporis dicitur homo generare hominem, licèt animam rationalem non producat: ita Beata Virgo, licèt in generatione CHRISTI ſubſtantiam tantùm corporis præbuerit, ea tamen, propter hypoſtaticam vnionem corporis cum diuina natura Verbi, verè dicitur genuiſſe DEVM: vnde in Concilio Epheſino decretum eſt contra Neſtorium, Beatiſſimam MARIAM verè nominari matrem DEI. Quæ ſunt itaq; ſimilia in coniunctione animæ

cum

cum corpore, & in vnione humanæ naturæ cum diuina in Verbo, huiuſmodi fermè ſunt.

110 Septem verò alia cernuntur diſſimilia. Primò: in homine anima & corpus ſunt duæ naturæ incompletæ, atque imperfectæ: in CHRISTO diuinitas & humanitas, ſunt duæ naturæ integræ, completæ, atque perfectæ. Secundò: anima eſt actus formalis, & perfectio corporis: in CHRISTO diuinitas non eſt actus formalis, nec perfectio humanitatis. Tertiò: anima & corpus ſunt partes ſubſtantiales hominis, ex quibus fit tertia quædam ſubſtantia per quam homo eſt homo: in CHRISTO diuinitas & humanitas non ſunt partes componentes tertiam ſubſtantiam. Quartò: in generatione hominis & anima & corpus de nouo producuntur; illa quidem per creationem ex nihilo, hoc autem per generationem phyſicam ex materia: in CHRISTO humanitas de nouo producta eſt; diuinitas ab æterno fuit. Sextò: in homine ex coniunctione animæ cum corpore reſultat de nouo perſona humana, quæ antea nullo modo fuerat: in CHRISTO non fuit alia perſona quàm diuina ipſius Verbi, quæ fuit æterna; licèt ea ipſa de nouo ſubſiſtens fuerit in natura humana. Septimò: in morte hominis ſeparatur anima à corpore, pereunte tertia ſubſtantia compoſita, & perſona ipſa humana: in illo triduo mortis CHRISTI, ſeparata quidem eſt anima eius à corpore; ſed perſona Verbi neque ab anima neque à corpore vnquam ſeparata eſt, ſed vtrique coniuncta perpetuò fuit.

Septem diſſimilia inter cõiunctionem animæ cum corpore hominis, & inter myſterii incarnationis.

TRIGESIMA DISPVTATIO.

De octo miraculis, quæ in ſanctiſſima Incarnatione Verbi DEI *facta ſunt.*

111 OCTO miracula cernere licet in myſterio incarnationis Verbi DEI: quorum tria facta ſunt in corpore; tria item in anima; duo autem in toto coniuncto. Vnum miraculum fuit in corpore, quòd illud corpus non per virtutem ſeminis virilis, vt in generatione aliorum hominum fieri ſolet, ſed per ſolam virtutem

Tria miracula in corpore Chriſti.

Spiritus ſancti formatum eſt. Cùm enim Beata Virgo dixiſſet Angelo, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* reſpondit ei Angelus, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideoq́; quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius* DEI. Alterum miraculum fuit, quòd illud corpus non paulatim & multo tempore, vt fit in generatione aliorum hominum; ſed vno temporis inſtante totum ſimul perfectè organizatum eſt. Tertium miraculum fuit, quòd illud corpus, eo ipſo inſtanti quo formatum eſt, fuit hypoſtaticè vnitum diuino Verbo, nunquam impoſterum ab eo ſeparandum.

Luca 1.

Tria miracula in anima Christi.

Tria itidem miracula obſeruare licet in anima CHRISTI & in hoc myſterio incarnationis. Primum miraculum fuit, quòd anima illa à primo inſtanti ſuæ creationis habuit perfectum rationis vſum, & perfectam vim intelligendi. Secundum miraculum fuit, quòd etiam à primo vſque inſtanti ſuæ creationis, habuit beatificam DEI viſionem. Tertium miraculum fuit, quòd etſi pars ſuperior illius animæ beatificis gaudiis perpetuò frueretur; nihilominus tamen pars inferior eiuſdem animæ paſſioni, & triſtitiæ, & dolori ſubiacebat; nec gaudium illius impediebat triſtitiam & dolorem huius; neque huius triſtitia & dolor, illius gaudium vllatenus turbabat. Immò verò, ſecundùm aliquos Doctores Theologos, illa ipſa ſuperior pars animæ CHRISTI, in tempore paſſionis, ſummum gaudium, ſimúlque ſummam triſtitiam ſenſit, ſecundùm diuerſas tamen rationes, & reſpectu diuerſorum obiectorum. Denique, duo etiam miracula in toto coniuncto ſpectabilia ſunt. Alterum eſt, quòd homo ille CHRISTVS comprehenſor fuit ſimul & viator, & in termino exiſtens & in via. Alterum verò fuit, quòd habens humanam naturam perfectam & per ſe exiſtentem, non tamen habuit perſonalem ſubſiſtentiam, intrinſecam, & naturaliter conuenientem naturæ humanæ; ſed humanitas illa extrinſecè à verbo DEI, (vt ita loquar) ſuppoſitatur, ſiue perſonabatur. 112

TRIGE.

TRIGESIMA PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et habitauit in nobis.

113 TRIPLEX horũ verborũ apud explanatores huius Euangelij reperitur interpretatio. Vna eſt Caietani, interpretantis hoc de ſpirituali inhabitatione Verbi in animis noſtris per gratiam: ſicut Paulus dixit, CHRISTVM *per fidem inhabitare in cordibus veſtris.* Hoc autem ideo B. Ioannes, ſecundùm Caietanum, adiecit, ne putaretur, quia Verbum factum erat caro, non potuiſſe poſt incarnationem habitare ſpiritualiter in cordibus hominum. Verùm, hæc interpretatio ſatis incongrua & aliena eſt conſilio & propoſito B. Ioannis in hoc loco; nec ea cum antecedentibus & ſequentibus eius ſententiis aptè cohæret. Altera interpretatio eſt fermè communis explanatorum tam Græcorum, quàm Latinorum: qui illud *in nobis*, interpretantur, *in noſtra natura.* Idque propterea putant adiunctum eſſe à Ioanne, ne quia dixerat, Verbum eſſe factum carnem, exiſtimaret quiſpiam, Verbum eſſe mutatum in carnem. Hoc igitur remouens Ioannes dixit, Verbum, etiam poſtquàm factum eſt caro, habitâſſe in carne & in natura humana: habitans verò diuerſum quid & diſtinctum eſt ab eius habitaculo. Sed profectò tertia interpretatio, ſimplicior, & planior, & ſententiæ B. Ioannis cõgruentior videtur: ſecundùm quam, illud *in nobis*, non aliud ſignificat niſi, *inter nos*, vel *nobiſcum.* Et hoc dixit Ioannes, vt indicaret, non modò Verbum eſſe factum hominem, ſed etiam habitâſſe inter homines, & conuerſatum eſſe cum hominibus; ad homines videlicet erudiendos, & ſanandos, & ad DEVM conuertendos. Illa autem præpoſitio *in*, frequenter ponitur pro *inter* (quod ſanè non animaduertit Caietanus) tam apud bonos ſcriptores Latinos, quàm apud Sacros ſcriptores; tale enim eſt illud in capite quinto prioris Epiſtolæ B. Petri: *Seniores qui in vobis ſunt, conſenior ego obſecro.* & illud Dauidis, *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius*, id eſt, (inter ſacerdotes eius) quod ipſe continuò declarauit

Triplex interpretatio.

Prima interpretatio qua eſt Caietani.

Secũda interpretatio, qua eſt ferè communis.

Tertia interpretatio, quã potiſſimùm Auctor ſequitur.

Pſalm. 98.

adiungens, *Et Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.*

Quadruplex obſeruatio ſuper hoc loco.

Cæterùm, quò plenior, & illuſtrior ſit loci huius explanatio & intelligentia, nonnulla ſunt ſuper his verbis obſeruanda. Prima obſeruatio ſit hæc: Quòd Ioannes dixit hoc loco, Verbum habitâſſe in nobis, B. Petrus in Actis Apoſtolorum cap. 1. ſic expreſſit: *In omni tempore quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus* IESVS. Et Ioannes Baptiſta dixit: *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.* Et ipſe Dominus noſter idem ſignificare volens dixit: *Venit filius hominis manducans & bibens &c.* Et Paulus ad Philippenſes 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Id autem eſt, ſecundùm Ambroſium, tali fuit victu, veſtitu, & conuerſatione, quali ſunt cæteri homines. Sed clariſſimè, ſine figura, vel metaphora, hoc ipſum prædixerat Baruch cap. 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* 114

Matth. 3. — *Ibidem.* — *Ambroſius.*

Perpenditur Græca lectio huius loci. Tabernaculũ ſæpe vſurpari metaphoricè pro corpore hominis.

Altera obſeruatio eſt: pro Latino illo Verbo, *habitauit*, verbum Græcum quo hîc vſus eſt Ioannes, eſſe (ἐσκήνωσεν) ductum à nomine σκηνὴ, quod ſignificat *Tabernaculum*, & *Vmbraculum.* Solet autem Sacra ſcriptura vti metaphoricè vocabulo tabernaculi, ad ſignificandum corpus humanum: vt apud Paulum in capite quinto poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios: *Qui ſumus*, inquit, *in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati &c.* Et apud Petrum in Epiſtolæ ſecundæ capite ſecundo: *Quandiu ſum in hoc tabernaculo: certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* Ergo, iſtorum verborum, *habitauit in nobis*, ſenſus eſt hic: Verbum factum caro, tabernaculum ſuum poſuit inter homines, id eſt, habitauit, & commoratus eſt inter illos. Habitare autem in tabernaculis, erat militum, & paſtorum, & eorum qui firma, manſuráque domicilia non habebant: quod bellè quadrat ad eam vitæ rationem, quam CHRISTVS Dominus egit in terris ad ſimilitudinem ſcilicet peregrinantium: vnde Ieremias de eo prædixit: *Quare tanquam colonus futurus es in terra, & quaſi viator, declinans ad manendum?* Altera verò ſignificatio eiuſdem vocis pro, *Vmbraculo*, bene conuenit huic myſterio: corpus enim CHRISTI fuit ceu Vmbraculum diuinitatis; quo, ſecundùm nonnullos Doctores, ſpectauit illud quod Gabriel Archangelus dixit B. MARIÆ: *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* 115

Ierem. 14. — *Luca 1.*

Tertia obſeruatio: Ex eo quod Ioannes dixit, Verbum habi- 116

tâſſe

Argumentatio Neſtorij refellitur.

tâſſe in nobis, argumentabatur Neſtorius, Verbum non fuiſſe in CHRISTO ſubſtantialiter, ſed tantùm accidentaliter, per ſpiritualem inhabitationem excellentis gratiæ in eo: habitans enim, non eſt ſubſtantialiter coniunctum habitaculo ſuo; ergo, ſi Verbum habitauit in natura humana, non fuit ei ſubſtantialiter vnitum. Sed hæc Neſtorij argumentatio, ſi quid valeret, non contra tertiam interpretationem horum Verborum Ioannis, quam nos prætulimus aliis; ſed contra ſecundam tantùm interpretationem valeret. Quamquam neque contra ſecundam interpretationem vim vllam habet: ſimiliter enim argumentari poſſemus, neque animam B. Petri, neque B. Pauli ſubſtantialiter fuiſſe in corporibus eorum, quoniam ipſi corpora ſua appellauerunt tabernacula, vt paulò ſuprà, commemoratis eorum verbis, oſtenſum eſt: vtitur igitur Sacra ſcriptura Verbo habitandi, & vocabulo tabernaculi non propriè, ſed metaphoricè. Si autem DEVS tantùm per gratiam habitâſſet in CHRISTO, non verè diceretur, Verbum factum caro, vel DEVS factus homo: ſiquidem etiam per gratiam DEVS habitauit in Sacris Patriarchis & Prophetis. Nec valida eſt illa reſponſio, DEVM habitâſſe in CHRISTO per excellentiorem gratiam, quàm in aliis ſanctis: nam, vt Philoſophi dicunt, magis & minùs non variant ſpeciem. Apoſtolus etiam ſcribens in Epiſtola ad Coloſſenſes, in CHRISTO habitâſſe plenitudinem diuinitatis corporaliter, ſatis oſtendit illo vocabulo, *corporaliter*, DEVM non tantùm ſpiritualiter habitâſſe in CHRISTO per gratiam, ſed etiam ſubſtantialiter, corpore eius vnito perſonaliter diuinitati. *Ad Coloſſ. 2.*

Diuerſo modo Deum olim habitaſſe in Iudæis, quàm poſt incarnationem Verbi habitauit in hominibus.

117 Quarta obſeruatio: DEVS in veteri Teſtamento dicebatur habitare in populo Iudaico dupliciter: Vno modo dicebatur habitare in populo Iudaico in vniuerſum, quia communiter populum illum ſingulari quadam beneuolentia & cura regebat atque tuebatur; multiſque prodigiis editis, eius ſe gentis protectorem & defenſorem eſſe declarauit. Altero modo, & magis ſpeciali quadam ratione, dicebatur eſſe DEVS in illo populo, propter Moſaicum tabernaculum, & ſanctuarium, & templum poſtea fabricatum à Salomone: illic enim ſpecialiter DEVS eſſe dicebatur, quia ibi tantùm & non alibi ſacrificari ſibi à Iudæis volebat: ibique frequenter

quentet reddendis Oraculis atque reſponſis præſentiam ſuam declarabat. At verò, poſt incarnationem Verbi, non vno in populo, ſed in omnibus gentibus; non vno in loco, ſed per omnem terrarum orbem; non vno modo, ſed plurimis & clariſſimis modis DEVS in hominibus habitare voluit. Primò, in natura noſtra, eam ſibi ad vnitatē perſonæ diuinæ aſſumendo. Deinde, nobiſcum conuerſando: præterea, mala etiam noſtra & ærumnas ac miſerias corporales, noſtræ ſalutis causâ, ſubeundo: ad hæc, realem præſentiam ſui corporis in Sacramento ad fidelium ſuorum conſolationem mirabiliter exhibendo: ac demum, perpetua ſuæ protectionis & dilectionis aſſiſtentia Eccleſiam regendo, paſcendo, tuendóque ad conſummationem vſque ſæculi: ſicut ipſe promiſerat Apoſtolis dicens, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

Quinque modis Deum habitare in hominibus poſt incarnationē Verbi.

Matth. vlt.

Locus Deuteronomij c. 4.

Moſes in quarto capite Deuteronomij tanquam eximium quid 118
atque inauditum prædicat, quòd Hebræi audierint voces DEI, cùm in montem Sina deſcendit daturus eis legem: *Interroga*, inquit, *de diebus antiquis qui fuerunt ante te, ex die qua creauit* DEVS *hominem ſuper terram; à ſummo cæli vſque ad ſummum eius; ſi factà eſt aliquando eiuſmodi res, aut ſi vnquam cognitum eſt, vt audiret aliquis voces* DEI *loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vixiſti*: Et in capite octauo libri tertij Regum inducitur Salomon quaſi mirabundus, quòd DEVS in templo à ſe fabricato habitare vellet, & exclamans: *Ergóne putandum eſt, quòd verè* DEVS *habitet ſuper terram? ſi enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt; quantò magis domus hæc quam ædificaui?* Atqui, hæc quæ Moſes & Salomon vſque adeò magnificârunt, ſi comparentur cum tot tantiſque donis & bonis, quæ per incarnationem Verbi DEI, hominibus collata ſunt; non ſolùm ea non videbuntur maxima diuinæ erga homines beneuolentiæ miracula, ſed inter minima, vel certè mediocria DEI beneficia cenſebuntur.

Locus libri tertij Regum cap. 8.

TRIGE

TRIGESIMA SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre.

VER. 14.

119 HOc adiecit B. Ioannes, ne putaretur Verbum, quia factum erat caro, perdidiſſe gloriam ſuam: aut certè ita fuiſſe gloriam eius carne velatam & contectam, vt ea nunquam poſtea appareret. Dixit etiam hoc Ioannes, vt indicaret, vnde ipſe, aliique Apoſtoli cognouiſſent, hominem illum IESVM fuiſſe verum DEI filium, æternúmque DEI Verbum: id enim perſpicuè cognitum habuerunt ex gloria, quam in eo viderunt, non humana ſed diuina. Pro illo *vidimus*, Græcum verbũ hoc loco ἐθεασάμεθα magnam habet emphaſin: ſignificat enim, non quodlibet, nec quocunque modo videre; ſed tanquam nouum quid & admirandum, magna cum admiratione ac ſtupore aſpicere, & ſpectare: ab iſto enim verbo ductum eſt nomen Theatrum, vbi mira, & iucunda ſpectacula exhibebantur. Quod autem hoc loco dixit Ioannes *vidimus*, id ipſum multò plenius, expreſſiúſque dixit in principio primæ ſuæ Epiſtolæ illis verbis: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſta eſt. Et vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Eandem quoque ſententiãm in capite primo poſterioris Epiſtolæ ſuæ Petrus his verbis extulit: *Speculatores facti illius magnitudinis, notam fecimus vobis Domini noſtri virtutem & præſentiam, &c.* Vidit autem Ioannes Verbi DEI gloriam in CHRISTO, ex tot tantíſque ab eo patratis miraculis; præſertim verò in Transfiguratione eius, in morte, in Reſurrectione, & in Aſcenſione.

120 Pro illa particula *quaſi*, Græcè eſt ὡς, quam vocem Latinus interpres variè reddidit Latinè: hoc loco per *quaſi*, ad Philippenſes 2. per *vt*, in illis verbis, *Habitu inuentus vt homo.* Ad Romanos 3. per *tanquam*, in illis verbis: *Quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?*

dicor? & in capite quarto eiuſdem Epiſtolæ: *Vocat*, inquit, *ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Laurentius Valla Latinum interpretem reprehendit, quòd hoc loco verterit *quaſi.* Cùm ea vox non ſignificet veritatem rei, ſed quandam duntaxat veritatis ſimilitudinem: Ioannes autem ſignificare voluit, CHRISTVM fuiſſe verum vnigenitum: Putat igitur ipſe verti debuiſſe *tanquam.* Sed bonus iſte Grammaticus nõ animaduertit, eandem eſſe rationem & vim iſtarũm duarum vocum *quaſi*, & *tanquam*, vt quod de vna dicitur, idem quoque de altera dicendum ſit: Eandémque calumniam ipſius, non minùs iſti voci *tanquam* quàm illi *quaſi*, ſtrui poſſe.

Laurẽtij Vallæ malè reprehẽdentis Latinũ interpretem, vera & iuſta reprehenſio.

Quaſi & tanquam, interdũ veritatẽ, nonnũquam ſimilitudinem tãtùm veritatis ſignificare. Chryſoſt.

Verius igitur dictu fuerit, quod Chryſoſthomus ſuper hoc loco 121
dixit, vocem iſtam *quaſi*, vel, *tanquam* interdum ſignificare veritatem rei, vt cùm de Rege aliquo dicitur, ingreſſus eſt vrbẽ quaſi, vel tanquam Rex, id eſt, regali maieſtate & magnificentia; qualis decebat eum qui erat Rex. Nonnunquam verò denotat non veritatem ipſam, ſed vmbram & ſimilitudinem veritatis: vt ſi dicamus, Diabolum aliquando hominibus apparere quaſi bonum Angelum, vel tanquam Angelum lucis. Ioannes hoc loco priori modo ſumpſit illud *quaſi:* vt verborum eius hic ſit ſenſus: Vidimus eum tali & tanta gloria, qualis & quãta decebat vnigenitum DEI Patris. Caietanus putat, iſtam vocem *quaſi* iungi debere non cum voce *vnigeniti*, ſed cum illa voce *gloriam:* vt ſenſus ſit huiuſmodi: Nos quidem non vidimus gloriam eius, vt ipſa in ſe eſt, ea quippe incomprehenſibilis eſt mortalibus: ſed vidimus tamen quaſi gloriam eius, id eſt, multa ſigna & argumenta gloriæ, quam habet non ſicut famulus in domo DEI, vt de Moſe ſcripſit Paulus in Epiſtola ad Hebræos, ſed vt filius vnigenitus DEI. Sed enim, hæc interpretatio, etſi verum ſenſum continet, ea tamen contextui verborum Ioannis aptari non poteſt. Secundùm enim iſtam interpretationem debuerat Ioannes ita dicere, *Vidimus quaſi gloriam vnigeniti à patre.* At non ita dixit, ſed dixit hoc modo: *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à patre.* Ex quo palam eſt, illud *quaſi* non cum *gloriam*, ſed cum *vnigeniti* eſſe iungendum.

Caietani noua interpretatio diſcutitur.

Quatuor modis Chriſtum dici vnigenitum ex Nazianzeno, Baſilio.

Reſtat explicandum illud *vnigeniti à Patre.* CHRISTVS ap- 122
pellatur vnigenitus quatuor ob cauſas, quas ex Nazianzeno in libro quarto Theologiæ, & ex Baſilio in homilia de fide, & ex Dama

Damaſceno libro primo capite nono licet colligere. Primò, quia ex vno tantùm parente genitus eſt: ſecundùm naturam quidem diuinam, ex ſolo patre: ſecundùm autem humanam naturam, ex ſola matre. Deinde, quia vtraque in generatione vnicus fuit filius, nullum habens naturalem fratrem. Præterea, modus vtriuſque generationis eius fuit proprius ipſius, nullique alij communicabilis. Modus enim diuinæ generationis eius, fuit ex infinita fœcunditate paternæ mentis: modus verò generationis humanæ, fuit ex admirabili virginalis vteri fœcunditate. Ad hæc, CHRISTVS dicitur, ſecundùm Baſilium Filius DEI, quia bona DEI naturaliter poſſidet: dicitur vnigenitus DEI, quia omnia DEI bona vnicus ſoluſque filius poſſidet, non habens alios fratres, cum quibus ea bona partiri debeat: ipſe enim dixit, *Omnia quæ pater habet, mea ſunt.* Significat igitur Ioannes, ſecundùm Baſilium, gloriam Verbi, non ex DEI munere, vel ex gratia, ei contigiſſe; ſed, quia vnigenitus erat, naturaliter ei conueniſſe. Hinc porrò licet colligere, CHRISTVM fuiſſe perfectionis infinitæ: ſi enim fuit DEI vnigenitus, in eius generatione omnis DEI patris fœcunditas, quæ eſt infinita, expleta eſt. Apoſtolis autem pernotuit, CHRISTVM eſſe Filium DEI, primùm teſtimonio DEI patris in transfiguratione eius, cùm dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Deinde, Angelorum miniſterio, & tanquam Domino ſeruientium: tum, teſtificatione ipſius-met CHRISTI, hoc ipſum non modò per verba affirmantis; ſed etiam per multa miracula comprobantis.

Damaſcen.

Chriſtum, qui eſt vnigenitus Dei, ex eo concludi, eſſe perfectionis infinitæ.

Matth. 17.

123 Illud *à Patre*, iungi poteſt cum illo *vnigeniti*; & tunc ſupplendum eſt, *procedentis, vel miſſi*, vt ita legatur: *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti, à Patre procedentis vel miſſi.* Poteſt etiam iſtud *à Patre*, connecti cum illo *gloriam*, & ita permulti connectunt. Tunc autem ſuppleri debet, *exhibitam ipſi*, vt hæc ſit integra lectio: *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti, exhibitam ipſi à Patre.* Quæ lectio mirè congruit cum eo quod ſcribit B. Petrus in 1. cap. poſterioris Epiſtolæ ſuæ illis verbis: *Accipiens à* DEO *Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſmodi, à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.*

Locus ſecũda Epiſtola Petri cap. 1.

TRIGESIMA TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Plenum gratiæ & veritatis.

NOMEN illud *Plenum*, cùm pro eo Græcè ſit πλήρης, 124
conſtat eſſe nominatiui caſus: quapropter iungi non poteſt cum verbo illo *vidimus*, ſic enim eſſet accuſatiui caſus: ſed iungi debet cum illo *Verbum caro factum eſt*, vt ſic legatur hic locus: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis.* Illud verò *vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre*, tanquam interpoſitum per parentheſin, legendum eſt: Eraſmus, eúmque ſecutus Caietanus aptiùs eſſe putant, hîc nouam inchoare ſententiam, iungendo hæc Verba cum verbis proximè ſequentibus, hunc in modum: teſtimonium perhibuit de ipſo plenus gratiæ & veritatis Ioannes, vt ſic voluerit Euangeliſta probabilius facere teſtimonium Ioannis Baptiſtæ de CHRISTO, præfatus eximiam Ioannis dignitatem, quòd eſſet vir ſanctiſſimus & veraciſſimus, ob idq́; digniſſimus, cui fides ab omnibus haberetur. Sed hæc lectio & interpretatio, multas ob cauſas probabilis non eſt. Primò, quia ſatis duram & inſolentem facit verborum conſtructionem: ſi enim Euangeliſta iſtud ſignificare voluiſſet, ſic potiùs dixiſſet: Ioannes plenus gratiæ & veritatis, teſtimonium perhibuit de ipſo. Deinde, quotquot ſunt huius Euangelij explanatores antiqui, omnéſque Patres, iſta verba interpretati ſunt de CHRISTO, non autem de Ioanne. Et verò, ad CHRISTVM ea verba pertinere, patet ex eo quod ſubditur, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Et ex illo. *Lex per Moſem data eſt, gratia & veritas per* CHRISTVM *facta eſt.*

Noua Eraſmi & Caietani lectio & interpretatio huius loci expeditur.

Dicitur porrò Verbum DEI plenum gratiæ & veritatis, ſecundùm Theophylactum & Ianſennium, ad ſimilitudinem humani verbi ſiue ſermonis. Duplex autem humani ſermonis virtus & laus eſt, veritas, & gratia; vt ſit verus, ſimulq́ue gratus atque iucundus audiẽtibus. Vtrumque hoc Verbo incarnato pleniſſimè competit: 125

Cur Verbum incarnatum dictũ ſit plenũ gratia & veritatis, ſecundùm interpretationẽ Theophylacti & Ianſennij.

petit: non enim tantùm verax fuit, ſed etiam ipſa veritas: & de ipſo prædictum fuerat per Dauidẽ in Pſalmo quadrageſimo quarto, *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis:* & in capite quarto Canticorum de ipſo ſponſa dixit: *Fauus diſtillans labia tua.* Lucas etiam in capite quarto ſui Euangelij: ***Mirabantur***, inquit, ***omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius.***

126 Cæterùm, quomodo intelligendum ſit, Verbum fuiſſe plenum gratiæ & veritatis, veriſſimè ac doctiſſimè B. Thomas in tertia Parte quæſtione ſeptima articulo nono hunc in modum declarat: Plenitudo alicuius rei dupliciter attendi poteſt; vel ſecundùm gradum intentionis, vt plenè dicatur haberi aliquid, quia habetur quantum haberi natum eſt. Altero modo plenitudo alicuius rei attendi poteſt ſecundùm virtutem, vt ſi quis plenè dicatur habere aliquid, quia ipſum habet ſecundùm omnem virtutem & ſecundùm omnes operationes eius: ſic homo dicetur plenè habere vitam, quoniam habet omnem virtutem, omnéſque operationes omnis vitæ, tam vegetatiuæ, quàm ſenſitiuæ, & intellectiuæ, quod nulli aliorum animalium conuenit. Vtroque modo CHRISTVS habuit gratiæ plenitudinem. Habuit enim gratiam ſecundùm perfectiſſimum modum quo haberi poteſt. Quantò enim aliquod receptiuum propinquius eſt cauſæ influenti, tantò abundantiùs recipit eius influxum: Anima verò CHRISTI, ſuper omnes creaturas intellectuales proximè coniuncta fuit DEO; quapropter maximam gratiæ eius accepit influentiam. Deinde, anima CHRISTI ita recipiebat gratiam, vt ex ea quodammodo transfunderetur in alios: oportuit igitur ipſum maximam habere gratiam: ſicut ignis, qui eſt cauſa caloris in omnibus calidis, ipſe eſt maximè calidus. Habuit quoque CHRISTVS gratiæ plenitudinem ſecundùm virtutem gratiæ; quia gratiam habuit ad omnes operationes & effectus gratiæ; tanquam vniuerſale quoddam principium in genere omnium habentium gratiam. Virtus autem primi principij alicuius generis, vniuerſaliter extendit ſe ad omnes effectus illius generis: quemadmodum Sol, qui eſt vniuerſalis cauſa generationis (vt ait Dionyſ. in libro de diuinis nominibus in cap. 4. primæ Partis) eius virtus extendit ſe ad omnia quæ ad generationem pertinent. Et ita ſecunda plenitudo gratiæ attenditur in CHRISTO,

Præclara B. Thomæ declaratio, quomodo Verbũ incarnatũ, fuerit plenũ gratia & veritatis.

Diony. Areop.

in quantum eius gratia extendit ſe ad omnes gratiæ effectus, qui ſunt virtutes, & dona, & alia huiuſcemodi. Hactenus ex Beato Thoma.

Triplex gratiæ plenitudo in Christo.

127 Triplex autem fuit in CHRISTO plenitudo gratiæ: fuit enim in eo gratia habitualis, & gratia capitis, & gratia vnionis; & in his tribus habuit plenitudinem CHRISTVS. Habitualis gratia animæ CHRISTI concreta, fuit pleniſſima; quia fuit in ſummo gradu, & in ſummo modo, & in ſumma excellentia qua poteſt haberi, ſecundùm rationem gratiæ, & ſecundùm finem ad quem gratia ordinatur, qui eſt vnio intellectualis naturæ cum DEO: fuit, inquam, pleniſſima gratia, habens omnem virtutem gratiæ ad omnes operationes, & effectus gratiæ. Gratia etiã capitis, fuit in CHRISTO pleniſſima, vtpote permanans ad omnes electos, non ſolùm homines, ſed etiam Angelos: quamobrem paulò poſt in hoc loco dixit Ioannes: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Gratia verò vnionis fuit infinita, quia vnio facta eſt in perſona Verbi, quæ eſt infinitæ virtutis atque perfectionis. Alia etiam de cauſa, gratia hæc vnionis poteſt dici pleniſſima, quia Verbum non aſſumpſit in vnitatem perſonæ ſuæ tantùm mentem vel animam hominis; verùm etiam corpus, & omnes eius partes, quæcunq; ad veritatem atque integritatem humanæ naturæ pertinent: nec eas ſibi vniuit ad certum aliquod tempus, ſed in perpetuum, & nunquam ab ipſo ſeparandas. Cum hac ſententia Ioannis dicentis, Verbum fuiſſe plenum gratiæ & veritatis, mirificè congruit etiam illud quod ſcribit Paulus in primo capite Epiſtolæ ad Coloſſenſes de CHRISTO illis verbis: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* & in capite ſecundo eiuſdem Epiſtolæ: *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Quomodo autem huiuſmodi plenitudo gratiæ fuerit propria CHRISTI, nec aliis communicata vel communicabilis; cùm Archangelus Gabriel B. MARIAM appellauerit gratiâ plenam; & in capite ſeptimo Actuum Apoſtolicorum dicatur Stephanus fuiſſe plenus gratiâ & fortitudine; veriſſimè declarat B. Thomas in tertia parte, in quæſtione ſeptima, & in eius quæſtionis articulo decimo; vnde lectori, quæſtionis huius explicationem petere licet.

An plenitudo gratiæ, fuerit propria Christi, neq; aliorum vlli conueniens.

Luca 1.

Quadruplex plenitudo veritatis in Christo.

128 Reliquum eſt, vt demonſtremus, quemadmodum CHRISTVS fuerit

fuerit plenus veritatis. Nomen veritatis quatuor modis ſumi poteſt, atque his omnibus modis verè dictū eſt, CHRISTVM fuiſſe plenum veritatis. Primò, veritas dicitur, vt opponitur mendacio & ſimulationi atque fictioni: CHRISTVS autem non ſolùm veraciſſimus fuit, ſed ipſa etiam veritas, in cuius ore nunquam inuentus eſt dolus, vt de ipſo prædixerat Eſaias cap. 53. Deinde, vt veritas ſignificat fidem ſiue fidelitatem in promiſſis: & hac quidem ratione CHRISTVS, veritatis plenus fuit, pleniſſimè implens promiſſa omnia ſua, & quæ de ipſo per Prophetas in veteri Teſtamento prædicta fuerant. Ad hæc, vt veritas opponitur vmbræ & figuræ: lex enim Moſaica, quaſi per vmbras & figuras præmonſtrabat gratiam, & gloriam, æternámque ſalutem à DEO per CHRISTVM dandam hominibus; eam verò ipſa nec præſtabat, nec præſtare poterat. Venit CHRISTVS, qui omnes illas vmbras & figuras, exhibita veritate, ſuſtulit, vel potiùs impleuit; & bona promiſſa, reuera, & cumulatiſſimè præſtitit. Quarto modo ſumitur veritas, vt idem ſignificat atque ſcientia & ſapientia: cuius quàm fuerit plenus CHRISTVS, non attinet demonſtrare aliis verbis, quàm illis Pauli in capite ſecundo Epiſtolæ ad Coloſſenſes: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Atque huius ſcientiæ & ſapientiæ maiora indies CHRISTVS, ſecundùm ætatis incrementum, ſigna & opera edebat: Ideóque Lucas cap. 2. de eo dixit: *Puer* IESVS *creſcebat ſapientiâ ætate, & gratiâ, apud* DEVM *& homines.* Eodem ſpectat illud eiuſdem Lucæ: *Qui fuit vir potens opere & ſermone.* Dicitur *opere*, propter plenitudinem gratiæ operantis in ipſo. Dicitur *ſermone*, propter plenitudinem veritatis & ſapientiæ quæ in eius verbis & ſermonibus elucebat. *Luca vlt.*

TRIGESIMA QVARTA DISPVTATIO.

De teſtimonijs, quæ Joannes Baptiſta dixit de CHRISTO.

Super illis verbis:

Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo. VER. 15.

119 HIc incipit ſecunda pars huius primi capitis, continens quatuor Ioannis Baptiſtæ de CHRISTO teſtimonia. Cur autem omnes quatuor Euangeliſtæ teſtimonia Ioannis de *Cur omnes Euangeliſta tam diligēter*

Ioannis de Chriſto teſtimonia ſcripſerint.

nis de CHRISTO tanta cura & diligentia ſcripſerint, plures afferri cauſæ poſſunt. Primò quidem, vt pateret, Ioannem fideliter ac diligenter præſtitiſſe munus, cuius obeundi gratiâ miſſus fuerat à DEO, ſcilicet, vt teſtimonium perhiberet de lumine, ſicut paulò ſupra dictum eſt. Deinde, vt conſtaret, quæ Apoſtoli prædicauerunt & ſcripſerunt de CHRISTI præſtantia, ea vera eſſe, & credi à Iudæis oportere; vtpote conſentanea teſtimoniis Ioannis Baptiſtæ, quæ Iudæi, propter ſummam eius viri auctoritatem, improbare non poterant. Ac demum, vt tam illuſtria de CHRISTO Ioannis teſtimonia, conſignata litteris, proderentur poſteritati, ad totius Eccleſiæ confirmationem atque conſolationem. Nec verò putandum eſt, Ioannem aut non ſæpius quàm quater, aut non plura, quàm quæ hîc memorātur, teſtificatum eſſe de CHRISTO: ſiquidem & infra cap. 3. aliud eiuſdem Ioannis de CHRISTO ponitur teſtimonium ab iſtis quatuor diuerſum; & ſatis credibile eſt, qui ad hoc munus teſtificandi miſſus fuerat à DEO, eum quàm ſæpiſſime, & quacunque oblata occaſione id perfeciſſe. Sed illud quoque ſimillimum vero eſt, quatuor hæc teſtimonia expoſita hoc loco à Ioanne Euangeliſta, fuiſſe inſigniora, & in quibus principalis aliorum omnium ſententia fermè comprehenderetur. Nec ſanè quatuor hæc teſtimonia eo ordine, quo hîc narrantur, dicta ſunt à Ioanne Baptiſta: nam, quod hîc ponitur primum, non fuiſſe ante omnia alia dictum, ſatis indicauit ipſe Baptiſta verbis illis quæ ſunt in hoc loco: *Hic eſt quem dixi vobis:* quibus verbis ſignificat, idem ſe antea fuiſſe teſtatum. Secundum verò teſtimonium datum legatis Iudæorum, quoniam nulla fit in eo prioris teſtimonij mentio, nō temerè quiſpiam putauerit, fuiſſe primum. Denique, ſumma omnium teſtimoniorum Ioannis de CHRISTO, hæc fuit: Primò, teſtificari ipſum eſſe ſuper omnes homines: *Qui deſurſum eſt*, inquit, *ſuper omnes eſt:* & dicere, ſe non eſſe dignum ſoluere corrigiam calceamenti eius. Secundò, non ſe, ſed ipſum eſſe verum CHRISTVM. Tertiò, ipſum eſſe verum Eccleſiæ ſponſum, ſe autem, cæteróſque ſanctos omnes eſſe amicos ſponſi. Quartò, ipſum baptizare non in aqua tantùm, ſed in Spiritu ſancto. Quintò, ipſum eſſe Redemptorem, & Saluatorem mundi, & Agnum DEI, qui tollit peccata mundi. Sextò, ipſum, iudicem

Sex res præcipuè ac principaliter Ioannem de Chriſto teſtificatū eſſe.
Ioan. 3.

iudicem omnium hominum eſſe futurum cùm ait, *Cuius ventilabrum in manu ſua,&c.* quæ refert Matthæus cap. 3. Sicut autem ſatis manifeſtum eſt, quædam teſtimoniorum Ioannis fuiſſe dicta ante CHRISTI baptiſmum,& alia poſt baptiſmum: ita, quanto tempore ante vel poſt dicta fuerint,& quanto temporis interuallo vnum præceſſerit aliud, minimè compertum eſt. *Matth. 3.*

TRIGESIMA QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat. VER. 16.

130 DIXIT Baptiſta, poſt ſe venturum CHRISTVM; non quidem in mundum, quippe iam per viginti nouem annos CHRISTVS fuerat in mundo, cùm hoc ipſe dixit: ſed illum poſt ſe venturum dixit ad Baptizandum & ad prædicandum. Pro eo autem quod hîc dictum eſt, *Ante me factus eſt*, Marcus & Lucas dixerunt, *fortior me eſt.* Vnde licet intelligere, illud *Ante me*, non ſignificare temporis antiquitatem, ſed virtutis & honoris atque dignitatis præſtantiam. Secundùm hanc etiam ſignificationem, iſta præpoſitione *ante*, vſus eſt Moiſes in capite quadrageſimo octauo, libri Geneſis, cùm narrat, Iacob in benedicendo filiis Ioſeph, poſuiſſe Ephraim, qui minor natu erat, ante Manaſſem natu maiorem; id autem eſt, illum prætuliſſe huic. *Quid ſit, Chriſtum eſſe factum ante Ioannem.*

131 Fuit ſanè quàm futilis & nugatoria Arrianorum argumentatio, ex hoc loco probare volentium, CHRISTVM, etiam ſecundùm illam, quam dicebatur habere, diuinitatem, eſſe à DEO factum, & eſſe creaturam. Si enim CHRISTVS factus eſt ante Ioannem, & non eſt factus ante eum ſecundùm humanitatem, quia ſic ſex menſibus fuit illo poſterior; ergo factus eſt ſecundùm alteram eius naturam diuiniorem. Verùm, illud *ante*, non poſſe referri ad tempus, quo detorquebant Arriani, ſed ad honorem & dignitatem referri oportere, patet ex eo, quod proximè poſt ſubditur, *Quia prior* *Futilitas argumentationis Arrianorum contra Chriſti diuinitatem, oſtenditur.*

N

prior me erat. Si enim Baptiſta ſignificâſſet, CHRISTVM fuiſſe factum ante ſe, ineptam profectò rationem reddidiſſet, an ſcilicet, CHRISTVS ante me factus eſt, quia prior me erat; nam & DEVS prior erat quàm Ioannes, nec ideo tamen ante ipſum factus fuerat. Ergo, *Ante me factus eſt*, idem ſignificat, atque honore ac dignitate, gratiâ & ſcientiâ & potentiâ præſtantior me eſt: & ſecundùm hanc ſignificationem, etiam elegantes ſcriptores Latini præpoſitionem iſtam *ante*, frequenter vſurpant.

Decem Chriſti opera, quæ maximâ eius virtutē atque fortitudinem demonſtrant.

Cæterùm, nos perpendamus id quod paulò ſupra diximus, pro hoc *Ante me factus eſt*, Marcum & Lucam dixiſſe, *fortior me eſt*. Sanè, maximam CHRISTI fortitudinem, plurima & maxima opera eius, quæ hîc curſim percenſebo, apertè declarârunt. Primò, ſolus ipſe potuit regnum peccati delere. Secundò, Diaboli potentiam euertere. Tertiò, deſtruere mortis imperium. Quartò, infernum ſpoliare, atque inde captiuos educere. Quintò, ianuam cœli, vſque ad id temporis, cunctis mortalibus clauſam, in perpetuum aperire. Sextò, DEVM noſtris offenſum peccatis, placatum nobis & propitium reddere. Septimò, ex mortuis propria virtute reſurgere. Octauò, terrenum corpus ſuper omnes cœlos extollere, & ad dexteram DEI omnipotentis collocare. Nonò, omnem propè terratum orbem, per Euangelij ac fidei prædicationem, & receptionem, ſuo imperio ſubiicere. Decimò, Eccleſiam ſuam per vniuerſum mundum prolatatam, perpetua ſuæ prouidentiæ aſſiſtentia, & ab hominibus, & à Dæmonibus inexpugnabilem atque inſuperabilem facere. 132

De hac CHRISTI fortitudine Dauid prophetico ſpiritu prædixit illud quod legitur in Pſalmo vigeſimo tertio: *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et Eſaias cap. 9. *Vocabitur nomen eius, fortis* & Abacuch cap. 3. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Hanc ſuam fortitudinem ſignificauit ipſe Dominus Ioannis 16. *Confidite, ego vici mundum.* Et Ioannis 12. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*, & ibidem: *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Sed apertiſſimè hoc indicauit per parabolam, quam Lucas in capite vndecimo ſui Euangelij refert illis verbis: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens* 133

Locus Lucæ 11.

perueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Atque eò admirabilior eſt CHRISTI fortitudo, quòd ea in iis quæ videntur infirmiſſima, vt in Paſſione & Morte, in paupertate & in humilitate, ſuam maximè vim oſtendit: vt veriſſimum ſit illud Pauli dictum: *Quod infirmum eſt* DEI, *fortius eſt omnibus hominibus.* *1 Corinth. 1.*

TRIGESIMA SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et de plenitudine eius, nos omnes accepimus. VER. 16.

134 ORIGENES, Theophylactus, Rupertus, & Caietanus, & hæc verba, & quæ deinceps proximè ſequuntur, putant eſſe ipſius Ioannis Baptiſtæ, & ad eius teſtimonium pertinere; idque ita probant: Primò, quia hoc demonſtrat illa particula *Et*, coniungens quæ ſequuntur cum præcedentibus verbis Baptiſtæ. Deinde, quia poſt hæc verba ſubditur: *Hoc eſt teſtimonium Ioannis.* Ad hæc, quia ſatis ineptum fuiſſet, inchoatam teſtimonij Baptiſtæ narrationem, Ioannem Euangeliſtam, interpoſitione verborum ſuorum, interrumpere ac perturbare. Ideo autem volunt, hæc verba dixiſſe Baptiſtam, quò planiùs oſtenderet id, quod obſcurè dixerat, CHRISTVM fuiſſe factum ante ipſum, & fuiſſe priorem ipſo.

An hæc verba, & proximè ſequentia, ſint Ioannis Baptiſtæ, an Euangeliſtæ.

Origenes. Theophylact. Rupertus. Caietanus.

135 E diuerſo autem Chryſoſthomus, Auguſtinus, Cyrillus, Beda, Ianſennius, cenſent, iſta verba eſſe Ioannis Euangeliſtæ, quibus declaratur, verum fuiſſe prænarratum Baptiſtæ de CHRISTO teſtimonium. Quid enim mirum, fuiſſe CHRISTVM priorem atque præſtantiorem Ioanne Baptiſta, cùm ſit ipſe vnigenitus à patre, in ſinu eius requieſcens, & gratiæ atque veritatis effector, & fons, vnde omnis gratia permanat ad homines. Probabiliórem faciunt hanc ſententiam, tum quòd illa nomina vnigenitus, & IESVS, & CHRISTVS, non fuêre vſitata Baptiſtæ: tum quòd illa *gratia & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta eſt*, & illud, *Ipſe enarrauit*, non poſſunt pertinere ad tempus quo Baptiſta hæc lo-

Chryſoſt. Auguſtinus. Cyrillus. Beda. Ianſennius.

cutus eſt, ſed ad poſteriora tempora, quibus CHRISTVS iam hominibus doctrinam & potentiam ſuam manifeſtauerat. Illa porrò verba, *Hoc eſt teſtimonium Ioannis*, non ad præcedens eius teſtimonium pertinent, ſed ad proximè ſubſequens teſtimonium, dictum legatis Iudæorum, miſſis ad Baptiſtam.

Triplex plenitudo gratiæ.

Sed nos enucleatè declaremus illa verba: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Triplex eſt plenitudo gratiæ: vna eſt gratiæ ſufficientis ad explendum munus & miniſterium à DEO iniunctum homini: & hæc plenitudo gratiæ fuit in Baptiſta, in Stephano, & in Apoſtolis. Altera eſt plenitudo gratiæ, non tantùm ſufficientis, ſed etiam ſuperabundantis; qualis fuit in Beatiſſima MARIA, & quam ſignificauit Gabriel, cùm ei dixit: *Aue gratia plena.* Tertia eſt plenitudo gratiæ redundantis & ſupereffluentis in omnes; & hæc propria eſt CHRISTI. Propter hanc plenitudinem gratiæ CHRISTVS dicitur radix, Sancti verò, rami: ille, vitis; hi, palmites: ille, fundamentum, hi, ſuperfundati & ſuperædificati in ipſo: ille, Sol; hi, ſtellæ: ille, fons; hi, riuuli ex eo fonte promanantes: ille, quaſi cor; hi, tanquam venæ, & arteriæ, & nerui: denique, ille, caput; hi, membra. 136

Lucæ 1.

Qualis ſit gratia & in Christo, & in Sanctis eius.

Præpoſitio De multiplicem ſignificationē & vim hoc loco habere poteſt.

In illis autem verbis *De plenitudine eius*, illa præpoſitio *de*, varia ſignificare, & varias reddere poteſt ſententias. Primò, ſignificare poteſt efficientiam, quia plenitudo gratiæ CHRISTI, effectrix fuit omnis gratiæ quæ data eſt aliis. Secundò, ſignificare poteſt exuperātiam quandam & redundantiā illius plenitudinis CHRISTI in alios. Tertiò, poteſt ſignificare participationem; in CHRISTO enim fuit plenitudo gratiæ: Alij verò non totam plenitudinem, ſed aliquantam eius partem, alij quidem maiorem, alij verò minorem habuerunt. Quartò, poteſt etiam ſignificare velut quandam ſimilitudinem, vt ſenſus ſit: Accepimus nos gratiam aliquatenus ſimilem ei gratiæ, quam CHRISTVS habuit in ipſa plenitudine gratiæ. Conſimile huius videri poteſt illud, quod Dominus dixit Moiſi, & ſcriptum eſt in capite vndecimo libri Numerorum: *Auferam de ſpiritu tuo, & dabo illis.* Id autem eſt, dabo illis ſpiritum & gratiam, aliqua ex parte ſimilem ei quam tu habes. Cùm autem dicitur *De plenitudine eius*, illud pronomen *eius*, denotat CHRISTVM, non tantùm, quâ DEVS eſt; ſed etiam, quâ 137

Locus libri Numerorum cap. 11.

eſt

eſt homo, & eſt caput omnium electorum, & cauſa meritoria & efficiens omnis eorum gratiæ. Iam verò, dixit: *Nos omnes accepimus*, quia, licèt omnes iuſti qui præceſſerunt aduentum CHRISTI, & iuſtificati ſunt per fidem eius, vel explicitam vel implicitam, adepti ſint æternam ſalutem: tamen, qui poſt aduentum CHRISTI fuerunt iuſti & ſancti, vberiorem & perfectiorem gratiam acceperunt; ſicut Dominus ipſe dixit apud Ioannem cap. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et ante iſtos omnes, Apoſtoli de plenitudine CHRISTI pleniſſimè acceperunt, primitias videlicet ſpiritus habentes, id eſt, & priùs, & abundantiùs aliis gratiam accipientes. Dixit abſolutè, & præcisè *accepimus*, non declarans hoc vel illud bonum, quod acceperint; vt generatim indicaret omnia bona; qualiacunque, & quantacunque ſint, dari hominibus per CHRISTVM.

TRIGESIMA SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et gratiam pro gratia. VER. 16.

138 NONNVLLI Codices, vt innuit Beda, nō habent illam coniunctionem *Et*: Auguſtinus tamen vult, eam omnino eſſe de contextu verborum Ioannis: ſanè, habent eam vetuſtiores & emēdatiores libri tam Latini quàm Græci. Sed valde obſcuram habent ſententiam iſta verba, *Gratiam pro gratia*: ideóque plures & admodum varias eorum interpretationes apud explanatores huius Euangelij reperire licet, quas nos ad ſex redegimus. Prima eſt Auguſtini & Bedæ: Pro gratia iuſtificante accipere gratiam glorificantem, ſi tamen in gratia iuſtificante quis perſeueret vſque ad finem: gloria verò quæ redditur à DEO meritis ex gratia iuſtificante profectis, etiam gratia vocatur à Paulo in ſexto capite Epiſtolæ ad Romanos. Secunda interpretatio: pro prima gratia bene operante accipere ſecundam gratiam, per quam creſcimus & confirmamur in gratia. Tertia: pro gratia & meritis CHRISTI, accipimus gratiam, qua nos formaliter

Beda. *Auguſtinus.* *Sex interpretationes, quid ſit, gratiā pro gratia accipere.* *Auguſtinus.* *Beda.*

liter iuſti efficimur: vt illud *Pro*, dictum ſit pro eo quod eſt *Propter.* Quarta: Pro gratia legis Moſaicæ, quæ erat imperfecta, vt quæ nec diuina perfectè doceret, nec humana mala ſanaret; pro hac, inquam gratia legis Moſaicæ, accepimus gratiam legis Euangelicæ; quæ & diuinarum rerum apertiorem & copioſiorem doctrinam continet; & ſanandis animorum morbis efficacia præſtat remedia. Hæc interpretatio eſt Chryſoſthomi, Cyrilli, & Ruperti; quæ magnam ex eo fidem habet, quod proximè pòſt ſubditur: *Lex per Moſem data eſt; gratia autem & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta eſt.*

Chryſoſt. Cyrillus. Rupertus.

Caietanus.

Quinta interpretatio eſt Caietani, noua illa quidem, ſed acuta, 139 & planè redolens ingenium Caietani: quam ego propriis eius verbis hîc appoſitis, referam: explanans enim verba hæc, *Gratiam pro gratia*, ita ſcribit: Ne erraremus intelligendo, quòd accepimus de plenitudine CHRISTI bona, per modum cuiuſdam naturaliter effluentis redundantiæ; ſicut nonnulli Philoſophi putârunt, DEVM, omnis perfectionis plenum, communicâſſe bonitatem ſuam aliis rebus & hominibus naturali neceſſitate, ceu per quandam redundantiam ſiue effluentiam; idcirco Ioannes, ad hoc excludendum, adiunxit hæc verba, *Gratiam pro gratia*, ſignificans communicationem diuinæ bonitatis cum hominibus non eſſe factam ex neceſſitate naturæ, ſed mera eius voluntate ac liberalitate; hoc enim ſignificat nomen Gratiæ, donum ſcilicet voluntariè, gratuitóque datum. Et quia ſæpe bona quæ DEVS gratuitò dat, putant homines, vel caſu ſibi obtigiſſe, vel aliorum hominum fauore, vel cœlorum aut naturæ virtute ſibi collata eſſe; ideo Ioannes addidit illud, *Pro gratia*, ſignificans, bona quæ de plenitudine CHRISTI accepta ſunt, eſſe gratiam, tam ex parte donantis, qui dat ea gratuitò; quàm ex parte accipientium, qui agnoſcunt ea, non tanquam meritis ſuis debita, ſed vt prorſus indebita, & gratuitò ſibi eſſe donata. Hoc enim eſt accipere gratiam pro gratia, id eſt, ſub ratione gratiæ: ſicut accipere aurum pro auro, & non pro aurichalco, & accipere margaritam pro margarita, & non pro alio lapide. Hactenus ex Caietano.

Sexta interpretatio eſt huiuſmodi: Hæc locutio, *Gratiam pro* 140 *gratia*, videtur eſſe phraſis Hebraica ſignificans plenitudinem & velut

velut quandam vniuerſalitatem gratiæ. Et videtur ſimilis illis locutionibus ſatis in Sacra ſcriptura frequentatis: De die in diem: à generatione in generationem: de virtute in virtutem: à ſæculo in ſæculum: quarum locutionum hæc eſt ſententia, per omnem diem, per omnes virtutes, in omni generatione, omni ſæculo ſiue per omnia ſæcula. Sed huic locutioni Ioannis, *Gratiam pro gratia*, ſimillima videtur illa locutio, quæ eſt in ſecundo capite libri Iob: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro anima ſua.* Quorum verborum hæc eſt ſententia: Pro anima ſua, ſiue pro vita ſua conſeruanda, dabit homo pellem pro pelle, id eſt, omnes pelles; id autem eſt, omnes diuitias, & omnia bona ſua: Priſcorum enim hominum opulentia, in abundantia gregum & armentorum poſita erat. *Locus Iob c. 2.*

TRIGESIMA OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quia lex per Moyſem data eſt, gratia autem & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt. VER. 17.

141 VERBA hæc trimembrem continent, pulcherrimámque antitheſin: vnam, inter Moyſem & CHRISTVM; alteram, inter legem veterem & legem Euangelicam, quæ eſt gratia & veritas: Tertiam, inter eſſe datam & eſſe factam. Prima itaque antitheſis inter Moyſem & CHRISTVM, multis modis ſignificat excellentiam CHRISTI ſuper Moyſem. Primò, quia Moyſes fuit tanquam famulus & ſeruus in domo DEI: CHRISTVS fuit vnigenitus DEI, in ſinu eius manens. Secundò, Moyſes fuit dux Hebræorum: CHRISTVS perpetuus Rex & dominus omnium hominum, quorum fuit Cõditor atque Redemptor. Tertio, Moyſes, quia aſſumptus fuit ex aquis, nomẽ iſtud accepit: CHRISTVS, quia ſuper omnes & homines & Angelos vnctus à DEO eſt oleo lætitiæ, CHRISTI nomen habuit. Quartò, Moyſes homo tantùm fuit, nec ſine peccatis: CHRISTVS, homo ſimul & DEVS; & quâ

Octuplex Antitheſis inter Moyſem & Chriſtũ Dominum demonſtrãs excellentiam Chriſti ſuper Moyſem.

& quâ homo, ſegregatus à peccatoribus, & purior cœlis. Quinto, Moyſes non potuit Hebræum populum introducere in terrã promiſſionis: CHRISTVS innumerabiles ex cunctis Gentibus introduxit, & introducet in cœleſtem patriam; ipſe námque clauſam mortalibus cœli ianuam, in perpetuum reſerauit. Sexto, Moyſes liberator fuit Hebrææ Gentis ab Ægyptiaca Pharaonis ſeruitute: CHRISTVS liberator fuit omnium hominum à ſeruitute peccati, & à poteſtate Diaboli, & à reatu mortis æternæ; ipſe iuſtos ex carcere inferni eduxit, & in cœlum extulit. Septimo, Moyſes propter conſuetudinem familiariſſimè loquendi cum DEO, radiantem habebat faciem, & velo tegebat eam cùm loquebatur Iudæis: CHRISTVS, propter ſubſtantialem vnionẽ cum DEO, erat ſplendor ipſe gloriæ DEI; quem, veniens ad homines, velo carnis obtexit. Octauo, Moyſes vmbras & figuras futurarum rerum atque bonorum præferebat: CHRISTVS veritatem ipſam rerum & bonorum demonſtrabat, & implendo præſtabat.

Decem differentiæ inter legẽ veterem & legẽ Euangelicam.

Altera eſt antitheſis inter legem, Moſaicam videlicet, & inter 142
gratiam & veritatem, quæ eſt lex Euangelica, quæ appellatur lex gratiæ & ſpiritus. Primò, lex vetus vni tantùm Hebrææ Genti data eſt: Lex Euangelica omnibus gentibus lata eſt, ſicut Dominus

Marci vlt.

Apoſtolis dixit, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Secundò, lex vetus fuit quodammodo carnalis, populo nimirum carnali congruens; quamquam alio nomine, etiam ipſa ſpiritualis fuit, & ſic appellatur à Paulo in capite ſeptimo Epiſtolæ ad Romanos. Lex Euangelica eſt omnino ſpiritualis, non corporalia & temporalia bona promittens: ſed ſpiritualia & æterna. Tertiò, lex vetus erat lex paruulorum, qui ſolidum cibum non ferunt, ſed lacte tanquam paruuli aluntur: Lex Euangelica eſt lex virorum, ſolido cibo virtutis & doctrinæ gaudentium. Quartò, lex vetus erat oneroſa, & vt dixit B. Petrus, importabilis: Euangelicæ legis iugum eſt ſuaue, & onus leue, ſicut dixit Dominus. Quintò, lex vetus erat lex timoris: lex Euangelica eſt lex amoris, & charitatis quæ foràs mittit timorem. Sextò, lex vetus erat lex ſeruitutis, terrens, & comminatione ſuppliciorum compellens & quaſi cogens homines ad ſui obſeruantiam: Lex Euangelica eſt lex libertatis, ad ſui obſeruantiam ducẽs homines nõ metu pœnæ, ſed amore iuſtitiæ. Septimò,

lex

lex vetus erat lex temporaria, nec ſemper manſura: Lex Euangelica nunquam ceſſabit, vt in eius locum alia lex melior & perfectior ſufficiatur. Octauò, lex vetus imperfectè, & ſubobſcurè tradebat res diuinas, & quæ ad æternam ſalutem hominum pertinent: lex Euangelica tradit copioſam, & apertam, explicatámque cognitionem diuinarum rerum, & eorum, quæ noſſe vel neceſſarium ſit, vel perquàm vtile ad bene beatéque viuendum. Nonò, lex vetus fuit vmbratilis, & figuratiua rerum: lex Euangelica ſine vmbris & figuris docet hominem & diuina myſteria, & quæ neceſſaria ſunt homini ad ſalutem animæ comparandam. Decimò, lex vetus indicabat peccatum homini, ſed id non tollebat, non præbens efficacia ſanandis animorum morbis remedia: lex Euangelica ſanat morbos animæ, tollitque peccata, quia præſtat abundantem gratiam. Etenim per gratiam Euangelicam hæc bona præſtantur homini: Primò, delentur peccata: Secundò, datur facultas bene operandi, & deinceps vitandi peccata: Tertiò, domatur concupiſcentia, vt ſit obediens rationi & legi DEI. Quartò, validè reſiſtitur Diabolo, ita vt ei præualeat homo iuſtus: Quintò, vincitur mundus, & mundana bona & gaudia contemnuntur: Sextò, facit homo iuſtus opera DEO accepta, & quorum merces in cœlis eſt vita æterna. Septimò, per iſtam gratiam fit homo non ſolùm amicus DEI, ſed etiam filius, & hæres bonorum eius. Octauo per hanc ipſam gratiam omnia aduerſa & mala non tantùm patienti animo, ſed etiam gaudenti, & gloriabũdo perferuntur; quin etiam mors ipſa expetitur, tanquam breuis ad DEVM perueniẽdi via: quemadmodum ſancta Eccleſia de ſanctis martyribus canit:

Octo bona, quæ præſtat homini lex & gratia Euangelica.

Terrore victo ſæculi,
Pœniſque ſpretis corporis,
Mortis ſacræ compendia
Vitam beatam poßident.

Tertia antitheſis eſt inter illud ***Data*** & illud ***Facta***. Moyſes enim, ne illius quidem legis imperfectæ fuit author & conditor, ſed promulgator tantùm: CHRISTVS autem perfectiſſimæ legis & gratiæ Euangelicæ fuit non ſolùm prædicator & doctor, ſed effector, & largitor.

O TRIGE

TRIGESIMA NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 18. DEVM nemo vidit vnquam.

BEATVS Ioannes prætulit CHRISTVM Ioanni 143
Baptiſtæ, cùm paulò ſupra dixit: *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine:* prætulit CHRISTVM etiam Moyſi, cùm dixit, Moyſem fuiſſe datorem legis, CHRISTVM autem gratiæ & veritatis effectorem. Hoc, ne mirum, aut etiam incredibile videretur Iudæis, reddit hanc eius rei cauſam: neque Moyſes, neque Prophetæ DEVM viderunt, CHRISTVS verò non ſolùm vidit DEVM; ſed etiam, tanquam vnigenitus, manet in ſinu Patris, omnis potentiæ ac ſapientiæ eius conſors. Non igitur mirum videri debet, CHRISTVM plus gratiæ ac ſapientiæ attuliſſe hominibus, quàm Moyſem & Prophetas: hi enim ſerui fuerunt DEI; ille, filius vnigenitus, habens omnia quæ Pater habet. Huius ſententiæ: DEVM *nemo vidit*, ſimilem omnino ſententiam habet idem Ioannes in capite quarto primæ ſuæ Epiſtolæ, & in capite ſexto huius Euangelij ſimilem refert ſententiam dictam à Domino Iudæis, illis verbis, *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à* DEO, *hic vidit patrem.* Paulus quoque in primo capite prioris Epiſtolæ ad Timotheum, DEVM appellat inuiſibilem: & in capite vltimo eius Epiſtolæ hæc ſcribit de DEO: *Qui lucem habitat inacceſſibilem; quem nullus hominum vidit, neque videre poteſt.* Et in trigeſimo tertio capite libri Exodi ſcriptum eſt, Moyſi cupienti ac petenti videre faciem DEI, reſpondiſſe DEVM: *Faciem meam videre non poteris; non enim videbit me homo, & viuet.*

Hanc ſententiam DEVM *nemo vidit, tribus modis intelligi poſſe.*

Hæc porrò ſentētia, (nullum fuiſſe vnquā qui viderit DEVM,) 144
tribus modis intelligi poteſt. Primò, nullum naturali lumine ac facultate intellectus vidiſſe DEVM, id eſt, clarè vidiſſe ipſam DEI eſſentiam, vt in ſe eſt; de hac enim viſione DEI loquitur ſcriptura & hoc loco, & alibi cùm negat, fuiſſe vllum qui DEVM viderit. Nimirum, cùm eſſentia DEI ſit ſupernaturale obiectum intelli

intelligibile reſpectu cuiuſcunque intellectus creati tam humani quàm Angelici, idcirco nullus intellectus creatus, niſi ſupernaturali gratia DEI eleuatus, ad viſionem diuinæ eſſentiæ adſpirare poteſt. Altero modo poteſt hæc ſententia intelligi, de viſione DEI comprehenſiua, qua DEVS tantùm cognoſcitur, quantùm eſt cognoſcibilis: & quia DEVS, cùm ſit infinitæ virtutis, atque perfectionis, eſt infinitè intelligibilis, propterea nullus intellectus creatus, cùm ſit finitæ virtutis & capacitatis, huiuſmodi viſione comprehenſiua aut vidit, aut etiam videre poteſt DEVM: & iſtis duobus modis videndi, neque in hac vita, neque in cœlo, neque ab homine, neque ab Angelo DEVS videri poteſt. Tertio modo ſententia hæc intelligi poteſt de viſione diuinæ eſſentiæ, quam homo habeat vitam agens in terris mortalem, vt ſit hic ſenſus: Nullus hominum mortalem in terris vitam agens, DEI vidit eſſentiam: & hoc indicauit Dominus illis verbis quæ ſuprà retulimus, *Non enim videbit me homo, & viuet.* At verò, CHRISTVS Dominus etiam dum in terris erat, omnibus ſuprà dictis tribus modis videbat DEI eſſentiam: nam, quâ DEVS erat, & naturaliter, & comprehenſiuè DEVM videbat: quâ verò erat homo, etiam dum vixit in terris, vidit DEVM, quia eius anima ab initio ſuæ creationis fuit beata, clarè videns DEVM, & beatificam eius viſionem atque fruitionem habens.

Chriſtus Dominus, etiam cùm in terris mortalem degebat vitam, tribus modis videbat Deũ.

145 Verùm, huic ſententiæ planè aduerſari videtur, quod in diuina ſcriptura de Moyſe ſcriptum eſt & in trigeſimo tertio capite Exodi, & in duodecimo capite libri numerorum: illic enim ſunt hæc verba: *Loquebatur Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Hîc autem ita ſcriptum eſt: *Seruus meus Moyſes in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore ad os loquor ei; & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* His verbis diuinæ ſcripturæ permoti nõn pauci veterum Doctorum & patrum ſenſerunt, Moyſem vidiſſe DEI eſſentiam: hoc enim indicat Baſilius in homilia prima in Hexameron. & Ambroſius libro primo in Hexameron. cap. 2. & Auguſtinus in libro duodecimo ſuper Geneſi ad litteram cap. 27. & in Epiſtola centeſima duodecima cap. 12. & S. Thomas in prima parte quæſtione duodecima articulo vndecimo, & clariùs in ſecũnda ſecundæ quæſtione centeſima ſeptuageſima

Quæſtio an Moyſes viderit Dei eſſentiam.
Explicatur copioſè locus Exod. cap. 33. & libri Numerorum cap. 12.
Baſilius.
Ambroſius.
Auguſtinus.
S. Thomas.

geſima quarta, articulo quarto, & quæſtione centeſima ſeptuageſima quinta articulo tertio. Horum ſententia maximè nititur ſupradictis illis verbis, quæ de Moyſe ſcripta ſunt Exod. 33. & Numeror. 12. quòd Moyſes non per ænigmata, nec per figuras videbat Dominum, ſed palàm, & facie ad faciem: viſio autem DEI facie ad faciem, eſt clara viſio diuinæ eſſentiæ, ſecundùm illud quod Paulus dixit in capite decimo tertio prioris Epiſtolæ ad Corinthios: *Nunc videmus in ſpeculo & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Locus prima ad Corinthios cap. 13.

Ex aduerſo autem, complures alij & grauiſſimi patres contra 146
ſenſerunt, negantes, Moyſem vidiſſe DEI eſſentiam: horum princeps Dionyſius Areopagita in quarto capite libri de cœleſti Hierarchia confirmat his verbis: Si quis forcaſſe dixerit, ex DEO ipſo, abſque vllo medio, quibuſdam ſanctorum diuinas apparitiones contigiſſe; is illud ex ſacratiſſimis libris ſapienter intelligat, quòd, ſecretum ipſum DEI, quodcunque tantùm illud eſt, nemo vnquam vidit, neque videbit. Atque eo in loco latè diſputat, omnes DEI viſiones & apparitiones factas hominibus ſanctis in veteri Teſtamento, non à DEO immediatè, ſed per Angelos eſſe illis factas. Idem Dionyſius in primo capite libri de Myſtica Theologia, cùm locutus eſſet de familiariſſima conſuetudine & ſermocinatione & cōuerſatione, quam Moyſes in mōte Sina cum DEO habuit, ſubdit hæc: Atque ibi non ipſi congreditur DEO, neque ipſum cernit, eſt enim inuiſibilis DEVS, ſed locum vbi ſtetit. Sic Dionyſius. Eandem ſententiam tenuit Nazianzenus in libro ſecundo Theologiæ, & Hieronymus ſuper ſextum caput Eſaiæ, & Cyrillus in libro primo commentariorum ſuper hoc Euangelium Ioannis cap. 22. & S. Gregorius in libro decimo octauo Moralium cap. 6. quin etiam ipſemet Auguſtinus in hoc loco, & S. Thomas in prima ſecundæ apertè negârunt, Moyſem vidiſſe DEI eſſentiam; licèt aliis in locis contra ſenſiſſe videantur: ſed iſtorum Patrum verba, quæ firmant hanc ſententiam, paulò infrà referemus.

Dionyſius Areopagita.

Nazianzenus. Hieronymus. Cyrillus. Gregorius. Auguſtinus. S. Thomas.

QVA

QVADRAGESIMA DISPVTATIO.

Super eadem quæſtione, An Moyſes viderit eſſentiam DEI? *exponitur Auctoris ſententia; quæ non eſt aliud, niſi proximæ ſuperioris ſententiæ maior quadam explanatio, & quadruplex confirmatio.*

147 MIHI poſterior, quam proximè retuli, Patrum ſententia aientium, Moyſem nunquam in terris vidiſſe DEI eſſentiam, ſimillima vero ſit, & probabiliſſima: maximam verò eſſe probabilitatem huius ſententiæ, quatuor modis argumentari poſſum. Ac primo quidem, id ſatis euidenter perſpicitur ex hoc ipſo loco, in quo dicitur, DEVM *nemo vidit vnquam.* Etenim eo maximè Ioannes oſtendit, tam gratia, quàm veritate longè præſtantiorem fuiſſe CHRISTVM quàm Moyſem; quia Moyſes nunquam in terris vidit DEVM; CHRISTVS autem non ſolùm vidit DEVM, verùm etiam in ſinu eius, tanquam vnigenitus ipſius, erat: quapropter & apud DEVM gratioſiſſimus, & omnium DEI ſecretorum conſcius fuit. Et hoc ipſum confirmant illa verba Domini, quæ refert Ioannes infra cap. 6. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à* DEO; *hic vidit Patrem.* Quibus verbis ſatis oſtendit Dominus, præter ipſum CHRISTVM nullum aliorum omnium hominum vidiſſe DEVM.

Quatuor modis probatur, Moyſem non vidiſſe in terris Dei eſſentiam.

148 Deinde, in illo ipſo trigeſimo tertio capite libri Exodi, in quo ſcriptum eſt, Dominum loqui ſolitum cum Moyſe facie ad faciem, paulò poſt, ipſi Moyſi vehementer cupienti & petenti videre faciem & gloriam DEI, reſpondit DEVS: *Faciem meam videre non poteris; non enim videbit me homo, & viuet.* Ergo, illa viſio DEI facie ad faciem quam dicitur Moyſes habuiſſe, non erat viſio diuinæ eſſentiæ: ſi enim eam habuiſſet Moyſes, non petiiſſet eam, tanquam quid nouum & inſolitum ſibi, nec DEVS eam denegâſſet ei, tamquam impoſſibilem ipſi, & cuiuis mortalium. Et ſolùm conceſſit ei, vt videret, non faciem, ſed poſteriora ipſius tranſeuntis. Sic enim eo in loco ſcriptum eſt: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet. Sed ecce, eſt locus apud me, &*

ſtabis ſupra petram: cúmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam te dexterà meâ, donec tranſeam; tollámque manum meam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

Ad hæc, ſi vnquam Moyſes vidiſſet eſſentiam DEI, tunc præ- 149
cipuè vidiſſet, cùm fuit in monte Sina manens cum DEO per quadraginta dies, nihil comedens nec bibens; & iterum per alios quadraginta dies ibidem manens cum DEO; duabus enim iſtis vicibus maiorem, atque interiorem, & diuturniorem quàm aliàs vnquam, habuiſſe dicitur cum DEO familiaritatem, & ſermocinationem, & conuerſationem. At, Moſem non vidiſſe tūc DEVM, imò nec immediatè locutum eſſe cum DEO, ſed cum Angelo, & legem ipſam non à DEO immediatè, ſed per Angelos accepiſſe, affirmat B. Dionyſius in primo capite libri de Myſtica Theologia, & in capite quarto libri de cœleſti Hierarchia, idque confirmat auctoritate Sacræ ſcripturæ idipſum atteſtantis: haud dubiè ſignificans Paulum, qui hoc in tertio capite Epiſtolæ ad Galathas tradit; & B. Stephanum, qui hoc ipſum dixit in ea concione, quam proximè ante mortem ſuam habuit ad Iudæos, vt refert Lucas in ſeptimo capite libri de Actibus Apoſtolorum. Quòd autem in monte Sina non DEVS immediatè loqueretur cum Moyſe, ſed Angelus, apertè dixit B. Stephanus, in loco proximè citato, vbi loquens de Moyſe, hæc dixit: *Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine, cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina; & accepit verba vitæ dare nobis.*

Dionyſius.

Poſtremò, ſi proptérea putatur Moyſes vidiſſe DEI eſſentiam, 150
quia ſcriptura dicit, eum vidiſſe DEVM, & locutum eſſe cum DEO facie ad faciem: ob eandem ſanè cauſam dicendum eſſet, etiam ſanctum Patriarcham Iacob vidiſſe DEI eſſentiam; quoniam ſcriptura in trigeſimo ſecundo capite libri Geneſis inducit eum loquentem hæc verba: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Nemo tamen fuit vnquam neque de Patribus, neque de Theologis, aut explanatoribus Sacræ ſcripturæ, qui arbitratus ſit, Iacob vidiſſe DEI eſſentiam. Et verò, illum, quem viderat Iacob, non fuiſſe DEVM immediatè, ſed Angelum, ex eo ipſo loco manifeſtum eſt. Dicitur enim ille luctatus eſſe cum Iacob, nec præualere potuiſſe contra ipſum; & Iacob interrogâſſe

An Iacob, quia dicitur vidiſſe Deum facie ad faciem, viderit Dei eſſentiam.

eum,

eum, quod eſſet nomen eius. Sanè, nullum dubitandi de hac re locum reliquit Propheta Oſeas, qui capite duodecimo, hæc de luctatione Iacob cum Angelo verba ſcripſit: *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo: & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum.* B. Thomas in prima parte in quæſtione duodecima in articulo vndecimo, & in reſponſione ad primum: Quòd dicitur Iacob, inquit, vidiſſe DEVM facie ad faciem, referendum eſt non ad ipſam diuinam eſſentiam, ſed ad figuram in qua repræſentabatur ei DEVS; quod etiam pertinet ad quandam Prophetiæ eminentiam. Vel illud dixit Iacob, ad deſignandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis, ſupra communem ſtatum. Sic B. Thomas. Iacob certè, quia viderat Angelum in ſpecie corporali & viſibili per corpus aſſumptum ab eo, & ad ſimilitudinem corporis humani figuratum; & ſic viderat eum ſibi præſentem, & ore ad os ſecum loquentem; propterea dixit, vidiſſe ſe Dominum facie ad faciem; Dominum appellans Angelum, ſicut Abraham & Loth, & Manue pater Sampſonis appellârunt.

B. Thomas.

Geneſis 18. & 19. Iudicum 13.

151 Hanc porrò ſententiam placuiſſe aliquando B. Auguſtino, duobus ex locis ſcriptorum eius manifeſtũ lectori faciam. In tractatu tertio in Euangelium Ioannis explanãs Auguſtinus hæc ipſa Ioannis verba, DEVM *nemo vidit vnquam.* Ita ſcribit de Moſe: Moyſes vidit nubem, vidit ignem, vidit Angelum: omnis illa creatura typum Domini ſui gerebat, non ipſius Domini præſentiam exhibebat. Scriptura dixit, quòd Moyſes loquebatur cum Domino ei contra in contra, ſicut amicus cum amico ſuo: ſed eadem tamen ſcriptura paulò poſt hæc ait, Moyſem petiiſſe à DEO: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi te ipſum manifeſtè, vt videam te.* Et DEVM ei reſpondiſſe: *Non potes videre faciem meam.* Loquebatur ergo cum Moyſe Angelus, portans typum Domini: & illa omnia, quæ ibi per Angelum facta ſunt, futuram gratiam & veritatem quæ per CHRISTVM facta eſt, promittebant. Sic hoc loco Auguſtinus. Idem Auguſtinus in libro duodecimo ſuper Geneſi ad litteram, & in eius libri capite vigeſimo ſeptimo hæc ſcribit: In libro Exodi dicitur, quòd Dominus locutus eſt Moyſi facie ad faciem: & paulò poſt ſubditur, dixiſſe Moyſen DEO: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Sentiebat ergo Moyſes quod videbat de DEO; & quod

Duo loca B. Auguſtini, in quibus ipſe negat, Moyſem vidiſſe Dei eſſentiã.

& quod non videbat, videre deſiderabat & petebat. Sic ibi Auguſtinus. Ergo, ſecundùm ipſum, Moyſes non videbat DEI eſſentiam, quam videre deſiderabat, & cuius viſionem DEVS ei denegauit. Hanc quoque ſententiam approbauit, & ſecutus eſt B. Thomas in prima ſecundæ, quæſtione nonageſima octaua, articulo tertio, in reſponſione ad ſecundum. Cùm enim docere ac probare vellet, Moyſem non immediatè legem accepiſſe à DEO, ſed per Angelos; contra hoc ponit huiuſmodi obiectionem: Scriptura dicit, Moyſem vidiſſe DEVM facie ad faciem, & ore ad os locutum eſſe cum eo: ad hanc obiectionem ita reſpondet ipſe: Cùm dicitur Moyſes vidiſſe DEVM facie ad faciem, loquitur ſcriptura ſecundùm opinionem populi, qui putabat Moyſem ore ad os loqui cum DEO; cùm per ſubiectam creaturam, id eſt, per Angelum & in nube ei loqueretur, & appareret, vel per viſionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio & familiaritas cum DEO, quæ eſt infra eſſentiæ diuinæ viſionem. Hæc Sanctus Thomas: qui, quòd Moyſes non viderit DEI eſſentiam, probat verbis Auguſtini productis ex capite vigeſimo ſeptimo libri duodecimi ſuper Geneſi ad litteram, quæ nos paulò ſupra commemorauimus.

Locus B. Tho. in quo ipſe ſentit & docet aperte, Moyſem non vidiſſe Dei eſſentiam.

QVADRAGESIMA PRIMA DISPVTATIO.

Super tribus quorundam veterum ſcriptorum falſis, circa viſionem DEI, *ſententijs.*

ORIGENES non eſt veritus dicere, ne ipſum quidem Filium DEI videre ſubſtantiam DEI Patris. 152
hoc nempe de eo ſcripſit Epiphanius diſputans in Hæreſin ſexageſimam quartam, & in Epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum: idémque attribuit ei B. Hieronymus in Epiſtolis quas ſcripſit ad Auitum, & ad Pammachium. Sed error iſte Origenis manifeſtè redarguitur ex hoc ipſo loco Ioannis: is enim cùm dixiſſet, DEVM *nemo vidit vnquam*, ſubdit, *vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Significans his verbis, CHRISTVM non modò vidiſſe DEVM, ſed etiã, tanquam vnigenitum eius filium, in ſinu eius recumbere. Ex

Origenis error, quòd Filius Dei non videat ſubſtantiam Dei Patris. Epiphanius. Hieronymus.

Expreſſiùs hoc demonſtrauit ipſe Dominus, cuius hæc verba refert Ioannes infra cap. 6. *Non quia patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à* DEO; *hic vidit Patrem.* Idémque Dominus apud Matth. cap. 11. dixit: *Nemo nouit Patrem, niſi Filius.* Si enim omnia quæ Pater habet, etiam Filius habet, vt ipſe dixit; habebit quoque viſionem paternæ ſubſtantiæ. Si Filius videt ſubſtantiam ſuam, videbit etiam ſubſtantiam Patris, cùm vna ſit, eadémque ſubſtantia vtriuſque, dicente filio, *Ego & Pater vnum ſumus.* Et ipſe Filius, ſecundùm Paulum, eſt figura ſubſtantiæ Patris, & imago inuiſibilis DEI: ideóque Dominus dixit Philippò: *Qui videt me, videt & Patrem.* *Ioan. 5. & 17.* *Ad Hebr.* *Ad Coloſſ. 1.* *Ioan. 14.*

153. Altera ſententia fuit quorundam, qui dixerunt, nec homines, neque Angelos, neque in terris, neque in cœlis videre, aut viſuros eſſe vnquam DEI ſubſtantiam, vt ipſa eſt in ſe: propterea tamen eos qui ſunt in cœlis, dici videre faciem DEI, quia vident ſplendentem quandam ſimilitudinem gloriæ DEI, & tam clarè vident DEVM, quàm viſionis eius capax eſt creata natura; Nam etiam Iacob Geneſis 32. dicitur vidiſſe DEVM facie ad faciem, cùm tamen in confeſſo apud omnes ſit, Iacob non vidiſſe DEI eſſentiam. Pro hac ſententia facere videtur illud, quod ſcripſit B. Petrus in capite primo prioris Epiſtolæ his verbis: *Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Si Angeli deſiderant videre Spiritum ſanctum, ergo non vident eum: deſiderium enim non eſt niſi eorum quæ quis nôn habet, & habere cupit. Videtur hoc ſenſiſſe Theodoretus in primo Dialogo qui inſcribitur immutabilis, idémque annuere videntur & Chryſoſthomus Homilia decima quarta in Ioannem, hunc ipſum locum Ioannis explanans; & item Euthymius, & Theophylactus. Sed enim, huic ſententiæ aduerſatur diuina ſcriptura: Paulus enim capite decimo tertio prioris Epiſtolæ ad Corinthios ſcripſit: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Idem paulò etiam expreſſiùs docuit nos B. Ioannes in capite tertio primæ Epiſtolæ illis verbis: *Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Dominus etiã dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi* DEVM *videbunt.* Chryſoſthomus autem, ſi quis verba eius bene penſitet, loqui videtur de cognitione & viſione DEI comprehenſiua, qua *Secundus error quorũdam circa viſionẽ Dei.* *Theodoretus.* *Chryſoſt.* *Euthymius.* *Theophyl.* *Locus prima Epiſtola Ioãnis cap. 3.* *Matth. 5.* *Chryſoſt.*

tantùm videtur DEVS, quantùm omnino eſt viſibilis: huiuſmodi autem viſionem DEI nulli creato intellectui poſſibilem eſſe conſtat.

Explicatur locus primæ Epiſtolæ Petri cap. 1. Illud porrò dictum B. Petri, quòd Angeli deſiderant proſpicere in Spiritum ſanctum, duplicem habet interpretationem, & neutra iſti ſententiæ ſuffragatur. Vel enim illud *deſiderant*, dictum eſt pro eo quod eſt, (ſummè gaudent & lætantur proſpiciendo:) vel illud *deſiderant*, non ſignificat eo loco priuationem viſionis DEI, ea quippe incredibiliter, atque immortaliter affligeret Angelos: ſed tantùm denotat remotionem & vacuitatem omnis ſatietatis & faſtidij circa viſionem DEI: ad hunc enim intellectum, in vigeſimo quarto capite libri Eccleſiaſtici diuina Sapientia de ſe dixit: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Codices Græci pro illo, *in quem*, habent *in quæ*, id autem refertur ad myſteria fidei, partim ad CHRISTVM, partim ad Eccleſiam eius & electos pertinentia; & partim iam impleta, partim deinceps implenda vſque ad finem mundi; de quibus myſteriis proximè antè locutus eſt Petrus. Quomodo autem hæc myſteria deſiderent Angeli proſpicere, bene declarauit Caietanus in Commentario eius loci, vnde lector petere germanam iſtius lectionis Græcæ intelligentiam poterit. 154

Caietanus.

Tertius error circa viſionẽ Dei. Tertia ſententia fuit: cùm dicitur hoc loco DEVM *nemo vidit vnquam*, id de viſione DEI patris tantùm intelligi debere. Etenim in DEI apparitionibus & viſionibus quæ ſanctis viris factæ in veteri Teſtamento, commemorantur in diuina ſcriptura, nunquam DEVS pater apparuit, ſed tantùm DEVS Filius; quod ipſe poſtea, ſumpta carne humana, in terris videndus, & cum hominibus conuerſaturus erat. Hoc ſenſit, & ſcriptum reliquit Tertullianus in eo libro quem aduersùs Praxeam ſcripſit: eadémque fuit aliorum quorundam veterum ſcriptorum opinio: quam hoc loco Auguſtinus, non ſine eius deteſtatione, commemorat; & diſcutit in libro ſecundo de Trinitate. 155

Tertullianus.

Auguſtinus.

Sed iſtam ſententiam manifeſtè refellunt duæ apparitiones & viſiones DEI, duobus factæ Prophetis; Altera, quæ in veteri Teſtamento facta eſt Danieli, & narratur ab eo in capite ſeptimo: Altera verò, quæ in nouo Teſtamento facta eſt B. Ioanni, & ab eo ex- 156

ponitur

ponitur in capite quarto & quinto libri Apocalypſis. Ac Danieli quidem viſus eſt antiquus dierum ſedens in throno: ſimúlque viſus eſt quaſi filius hominis, cum nubibus cœli veniens ad illum antiquum dierum, & accipiens ab eo immenſam poteſtatem, & gloriam, & imperium ſuper omnes gentes, & regnum ſempiternum. Ex qua narratione ſatis elucet, per illum antiquum dierum, ſignificatum & repræſentatum eſſe DEVM Patrem: per illum autem filium hominis venientem in nubibus ad illũ antiquum dierum, & ab eo accipientem tantam gloriam & poteſtatem, ſignificatum eſſe CHRISTVM Filium DEI. Beatus autem Ioannes vidit DEVM patrem in cœlo ſedentem in throno: vidit etiam iuxta thronum eius CHRISTVM in ſpecie, & figura agni occiſi, accedentis ad DEVM ſedentem in thronō, & accipientis ab eo librum, quem in dextera ſua tenebat, ſcriptum intus & foris, & ſignatum ſeptem ſigillis.

QVADRAGESIMA SECVNDA DISPVT.

Super illis verbis:

Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. VER. 18.

157 QVID ſignificet, (eſſe in ſinu Patris) multis, & variis modis explicitur. Primo, ſecundùm Auguſtinum, quod eſt in ſinu, eſt occultum aliis: ſic enim ſcribit in tractatu tertio in Ioannem, Quid eſt, in ſinu Patris? in ſecreto Patris. Non enim DEVS habet ſinum, ſicut nos habemus in veſtibus: ſed quia ſinus noſter intus eſt; ſecretum DEI Patris, ſinum Patris appellauit. In ſecreto igitur Patris, qui Patrem nouit, ipſe enarrauit. Sic Auguſtinus. Secundo, eſſe in ſinu, metaphoricè ſignificat, eſſe dilectiſſimum & chariſſimum Patri. Tertio, eſſe apud Patrem in maximo pretio, & honore, & gloria. Quarto, eſſe apud Patrem gratioſiſſimum, vt quiduis facillimè ab eo obtinere queat. Quinto, eſſe Patri coniunctiſſimum, & familiariſſimum, atque intimum. Sexto, eſſe conſcium omnium Patris conſiliorum, & ſecretorum. Septimo, ſecundùm Cyrillum, ſinus Patris ſignificat ſubſtantiam Patris: CHRISTVM igitur

Quid ſit, Chriſtum eſſe in ſinu Dei Patris, ſeptem interpretationes.

Auguſtinus.

Cyrillus.

igitur eſſe in ſinu Patris, ſignificat, eſſe ipſum eiuſdem ſubſtantiæ *Locus Lucæ cap.16.* cum Patre. Hac item locutione vſus eſt Lucas in decimo ſexto capite ſui Euãgelij ſcribens, Lazarum, cùm mortuus eſt, receptum fuiſſe in ſinum Abrahæ. Illud etiam dici poſſet, B. Ioannem hac locutione vſum, fortaſſe ad veterem Romanorum morem ſeruari ſolitum in cõuiuiis, alluſiſſe. Romani enim, in conuiuiis vel vxorem, vel liberos, vel alias ſibi chariſſimas perſonas, vt auctor eſt *Plutarchus.* Plutarchus, infra ſe collocabant, id autem eſt, in ſinu ſuo. Mores autem & inſtituta Romanorum in conuiuiis ſeruari ſolita, Iudæi *Ioan.13.* etiam, id temporis, ſequebantur: quapropter, B. Ioannes, qui omnium maximè charus erat CHRISTO, in vltima eius cœna re- *Ambroſius.* cubuit in ſinu in pectore eius. Ambroſius certè, explanans illa verba Lucæ cap. 15. *Cecidit in collum eius*, ſcribit, Ioannem in ſinu IESV, ceruice recubuiſſe reflexa.

Ex occaſione huius locutionis (in ſinu Patris eſſe) mihi venit 158
in mentem, cùm hæc ſcriberem, etiam hoc loco quaſi obiter inter- *Locus Pſalmi 109.* pretari locutionem illam qua vſus eſt Dauid in Pſalmo centeſimo nono, inducens Dominum patrem dicentem hæc verba Domino filio, *Ex vtero ante luciferum genui te.* Cùm enim generare ex vtero ſuo, ſit matris, non autem Patris; quomodo DEVS Pater dicitur ex vtero ſuo genuiſſe filium? ſed eſt ſciendum, iſtiuſmodi locutionem eſſe phraſin Hebraicam, qua ſignificatur, eum ſic genitum, eſſe genitum ex ſubſtantia eius qui dicitur genuiſſe ex vtero, & eſſe verum & naturalem filium eius. Ac ne quis fortè ſuſpicetur, iſta locutione vti tantùm ſcripturam, cùm loquitur de diuina generatione Filij DEI; ſcire conuenit, ea locutione vti quoque ſcripturam cùm loquitur de generatione aliorum. Nam idem Dauid in capite decimo ſexto libri ſecundi Regum loquens de filio ſuo Abſalone, ſic ait: *Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam.* Multi tamen opinati ſunt, iſtam locutionem eſſe myſticam, & per eam ſignificari, DEVM patrem in generatione filij, & patris & matris partes impleſſe, ipſúmque filium vno tantùm parente genitum eſſe. Qua etiam de cauſa, cùm ſcriptura loquitur de Meſſia ex ſemine Dauid generando, ait ipſum generatum iri ex vtero, ſiue de ventre Dauidis, vt videre licet in capite ſeptimo lib. 2. Regum, & in Pſalmo centeſimo trigeſimo primo.

Signifi

Significatur enim iſto modo loquendi, Meſſiam genitum iri ex vtero tantùm matris, ſine vlla cooperatione virili: B. enim Maria progenita eſt ex ſemine Dauid, & per eam CHRISTVS dicitur fuiſſe ex ſemine Dauid, & filius ipſius Dauid. Et hæc quidem iſtorum eſt opinatio.

DE SECVNDO TESTIMONIO Ioannis Baptiſtæ de CHRISTO.

Super illis verbis:

Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es? VER. 19.

159 PER hanc legationem, præcipuè atque inprimis explorare cupiebat Iudæi, an Ioãnes eſſet Meſſias. Chryſoſthomus & Theophylactus aiunt, eam legationem eſſe à Iudæis factam in odium & contemptum CHRISTI, quod mihi non fit veriſimile: *Chryſoſt. Theophylact.* ſiquidem eo tempore CHRISTVS obſcurus & ignotus erat Iudæis; nec dum enim publicè prædicare, & miracula facere, & concurſus hominum habere cœperat: ideóq; cauſas omnes odij & inuidiæ, irarúmque aduersùs CHRISTVM Iudæi procul habebant. Illud ſanè credibilius eſt, quia multi ambigebant, num Ioannes eſſet Meſſias, permoti videlicet miraculis quæ in eius conceptu atque ortu contigerant; & admirantes maximam vitæ eius ſanctimoniam, & nouam doctrinæ ac prædicationis rationem, & inſolitum baptizandi ritum; & quia iam in proximo adeſſe Meſſiæ aduentum, non Doctorum modò, ſed vulgi etiam erat opinio; propter hæc, inquam, omnia ſimillimum verò eſt, Principes Iudæorum miſiſſe legatos ad Ioannem, vt ex eius confeſſione reſponſiſque, ambiguitate omni diſcuſſa, veritas liquidò, certéque cognoſceretur. Hoc ipſum confirmatur auctoritate Lucæ, cuius in capite tertio Euangelij hæc ſunt verba: *Exiſtimante autem populo,*

pulo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet CHRISTVS *&c.* Sed profectò hinc ſatis apparet, quemadmodum Iudæi clariſſima in luce hallucinarentur. Ioannes etenim nihil fermè habebat eorum, quæ futura eſſe in Meſſia, multifariam à Prophetis prædictum fuerat: neque eam Ioannes erat ex ſemine Dauid, neque ex tribu Iuda, neque natus fuerat in Bethleem, neque ſignum vllum fecerat; quæ omnia prædictum fuerat à Prophetis, in CHRISTO eſſe futura.

QVADRAGESIMA TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 21. Et interrogauerunt eum, Elias es tu? Et dixit, Non ſum.

Cur Iudæi quærebant an Ioannes eſſet Elias.

QVIA Ioannes negauerat, ſe eſſe CHRISTVM, & 160
Iudæi legerant in Prophetia Malachiæ, Eliam venturum eſſe ante CHRISTI aduentum; inceſſit eos dubitatio; num Ioannes eſſet Elias: præſertim verò, quòd Ioannes victu, veſtitu, habitatione deſerti, libertate reprehendendi, & ardore prædicandi quàm ſimillimus Eliæ videbatur. Sed magnam habet quæſtionem ſimulque admirationem, quomodo potuerit Iudæis in mentem venire, vt ſuſpicarentur, Ioannem eſſe Eliam: cùm Ioannem ante annos circiter triginta ex Zacharia & Eliſabeth natum eſſe ſcirent; Eliam verò ante nongentos annos fuiſſe, & in cœlum eſſe raptum, partim ex Sacra ſcriptura, partim ex antiquiſſima ſuorum Maiorum traditione compertum haberent.

Quæſtio, quomodo Iudæi opinari potuerint, Ioannem fuiſſe Eliam.

4. Reg. 2.

Opinio Ianſennij, quòd Iudæi fuerint in errore Pythagoræorum de transmigratione animarum in diuerſa corpora. Ianſennius.

Hanc quæſtionem explicans Ianſennius, ait, complures Iudæorum, tēpore Ioannis & CHRISTI, fuiſſe in errore Pythagoræorum de transmigratione animarum, quòd eadem ſcilicet anima, diuerſis in temporibus, diuerſa in corpora humana immigraret. Id verò duplici ſcripturę teſtimonio confirmat Ianſennius. Matthæus enim 14. Euangelij capite refert, Herodem, audita fama miraculorum CHRISTI, dixiſſe: *Ipſe eſt Ioannes quem ego decollaui; & ideo virtutes operantur in ipſo.* Apud eundem Matthæum quoque 161

cap. 16.

cap. 16. CHRISTO interroganti diſcipulos ſuos, quem dicerent homines eſſe ipſum, reſponderunt illi: *Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Putabat vulgus Iudæorum videlicet, animam alicuius illorum intráſſe in corpus CHRISTI.

162 Sed ego ſententiam iſtam minimè probabilem eſſe, ſex rationibus poſſum oſtendere. Primò, vt error ille fuiſſet vulgi, non fuiſſe tamen Phariſæorum, quales erant qui hanc ad Ioannem legationem obibant, ex eo perſpicere licet, quòd nec Clemens Romanus libro ſexto Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 6. nec Epiphanius in Exordio ſui operis aduersùs Hæreſes, ſubtiliter Phariſæorum decreta recenſentes, hunc tam inſignem de tranſmigratione animarum errorem illis attribuunt: Deinde, Dominus noſter apud Matthæum cap. 23. non obſcurè indicat, Doctrinam Phariſæorum fuiſſe ſanam, & rectam, licèt eorum vita eſſet praua & vitioſa: *Super cathedram*, inquit, *Moyſi ſedebunt Scribæ & Phariſæi: omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: Secundùm autem opera eorum, nolite facere.* Et cùm Dominus multis aliis de rebus accuſauerit Phariſæos, ſi in hoc illi fuiſſent errore, qui eſt contrarius Sacræ Doctrinæ, & vitæ hominum exitialis; non eum Dominus diſſimulâſſet, ſed, vt par erat, & ſæpius, & ſeueriſſimè reprehendiſſet, atque confutâſſet. Ad hæc, Paulus in Actis Apoſtolorum cap. 23. 24. & 26. apertè oſtendit, Doctrinam Phariſæorum fuiſſe veram, & probatam, ſiue, (vt ſignificat verbum Græcum quo Paulus vtitur cap. 26.) exactiſſimam & exquiſitiſſimam; quam nimirum Paulus ab initio ſe eſſe ſecutum quodammodo gloriatur. Præterea, ex his quæ in ſupradictis locis dixit Paulus, & ex narratione Ioſephi in libro decimo octauo Antiquitatum, & Epiphanij in Exordio ſui operis aduersùs Heræſes, manifeſtum eſt, bene ſenſiſſe Phariſæos de Reſurrectione mortuorum: ea verò ſententia, illi de tranſmigratione animarum opinioni, planè repugnat. Illud denique poteſt adiici, peruulgatam fuiſſe tunc apud Iudæos ex antiqua traditione exiſtimationem, Eliam non eſſe mortuum: quòd ſi putabant illi Eliam viuere, quomodo poterant ſuum in animum inducere, vt crederent, Eliæ animam tranſmigrâſſe in corpus Ioannis.

Sex argumẽtis probatur, Iudæos non fuiſſe in errore Iudæorum de trãſmigratione animarum.

Clemẽs Rom.

Epiphanius.

Ioſephus.

Epiphanius.

Teſtimo

Explicantur loci Matth. c. 14. & cap. 16. Teſtimonia porrò Sacræ ſcripturæ quæ Ianſennius affert, parum 163
eius opinionem adiuuant. Etenim, tam Herodes, quàm Iudæi putarunt, & Ioannem, & CHRISTVM Dominum fuiſſe vnum aliquem de antiquis Prophetis; non quia illorum animæ in horum corpora demigrâſſent; ſed quòd illi reſurrexiſſent ex mortuis, & ſub diuerſis nominibus apparuiſſent, & conuerſarentur cum hominibus. *Explicatur locus Ioſephi.* Sed poſſet nobis obiici auctoritas Ioſephi Iudæi, qui in libro ſecundo de bello Iudaico cap. 7. ſcribit, Phariſæos ſenſiſſe, animas bonorum tranſmigrare in corpora. Verùm ſcite conuenit, Ioſephum eo loco abuſum eſſe verbo (tranſmigrare) idque poſuiſſe pro verbo (remigrare:) ſignificare enim voluit reſurrectionem mortuorum, quam ſcriptura in Actis Apoſtolorum dogma fuiſſe Phariſæorum confirmat. Certè Ioſephus ipſe in libro decimo octauo Antiquitatum, (libros autem Antiquitatum ſcripſit poſt libros de Bello Iudaico) quod non propriè dixerat in libris de Bello Iudaico, id propriis & apertis verbis dixit in libro decimo octauo Antiquitatum, ſcribens, Phariſæos ſenſiſſe, animis bonorum hominum facilem patere ad ſua corpora reditum.

Reſponſio ad quæſtionē ſuprà poſitam. Cæterùm, ad quæſtionem ſupra poſitam, quomodo Iudæi po- 164
tuerint ſuſpicari, Ioannem fuiſſe Eliam, dupliciter reſponderi poteſt. Dubitabant enim Iudæi, num Elias, qui ad id vſque temporis cunctis fuerat mortalibus occultus; tunc, prænunciaturus Meſſiæ aduentum, qui erat in proximo, manifeſtâſſet ſe hominibus: ſed errorē opinionis hominum putaretur, & nominaretur Ioannes. Multi quippe de Ioanne, quòd iam pridem deceſſerant eius parentes, & ipſe à prima ætate in ſolitudine perpetuò delituiſſet; non ſatis exploratam, neque explicatam opinionem habebant. Illud etiam dici poteſt, quod paulò ſupra diximus Iudæos eo tempore credidiſſe, Eliam non fuiſſe mortuum, id non fuiſſe communem Iudæorum omnium exiſtimationem; nec paucos fuiſſe qui crederent, Eliam verè mortuum fuiſſe, propterea tamen vulgò dici non eſſe mortuum, quòd ſcriptura nullum de morte eius verbum faceret; ſicut etiam Melchiſedech dicitur à Paulo ad Hebræos cap. 7. fuiſſe ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens: quòd iſtiuſmodi rerum nulla in Sacris litteris fiat mentio.

QVA

QVADRAGESIMA QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Ver.27.

HANC Ioannis Baptiſtæ de CHRISTO ſententiam
165 omnes Euangeliſtæ commemorârunt: quòd ea perquàm inſignis, maximéque illuſtris eſſet ad oſtendendam CHRISTI excellentiam; vt cui Ioannes, quo nullus inter homines maior erat, indignum ſe iudicauit, vt vel infimum, & abiectiſſimum ſeruorum obſequium præſtaret. Sed eam tamen ſententiam ſatis variè referunt Euangeliſtæ: Matthæus ſic cap. 3. *Cuius non ſum dignus calceamenta portare*, Marcus ita cap. 1. *Cuius non ſum dignus, procumbens, ſoluere corrigiam calceamentorum eius*. Lucas cap. 3. hoc modo: *Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius*. Ioannes denique ita vt diximus: *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamẽti*. Eſt itaque in cõmemoratione huius ſententiæ Ioannis Baptiſtæ ab Euangeliſtis facta quadruplex varietas. Primò enim, pro eo quod Ioannes ſecundùm Latinam lectionẽ habet: *Non ſum dignus*, Græcè eſt, ἄξιος, quod Latinus interpres congruè reddidit hoc loco *dignus*: Alij verò Euangeliſtæ licèt ſecundùm Latinam lectionem habeant itidem: *Non ſum dignus*, Græcè tamen eſt vox ἱκανὸς idem ſignificans Latinè quod *ſufficiens, vel idoneus*. Deinde, Ioannes habet vocem *calceamenti*, in ſingulari numero; Alij verò omnes in plurali. Ad hæc, vnus Matthæus dixit, *portare calceamenta*, cùm alij dixerunt, *ſoluere corrigiam calceamentorum, vel calceamenti*. Denique, Solus Marcus addidit illud, *procumbens*. Itaque fit mihi admodum veriſimile, Ioannem Baptiſtam diuerſis temporibus eandem ſententiam diuerſis verbis dixiſſe: aut certè ipſos Euangeliſtas non tam ſpectâſſe verba, quàm ſententiam Ioannis, qui voluit indicare infimum ſerui obſequium erga calceos Domini ſui, eos vel ſoluendo, vel ligando, vel portando. Hoc autem Baptiſta de CHRISTO, non ſolùm inſigni humilitate, ſed etiam ſumma veritate dixit: Ioannes enim dignus non erat exhibere illud obſe-

Quadruplex varietas inter Euangeliſtas in commemoratione huius ſententiæ Ioannis de Christo.

quium CHRISTO, non ſolùm quâ CHRISTVS erat DEVS; ſed etiam quâ erat homo, habens triplicem illam, de qua ſuprà dictum eſt, plenitudinem gratiæ, vnionis, capitis, & gratiæ habitualis. Sanè, ſi calceos, vel cingulum, vel ſaccum B. Franciſci, aliúſve inſigni ſanctimoniâ viri, tanta religione veneramur, vt eam manibus contrectare, irreligioſum putemus, & ore tantùm deoſculemur: quantò plus reuerentiæ, & honoris ac venerationis CHRISTI pedibus, & calceis debitum eſt? ad ſimilem quandam demiſſionem animi & humilitatem declarandam ſpectat modus ille loquendi qui eſt apud Eſaiam cap. 49. *Lingent puluerem pedum tuorum.* & cap. 60. *Adorabunt veſtigia pedum tuorum.*

Quæſtio, ſi Chriſtus non vtebatur calceis, quomodo Ioannes dixerit, ſe non eſſe dignum ſoluere calceamenta eius. *Chryſoſt.* *Hieronymus.*

166 At enim, dictum hoc Baptiſtæ de CHRISTO quæſtionem excitat huiuſmodi: Cùm CHRISTVS non ſit vſus calceis, ſed nudis pedibus ingredi ſolitus ſit; quomodo Ioannes Baptiſta dixit, ſe non eſſe dignum portare calceamenta CHRISTI, vel ſoluere corrigiam calceamentorum eius, quaſi CHRISTVS calceamentis vteretur? CHRISTVM autem & Apoſtolos non eſſe vſos calceis, indicat Chryſoſthomus ſuper caput decimũ Matthæi ita ſcribens: Apoſtoli cum vnica tunica, & ſine calceis circuibant totum mundum, & ſuperabant. Expreſſiùs hoc ipſum docet nos Hieronymus in quadam Epiſtola ad Euſtochium ſcripta: Moyſes & Ioſue, inquit Hieronymus, nudis pedibus in terra iubentur incedere; Apoſtoli ſine vinculis pellium & onere calceamentorum, ad prædicationem noui deſtinantur Euangelij. Milites, veſtibus CHRISTI ſorte diuiſis, calceos non habuêre quos tollerent: neque enim Dominus habere poterat, quod ſeruos ſuos habere prohibuerat.

Lyranus. Toſtatus. *Luca 7.*

167 Eadem eſt ſententia Lyrani ſuper caput tertium Matthæi, & Toſtati ſuper idem caput quæſtione ſexageſima octaua: id autem confirmant iſti duplici ratione. Quomodo enim, inquiunt, Magdalena, pedes CHRISTI in conuiuio diſcumbentis, niſi nudos, lauare, vngere, ac tergere potuiſſet? Deinde, ſi CHRISTVS vſus eſſet calceis, non vtique vſum calceorum diſcipulis ſuis interdixiſſet, vt in capite decimo ſui Euangelij referunt Matthæus & Lucas: Dominus quippe in omnibus quæ præcipiebat docendo præibat exemplo, priùs faciens, quàm docens & iubens.

Ad

168 Ad quæſtionem itaque ſuprà poſitam reſponderi poteſt dupliciter. Modus enim ille loquendi Ioannis Baptiſtæ, figuratus fuit, & ceu prouerbialis: in quo non attenditur quid propriè verba ſignificent, ſed ad quid ſignificandum adhiberi ſoleant, ad declarandū videlicet infimum, & abiectiſſimum ſeruitutis obſequium. Vt ſi quis aliquem manibus carentem ſalutans, honoris causâ diceret, ſe manus eius deoſculari. Illud etiam reſponſum non eſt improbabile: quo tempore Ioannes Baptiſta hæc dixit de CHRISTO, eo tempore nondum ei de facie notum fuiſſe CHRISTVM, & putâſſe Ioannem communi aliorum hominum veſtitu & habitu CHRISTVM vti. *Reſponſio ad quæſtionem ſuprà poſitã.*

QVADRAGESIMA QVINTA DISPVTATIO.

Diſcutitur proximè declarata opinio, quòd CHRISTVS *non ſit vſus calceis, ſed nudipes fuerit.*

169 SENTENTIAM, quam in proxima ſuperiori diſputatione retulimus, eorum qui dixerunt, CHRISTVM non eſſe vſum calceis, ſed nudis fuiſſe pedibus, non eſſe admodum probabilem, tribus minimè aſpernandis rationibus lectori facilè probari & perſuaderi poſſet. CHRISTVS etenim communem cum cæteris hominibus in victu & veſtitu, & habitatione vitam agebat, vt ex verbis ipſius, quæ refert Matthæus capite vndecimo, & nos paulò pòſt referemus, perſpicuè intelligitur: Ingredi autem nudis pedibus, minimè vſitatum erat apud Iudæos; ſiquidem apud Iſaiam cap. 20. ſcriptum eſt, DEVM præcepiſſe Eſaiæ, vt exutus tunica ſaccea quam geſtabat, & depoſitis calceis quibus vtebatur, nudus incederet coram Iudæis: vt eius rei nouitate ac ſtupore illis terrorem incuteret, ſecum reputantibus, illud magnæ alicuius calamitatis eſſe portentum. Deinde, ſi CHRISTVS nudis fuiſſet pedibus, non id tacuiſſent Euangeliſtæ, perinſigne videlicet humilitatis & auſteritatis exemplum; præſertim autem in CHRISTO, qui regionem illam, pluribus locis montoſam & aſperam, prædicando, & ſanando infirmos, ſæpius peragrauerat. Ad hęc, Ioannes Baptiſta, *Locus Iſaiæ cap. 20.*

qui duriorem & auſteriorem, quàm CHRISTVS, vitam agebat non erat nudis pedibus: nimirum, Euangeliſtæ qui veſtitum eius ex pilis camelorum, & zonam pelliceam, & victum ex locuſtis & ex melle ſylueſtri, tam ſubtiliter, curioſeque deſcripſerunt; hoc de nuditate pedum eius, quod erat inprimis nouum & mirabile, ſcriptis prodere non prætermiſiſſent. Quòd autem CHRISTVS talem ageret vitam, qualem homines communiter agere ſolebant, & quòd Ioannes Baptiſta vitã degeret auſteriorem, quàm CHRISTVS, liquidò perſpicitur ex illis verbis Domini, quæ refert Matthæus cap. 11. ſunt autem hæc: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.*

Locus Matth. cap. 11.

Equidem facilè mihi perſuaderi patiar, CHRISTVM Dominum & Apoſtolos eſſe vſos calceis, ſi non integris, certè dimidiatis, qui pedem non ſupernè, ſed infernè contegunt; huiuſmodi calceos Græci vocant Sandalia; Heſychius autem, & alij Græcè doctiſſimi tradunt, Sandalium eſſe genus calceamenti non totum pedem tegens, ſed infernè conſtans ſolea, ſupernè autem patens, & apertum. Huiuſmodi calceis ſiue Sandaliis vti voluit CHRISTVS Apoſtolos, cuius hæc verba dicta illis refert Marc. c. 6. *Præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm: non perã, non panẽ, non in zona æs; ſed calceatos Sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.* Huiuſmodi etiam calceis vſus eſt Petrus, vt manifeſtum ſit ex verbis illis quæ dixit ei Angelus: *Calcea te caligas tuas*, pro illo, *caligas*, Græcè eſt, *Sandalia*, quæ vox ſignificat dimidiatum calceum, vt diximus: licèt B. Hieronymus in libro quinto commentariorum in Eſaiam ſuper caput vigeſimum ſcribat, Sandalium Latinè ſignificare caligas. Videat lector Auguſtinum in libro ſecundo de conſenſu Euangeliſtarum cap. 30. & Bedam ac Lyranum ſuper caput ſextum Marci. 170

Heſychius. Quid ſit Sandalium. Locus Marci cap. 6. Locus Actorum cap. 12. Hieronymus. Auguſtinus. Beda. Lyranus.

S. Bonauentura in quadã Epiſtola quæ ponitur inter eius opuſcula, affirmat, Romæ ſeruari, & oſtendi ſolere B. Petri ſoleam. In Hiſpania, in Eccleſia Ouetenſi, vulgò Ouiedo, oſtenditur Sandalium B. Petri. Tertullianus in libro de Pallio ſcribit, calceos tegere totum pedem: & ſui temporis Chriſtianos, præſertim verò diſciplinæ 171

Bonauentura. Solia B. Petri, tẽpore B. Bonauẽturæ, Romæ oſtẽdebatur. In vrbe Hiſpanẽſi, Oueto, Sandalium B. Petri. Tertullianus.

plinæ CHRISTI ſtudioſiores atque obſeruantiores, eiuſmodi calceis non eſſe vſos. Iam verò, quod ſupra obiiciebatur de Magdalena, facilè diluitur. Nam vt infrà, cùm ſuper nouiſſima CHRISTI Cæna diſputaturi ſumus, copioſè dicemus, mos fuit veterum tam Romanorum quàm Iudæorum, vt conuiuantes, in lectis accumberent nudis pedibus, & priùs bene lotis. Quorum autem calceorum Apoſtolis ſuis vſum CHRISTVS interdixerit, & quorum conceſſerit, ex eis quæ paulò antè diximus, manifeſtum eſt.

Reſponſio ad argumenta contraria opinionis.

QVADRAGESIMA SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vidit Ioannes IESVM venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. VER. 29.

172 ET illud aduerbium *ecce*, & articulus Græcè præpoſitus voci *Agnus*, ſignificant, CHRISTVM dici agnum non quocumq; modo, ſed eximia quadam & ſingulari ratione; denotando ſcilicet Agnum illum à Prophetis toties prædictum, & tantopere prædicatum, & in lege veteri variis modis præfiguratum. CHRISTVS autem vocatur Agnus ſeptem ob cauſas. Primò, ob incomparabilem eius puritatem atque innocentiam: quamobrem B. Petrus in primo capite prioris Epiſtolæ ſuæ CHRISTVM appellauit Agnum immaculatum atque incontaminatum. Secundò, propter admirabilem eius patientiam & manſuetudinem: quam ſignificare volens Eſaias cap. 53. *Quaſi Agnus*, inquit, *coram tondente ſe obmuteſcet*. Et Petrus in ſupradictæ Epiſtolæ capite ſecundo de CHRISTO loquens ſic ait: *Qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Tertiò, quia in cruce immolatus & mactatus eſt pro ſalute hominum, ſicut eodem in loco dixit Petrus: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Quartò, quoniam CHRISTI perquàm inſignis atque illuſtris figura fuit Agnus ille Paſchalis: cuius ſanguis foribus Hebræorum aſperſus ſeruauit eos à cæde primogenitorum, ſicut narratur in capite duodecimo libri Exodi. Quin etiam

Septem cauſæ, ob quas Chriſtus vocatur Agnus.

cæremoniæ quæ in edendo agno Paſchali, iuſſu DEI, ſeruabantur ab Hebræis, multa & præclara CHRISTI myſteria adumbrârunt, de quibus nos copioſè diſputauimus in primo tomo noſtrarū Selectarum Diſputationum ſuper libro Exodi. Quintò, ſecundùm legem Moſaicam, in leproſi mundatione, & parientis mulieris purificatione: immolabatur agnus: in celebrioribus etiam feſtis Iudaicis, plures ſemper agni quàm aliæ pecudes offerebantur. Sextò, celeberrimum illud & religioſiſſimum apud Iudæos, quod vocabatur iuge ſacrificium, duplici conſtabat agni immolatione, & altera fiebat manè, altera verò fiebat veſperi. Denique, oblatio agni erat in lege frequentior & potior: videat lector hac de re multa in Leuitico, & in libro Numerorum. Ac licèt CHRISTVS etiam figuratus ſit in lege veteri per hircum, animal ſcilicet malè olens, ac turpe, non tamen propter conditionem propriæ perſonæ CHRISTI, ſicut Agnus, fuit CHRISTI figura; ſed propter fœtorem noſtrorum peccatorum quæ CHRISTVS in ſe ſuſcepit, & propria morte purgauit. Septimò, Ioannes Baptiſta CHRISTVM appellauit Agnum, ſecutus morem veterū Prophetarum: ſic enim appellauerat eum Eſaias cap. 16. illis verbis: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion.* & idē cap. 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Et Hieremias cap. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam.*

Leuit. 11.

Leuit. 12. & alibi.

Aliter hircus & aliter agnus fuêre Chriſti figura.

Tres loci, Eſa. cap. 16. & 53. & Hieremiæ cap. 11.

Locus Ioannis cap. 13. Apoc.

Ioannes porrò Euangeliſta in libro Apocalypſis vix alio nomi- 173
ne quàm Agni, CHRISTVM appellat: non ſolùm dum CHRISTVS in terris erat humilis & manſuetus, & in cruce mactatus eſt: verùm etiam vt glorioſus, & omnipotens regnat in cœlis. Et in capite quinto eius libri ſcribit, vidiſſe ſe CHRISTVM in ſpecie Agni habentis ſeptem oculos, & ſeptem cornua; ſeptenario oculorum plenitudinem ſapientiæ eius; ſeptenario autem cornuum magnitudinem roboris & fortitudinis eius denotante. Sed illud inprimis eſt notabile, quòd in capite decimo tertio eius libri ſcribit, hunc Agnum occiſum eſſe ab origine mundi. Quod quidem tribus modis poteſt intelligi: Primò, quòd occiſio CHRISTI prædefinita fuerit ab origine mundi, immò etiam ex omni æternitate: cuius ſimile ſcripſit Petrus in primo capite prioris Epiſtolæ ſuæ dicēs, nos eſſe redemptos pretioſo ſanguine CHRISTI, quaſi

Tres cauſæ, cur Chriſtus dicatur Agnus ab origine mundi occiſus.

Agni

Agni immaculati & incontaminati, præcogniti quidē ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autē nouiſſimis temporibus. Deinde dictus eſt Agnus occiſus ab origine mundi, quia mors CHRISTI ab initio mundi præfigurata fuit in occiſione innocentis Abel. Ad hæc, quia quicunque iuſti fuerunt ab initio mundi, & iuſtitiam, & ſalutem æternam conſecuti ſunt virtute futuræ paſſionis & mortis CHRISTI: idem enim erga priores iuſtos operata eſt futura mors CHRISTI, quod in poſterioribus fecit iam peracta. *Geneſ 4.*

174 CHRISTVS autē dicitur Agnus DEI, vel quia ſic erat agnus, vt ſimul eſſet DEVS: niſi enim fuiſſet DEVS, non potuiſſet talem facere humani generis redemptionem, talémque pro peccatis hominum ſatisfactionem, qualem ipſe, ſummo rigore iuſtitiæ fecit. Vel quia ipſe à DEO patre traditus eſt ad immolationem & necem pro ſalute hominum: quemadmodum Paulus in capite octauo Epiſtolæ ad Romanos ſcripſit his verbis: *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Vel quia ipſemet CHRISTVS ſua ſponte, ſummáque voluntate, atque ineffabili charitate, vt ſaluum faceret genus hominum, obtulit ſe DEO ad mortē, mortem autē crucis, de qua oblatione loquens alio loco Paulus: CHRISTVS, inquit, *dilexit nos, & tradidit ſemet ipſum pro vobis oblationem & hoſtiam* DEO. De quà CHRISTI tam voluntaria & prompta oblatione extat illuſtriſſimum illud Dauidis in Pſalmo trigeſimo nono vaticinium: *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi: Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tum dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam:* DEVS *meus, volui & legem tuam in medio cordis mei.*

Tres ob cauſas Chriſtū dici Agnum Dei.

Locus Pauli ad Romanos cap. 8.

Ad Philip. 2. Ad Epheſ. 5.

Locus Pſalmi 39.

175 Sed perpendamus illa verba: *Qui tollit peccata mundi.* CHRISTVS dicitur tollere peccatum. Primò, quia penitus ipſum aufert, & delet: non enim, vt nugantur noſtri temporis Hæretici, in iis qui per CHRISTVM iuſtificantur peccata remanent reuera, ſed ideo dicuntur auferri, quia diſſimulantur à DEO, nec imputantur eis ad pœnam: Deinde, CHRISTVS dicitur tollere peccata, quia ipſe omnium peccata ſuſcepit, & portauit, & in ſuo corpore per ſanguinem & mortem ſuam expiauit, pro illis abundè ſatisfaciēs DEO. Prædixerat hoc multò antè diſertiſſimis verbis Eſaias cap. 53. cùm de CHRISTO loquens dixit: *Verè languores noſtros* ipſe

Cur Chriſtus dicatur tollere peccata.

Locus Eſaiæ cap. 53.

ipſe tulit,& dolores noſtros ipſe portauit: vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra:& liuore eius ſanati ſumus. Et B. Petrus in cap. 2. prioris Epiſtolæ ſuæ. *Peccata noſtra*, inquit, *ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Signatè autem dictum eſt in præſenti tempore *tollit*, vel vt eſt Græcè, in participio præſentis temporis *tollens*, vt ſignificaretur, CHRISTI virtutem tollendi peccata non eſſe temporariam, & ad certum aliquod duntaxat tempus efficacem, ſed eſſe perennem, atque indeficientem. Virtus quippe mortis CHRISTI quotidie operatur hunc tollendi peccata effectum in omnibus, quibus applicatur per fidem eorum, & per ſacramenta Eccleſiæ.

Quæ dicãtur peccata mundi, vel peccatum mundi.

Locus Ioannis prima Epiſtolæ cap. 2.

Reſtat declarandum, quid ſit illud, *peccata mundi*, vocantur pec- 176
cata mundi, peccata omnium hominũ, qui vnquam fuêre, & ſunt, & futuri ſunt in mundo. Et huius ſimile eſt illud, quod ſcripſit Ioannes in 2. cap. primæ Epiſtolæ ſuæ: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Græcè ponitur in ſingulari numero *peccatum mundi*; & ſic legit hunc locum Auguſtinus in libro duodecimo contra Fauſtũ Manichæum cap. 30. & libri tertio ad Bonifacium; & Cyprianus in libro de duplici martyrio, & Origenes Homilia decima & vigeſima ſeptima in librum Numerorum, & Beda ſuper hoc loco, nec non & B. Thomas in prima ſecundæ quæſtione octuageſima ſecunda titulo ſecundo.

Auguſtinus. Cyprianus. Origenes. Beda. S. Thomas.

Cur dicatur ſingulari numero peccatũ mundi.

Significatur autem per iſtud *peccatum mundi*, vel ipſa tyrannis peccati dominantis homini; vel ipſa peccati malitia: vel peccatorum omnium colluuies, & vt Paulus vocat ad Romanos 6. corpus peccati. Vel per iſtud peccatum mundi ſignificatum eſt præcipuè peccatum originale, quod ſingulari numero vocatur peccatum, quia ex vno peccato Adami natum eſt; & quia eius effectus, vniuſmodi eſt in omnibus; ſcilicet amiſſio iuſtitiæ originalis, & neceſſitas moriendi, & priuatio regni cœleſtis. Denique, originale peccatum vnum eſt in vnoquoque homine. Dauid tamen in Pſalmo quinquageſimo vocauit ipſum numero plurali dicens: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quia peccatum originale ſeminarium eſt omnium peccatorum: & quia multas partes & potentias hominis vitiat: & quia ad varia peccata inclinat hominem.

Peccatũ originale quomodo dicatur vnum, & multa.

Locus Dauid Pſal. 50.

QVA

QVADRAGESIMA SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui Baptizat in Spiritu ſancto. VER. 33.

An Ioannes Baptiſta cognouerit CHRISTVM, *priùs quàm eum baptizauit?*

Exponuntur Doctorum ſuper hac re nouem ſententiæ.

177 INDICAT ſuptadictis verbis Baptiſta, ſe non priùs cognouiſſe CHRISTVM quàm cùm baptizauit eum: tunc enim deſcendit ſuper CHRISTVM Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ. At enim, contrarium videtur colligi ex cap. 3. Euangelij Matthæi: vbi Ioannes baptiſmum CHRISTO petenti dare recuſans, dixit: ***Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?*** Quo ſignificauit apertè, ſibi tunc excellentem CHRISTI dignitatem fuiſſe compertam. Hunc nodum ſoluendi varias admodum rationes Doctores excogitârunt: Ego nouem repetio ſuper hac re Doctorum ſententias.

178 Prima ſententia eſt B. Hieronymi, ſicut eam refert B. Thomas: is dixit, Baptiſtam, ante Baptiſmum CHRISTI, nouiſſe ipſum eſſe Filium DEI, & Meſſiam; ſed non cognouiſſe, ipſum eſſe Saluatorem mundi per Baptiſmum ſuum. Verùm iſti ſententiæ aduerſari videntur tres alij Euangeliſtæ: narrant enim, Baptiſtam, priuſquàm baptizaret CHRISTVM, dixiſſe de illo, ipſum eſſe baptizaturum homines in Spiritu ſancto. Secunda ſententia eſt Auguſtini ſuper hoc loco, & libro ſecundo de conſenſu Euangeliſtarum cap. 15. & libro quinto de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 13. affirmantis, Baptiſtam nouiſſe multa de CHRISTO ante Baptiſmum eius; illud tamen vnum ignorâſſe, quod poſtea co-

Prima ſententia B. Hieronymi. *Hieronymus.* *S. Thomas.*

Secunda ſententia. *Auguſtinus.*

gnouit in eius Baptiſmo, ipſum ſcilicet fore ſolum effectorem gratiæ baptiſmalis; & Baptiſmum à quocunque miniſtro traditum, dummodo in eius nomine ſit ritè adminiſtratus, æquè futurum eſſe validum, & efficacem. Sed contra iſtam ſententiam facere videtur, quod Baptiſta dixit hoc loco: *Et ego neſciebam eum*, id enim profectò ad ignorantiam perſonæ CHRISTI, non autem poteſtatis tantùm, pertinet. Deinde, quòd Auguſtinus putat ignoràſſe Baptiſtam ante CHRISTI Baptiſmum, fuit id quod ſignificatur his verbis, Baptizare ſcilicet in Spiritu ſancto: atqui, hoc ipſum de CHRISTO teſtificatus fuerat Ioannes ante CHRISTI Baptiſmũ.

Tertia ſententia. Chryſoſt. Lyranus.

Tertia ſentẽtia eſt Chryſoſthomi in Homilia decima ſexta in Ioãnem & Lyrani ſuper hoc loco: Aiunt, CHRISTVM non fuiſſe notum Baptiſtæ antequàm ab eo baptizaretur: ſed poſtea, cùm CHRISTVS venit ad Ioannem petens ab eo Baptiſmum, tunc duplex cognitio CHRISTI data eſt Ioanni; vna quidem per interiorem inſpirationem & reuelationem, qua Baptiſta cognouit excellentiam CHRISTI tunc, cùm CHRISTVS ab eo petiit baptiſmum. Altera cognitio CHRISTI eſt data Ioanni tunc, cùm CHRISTVM baptizauit, per externum videlicet ſignum columbæ deſcendentis ſuper ipſum. Ergo, illud: *Et ego neſciebam eum*, non debet referri ad totum tempus præcedens Baptiſmum CHRISTI, ſed ad id temporis tantùm, quod præceſſit aduentum CHRISTI ad Ioannem, accipiendi ab eo Baptiſmi causâ. Theophylactus commemorat hoc loco duas ſupradictas ſententias, Auguſtini & Chryſoſthomi.

Theophylact.

Quarta ſententia. Cyrillus.

Quarta ſententia eſt Cyrilli in capite ſecundo libri ſecundi 179
Commentariorum in Ioannem: qui illud: *Ego neſciebam eum*, ſic interpretatur: non ex me, nec ex humana conuerſatione quam cum ipſo habui, noui eum: ſed ex ſola DEI reuelatione: quam interpretationem in Commẽtario huius loci ſequitur Euthymius. Sed non videntur proximè ſuperiores duæ ſententiæ tangere, nedum tollere difficultatem propoſitæ quæſtionis: hæc enim in eo poſita eſt, quòd Baptiſta ſignificat, ſe tantùm ex ſigno columbæ cognouiſſe CHRISTVM, ſibi antea prorſus ignotum. Quinta ſententia eſt Bedæ ſuper hoc loco, illud: *Et ego neſciebam eum*, ſic interpretantis: Tantam de illius excellentia cognitionem accepi in eius

Euthymius.

Quinta ſententia. Beda.

n eius Baptiſmo, vt in eius cognitionis comparatione, cognitionem quam de ipſo priùs habueram, pro nihilo ducam, & quaſi gnorantiam quandam exiſtimem. Sed enim, ſi quis penſitet ea quæ Baptiſta teſtificatus eſt de CHRISTO, antequàm eum baptizaret, & quæ narrantur ab aliis Euangeliſtis; comperiet, ea fuiſſe plurima, & ampliſſima, & præſtantiſſima, nec vllo modo pro minimis, nedum pro nihilo ducenda. Sexta ſententia eſt Toſtati ſuper tertium caput Matthæi aientis, cùm CHRISTVS venit ad Bapriſtam, non fuiſſe illi notum tanquam Meſſiam, ſed vt hominem omnium mortalium ſanctiſſimum, reuelante id ſibi DEO; ideóque Ioannes tantopere illi ſe ſubmittebat dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Poſtea verò Ioannes in Baptiſmo CHRISTI cognouit ipſum eſſe Meſſiam, & filium DEI, & Saluatorem mundi. Verùm, Toſtato aduerſantur alij tres Euangeliſtæ, qui aiunt, iſta ipſa fuiſſe nota Ioanni ante CHRISTI baptiſmum, eáque ipſum publicè teſtificatum eſſe Iudæis. Septima ſententia eſt Caietani: Bis (inquit Caietanus) columba ſuper CHRISTVM deſcendit: ſemel quidem cùm CHRISTVS petiit à Ioanne Baptiſmum; & tunc primùm Baptiſta cognouit CHRISTVM; & de hoc deſcenſu columbæ loquitur Ioannes Euangeliſta in hoc loco. Iterum autem deſcendit columba ſuper CHRISTVM iam Baptizatum; quam ſolum columbæ deſcenſum alij tres Euangeliſtæ commemorârunt. At enim verò, cùm nullus Euangeliſtarum, nulliúſque Patrum vllo modo ſignificauerit, bis deſcẽdiſſe columbam ſuper CHRISTVM, ſed tantùm ſemel; ſatis apparet, id eſſe nouum, & proprium Caietani commentum. Adiice, quòd etiam ante CHRISTI aduentum ad Ioannem, multa de illo, & quidem præclara, & eximia teſtificatus fuerat Ioannes: ergo iam ipſi notus fuerat CHRISTVS priuſquàm ab eo Baptiſmum peteret.

Sexta ſententia. Toſtatus.

Matth. 3.

Septima ſententia. Caietanus.

An in baptiſmo Chriſti columba bis deſcẽderit ſuper ipſum.

Octaua ſententia eſt Ioannis Fabri, & Eraſmi: qui illud *Neſciebam eum*, putant eſſe dictũ pro eo quod eſt, Non habebam à DEO mandatum manifeſtandi eum hominibus; quod mandatum accepit Ioannes poſt illud ſignum columbæ ſuper CHRISTVM deſcendentis. Nec improbabilis videri debet hæc interpretatio, cùm conſimili locutione vſus CHRISTVS Dominus fuerit, cùm dixit ſe neſcire diem Iudicij, ſcilicet vt eũ manifeſtaret hominibus.

Octaua ſententia. Ioãnes Faber. Eraſmus.

Marc. 12.

Sed profectò, quidquid iſti dicant, nimis dura eſt interpretatio iſta, & magnus verborum ſcripturæ abuſus; ad quem nunquam confugere conuenit, niſi ſcripturæ veritas cogat. Nona ſententia eſt Ianſennij arbitrantis, Ioannem, ante viſum columbæ ſignum, certam habuiſſe cognitionem CHRISTI per interiorem DEI reuelationem. Neque enim Ioannes dixit, ſe non aliter cognouiſſe CHRISTVM, quàm ex ſigno columbæ; ſed tantùm dixit, ſibi notum fuiſſe CHRISTVM ex ſigno columbæ; cui non repugnat, quòd antea ipſi fuerit alio modo notus. Sanè, columbæ ſignum non tam Ioanni datum eſt, vt ipſe CHRISTVM cognoſceret; quàm quò ſuum de CHRISTO teſtimoniũ efficacius probaret, & perſuaderet Iudæis, tanto nempe miraculo confirmatum. Verùm, facit contra Ianſennium quod hoc loco Baptiſtam dixiſſe refert Euangeliſta: *Et ego*, inquit, *neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare, ille dixit mihi, ſuper quem videris.* Quibus verbis nec dubiè nec obſcurè ſignificatur ante viſum columbæ ſignum, Baptiſtæ CHRISTVM fuiſſe ignotum.

Nona ſententia. Ianſennius.

QVADRAGESIMA OCTAVA DISPVT.

Ponitur Authoris ſententia, ſuper eadem quæſtione, breuis explicatio.

EGO meam quoque lectori ſententiam indicabo; 181
quæ, quod mihi ſimilius vero ſit ſuper hac quæſtione, breuiter, & diſtinctè, expreſſeque declarabit. Equidem cenſeo, Ioannem non aliter cognouiſſe CHRISTVM, quàm ex ſigno colũbæ ſuper ipſum deſcendentis, & manentis; id enim videtur euidenter indicare verba ipſa Baptiſtæ, quæ refert hoc loco Euangeliſta, & ſuper quibus nos in præſentia diſputamus: cum aliis igitur omnibus, qui putârunt, aliunde CHRISTVM notum fuiſſe Ioanni quàm ex ſolo columbæ ſigno, nos diſſentimus. Verùm, Ioannes triplici modo cognouit CHRISTVM ex ſigno columbæ: primò quidem, indefinitè atque indiſtinctè. Quando enim DEVS miſit Ioannem ad manifeſtandum CHRISTVM Iudæis, quia cum Ioannes de facie

Decima ſententia, quæ eſt Authoris.

Ioãnes tribus modis cognouit Chriſtum ex ſigno columbæ.

facie nequaquam nouerat, dixit illi DEVS: ſuper quem videris, de iis quos baptizabis, deſcendentem columbam, ipſe eſt filius meus, & Meſſias, & ſaluator mundi, & ipſe baptizaturus eſt omnes in Spiritu ſancto, & futurus eſt Iudex omnium. Et hæc fuit prima cognitio CHRISTI, quam ex futuro columbæ ſigno habuit Ioannes: & ad huiuſmodi cognitionem pertinent illa Baptiſtæ verba quæ referuntur hoc loco: *Ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.*

182 Deinde, cùm CHRISTVS venit ad Ioannem, petens ab eo Baptiſmum, tum DEVS ei per interiorem reuelationem manifeſtauit, eum qui petebat ab ipſo Baptiſmum, eſſe illum, ſuper quem prædixerat ei deſcenſurum Spiritum ſanctum: quamobrem Ioannes tanti viri aſpectu, maximam animo ſuo reuerentiam & venerationem concipiens, ſumma erga illum ſubmiſſione dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Poſtremò, cùm Ioannes baptizauit CHRISTVM, & vidit Spiritum ſanctum, in ſpecie columbæ deſcendentem & manentem ſuper eum, tunc perfectè ipſum cognouit. Nec modò cognouit ipſe, verùm etiam per tale ſignum & miraculum potuit CHRISTVM maiori cum fide & auctoritate prædicare Iudæis, teſtificando quæ viderat & audierat, ex quibus manifeſtè cognouerat ipſum eſſe Meſſiam & ſaluatorē mundi. Patet igitur ex hac breui diſputatione noſtra, CHRISTVM non fuiſſe aliter notum Ioanni quàm ex ſigno columbæ, vel futuro, vel iam inſtanti, vel præſenti: & nihilominus tamen Ioannem nouiſſe CHRISTVM ante aduentum eius ad petendum ab ipſo *Matth. 3.*

183 Baptiſmum; quoniam futurum ſignum columbæ, ante Baptiſmum CHRISTI, cognouit à DEO Ioannes: & hinc apparet, nullam eſſe inter Ioannem & alios tres Euangeliſtas, ſuper hac re, narrationis diſſonantiam.

QVADRAGESIMA NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 42. Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

An hoc primùm tempore impoſitum Simoni fuerit nomen Petri?

Prima opinio. Caietanus.

CAIETANVS arbitratur, non hoc tempore, ſed 183
tunc fuiſſe impoſitum hoc nomen Petri, cùm CHRISTVS elegit duodecim Apoſtolos. Etenim Marcus cap. 3. ita ſcribit: ***Et impoſuit Simoni nomen Petrus.*** Lucas etiam cap. 5. Enumerans duodecim Apoſtolos ſic ait: ***Et Simon, quem cognominauit Petrum:*** Nec ſanè, (Caietanus inquit) hoc in loco dicitur, quòd CHRISTVS Simonem vocauerit Petrum; ſed id tantùm dicitur, CHRISTVM ei dixiſſe: ***Tu vocaberis Petrus***, quo ſignificatum eſt, id nomen poſtea ei fuiſſe imponendum. Alij opinantur, tunc primùm fuiſſe impoſitum Simoni nomen Petri, cùm Dominus ei dixit, ſicut refert Matthæus cap. 16. ***Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*** At enim, iſtis verbis magis ſignificatur, Simonem iampridem eo nomine appellari ſolitum: nam ex ſignificatione nominis quod gerebat, demonſtrare voluit Dominus eximium honorem, atque poteſtatem qua mirandum in modum decorandus, & extollendus ab ipſo erat.

Secunda opinio.

Eſt igitur multò probabilius quod ſenſit B. Auguſtinus, & ſcri- 184
ptum reliquit in libro ſecundo de conſenſu Euangeliſtarum cap. 17. & 53. & in libro quarto cap. 3. Nomen Petri fuiſſe inditum eo primùm tempore, quo narrat Ioannes hoc in loco. Illorum quippe Domini verborum: ***Tu vocaberis Petrus***, germana & propria hæc eſt ſententia: Tu poſthac appellaberis Petrus: non quòd nomine Simonis nunquam deinceps appellandus eſſet, ſed quòd vtrunque nomen eſſet habiturus, & denique, poſthabito Simonis nomine, Petri tantùm nomine appellari deberet. Nã etiã poſt reſurrectionẽ ſuam CHRISTVS eum appellauit Simonem, cùm ei dixit: ***Simon, diligis***

Tertia opinio. Auguſtinus.

diligis me plus his? Et ipſe Petrus, licèt initio prioris Epiſtolæ ſuæ appellet ſe tantùm Petrum; in principio tamen poſterioris Epiſtolæ nominat ſe Simonem Petrum: Paulus verò nuſquam vocat eum nomine Simonis, ſed Petri vel Cephæ, vt videre licet in nono & decimo quinto capite prioris Epiſtolæ ad Corinthios, & in primo & ſecundo capite Epiſtolæ ad Galatas. *Ioannis 21.*

Quòd autem in electione Apoſtolorum, impoſitionem nominis Petri commemorant Marcus & Lucas, non ideo eam narrant quaſi tunc primùm factam; ſed, vt ſæpe ſolent, quod ante factum erat, per figuram Recapitulationis tunc referunt; occaſione ſcilicet recenſendi nomina duodecim Apoſtolorum, & ne quis putaret, nomen Petri fuiſſe impoſitum ei ab initio, tanquam ipſe fuiſſet binominus. Cæterùm, illud hoc loco ſcire lectorem volumus, aliquando Deum impoſuiſſe nomen alicui etiam ante ortum eius, quo deinceps appellandus eſſet, vt nomen Iſaac Geneſ. 17. & ipſius Ioannis Baptiſtæ Luc. 1. & Domini noſtri nomen Iesv, Matthæi & Lucæ 1. Interdum vetus nomen interpoſitis vel adiectis litteris variâſſe, quod ad ſignificationem nominis attinet, vt in nomine Abraham, & Sara, Geneſis 17. Nonnunquam priori nomini adiecit alterum nomen, nouæ cuiuſdam dignitatis & excellentiæ ſignum, vt in Iacob, quem appellauit Iſraël, Geneſis 32. & in Simone, quem nominauit Petrum, vt narrat hoc loco Ioannes. Impoſuit præterea Devs nomen aliquibus, non quòd eo nomine eſſent appellandi, ſed vt per id nomen futura eorũ excellentia ſignificaretur: ſic Eſa. cap. 7. prædixit de Meſſia. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Et in cap. 9. illuſtriſſimũ de eodẽ vaticiniũ illud edidit: *Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius*, Devs *fortis, Pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Hac etiã ratione Iacobum & Ioannem fratres, vocauit Dominus (vt refert Marc. cap. 3.) Boanerges, id eſt, filios tonitrui. Quamquam B. Hieronymus ait, mendosè legi Boanerges: ſic enim ſcribit ſuper primum caput Danielis: Dominus in bonam partem nomina mutat antiqua, & ex rebus imponit virtutum vocabula; vt Abram appellaret Abraham, & Sarai vocaret Sara: in Euangelio quoque, quondam Simon, Petri nomen accepit; & filij Zebedæi appellati ſunt filij tonitrui: Quod non, vt plerique putant, Boanerges, ſed emendatiùs legitur Benereem. Sic Hieron.

Quàm variè Deus impoſuerit nomina hominibus.

Emendatio vocabuli Boanerges, ſecundum Hieronymum.

QVIN

QVINQVAGESIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER.47. Vidit IESVS Nathanaël venientem ad ſe, & dicit de eo, Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.

An fuerit Nathanaël ex numero duodecim Apoſtolorum: & an fuerit idem qui vocatus eſt alio nomine Bartolomæus?

EX ſupradictis diuinæ ſcripturæ verbis, & aliis quæ narrantur hoc loco de Nathanaële, ad magnam eius laudem pertinentibus, exiſtit quæſtio, à nobis minimè diſſimulanda, nec in præteritis relinquenda, an hic Nathanaël fuerit ex numero duodecim Apoſtolorum? negat præciſè Auguſtinus tractans hæc verba Ioannis de Nathanaële ſcripta; nec alia ratione ſententiam ſuam firmat, cur non fuerit à CHRISTO in Apoſtolorum numerum adſcitus, niſi ne dignitas Apoſtolatus, & Apoſtolicæ prædicationis fructus humanæ probitati, vel prudentiæ, vel ſcientiæ attribueretur. Quod etiam maximè comprobat illa Pauli in primo capite prioris Epiſtolæ ad Corinthios ſententia: *Videte vocationem veſtram, Fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit* DEVS, *vt confundat ſapientes: & infirma mundi, elegit* DEVS, *vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit* DEVS, *& ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Hic autem Nathanaël, & Domini teſtimonio, vir admodū probus, & moribus integer erat, & fuiſſe eum legis diuinæ peritum ex iis quæ hoc loco narrantur de eo, ſatis eluceſcit. In hanc fermè ſententiam Auguſtinus. 186

(Margin: Auguſtinus.)

Sed cum Auguſtino ſuper hoc diſſentiens Rupertus, opponit ei Paulum, qui fuerat vir valde prudens, & ſacrarum literarum egregiè doctus, vtpote quas, ad pedes Gamalielis doctiſſimi viri edoctus fuerat: nec tamen id obſtitit, quò minùs ad Apoſtolatum vocaretur, & inter primos Apoſtolos excelleret. Et in eo ipſo loco, quem pro ſua ſententia citat Auguſtinus, ſcribens Paulus, non 187

(Margin: Rupertus. Act.22. Auguſtinus.)

multos

multos primorum CHRISTI ſectatorum fuiſſe ſapientes, non negat fuiſſe aliquos, imò id potiùs ſignificat. Viſum itaque Ruperto eſt admodũ probabile, Nathanaëlem fuiſſe è numero duodecim Apoſtolorum, atque eum ipſum fuiſſe, qui ab aliis Euangeliſtis alio nomine appellatur Bartolomæus. Ruperti ſententiæ Ianſennius acceſſit. *Ianſennius.*

188 Verùm nos hanc iſtorum ſententiam diſcutiamus, rationes eorum diſtinctè ac ſingillatim commemorando, ſimúlque confutando. Prima eorum ratio eſt hæc: dignus fuit Nathanaël vt in Apoſtolatũ allegeretur, tum propter eximiam eius animi ſinceritatem teſtimonio CHRISTI tantopere laudatã: tum propter egregiam confeſſionẽ quam de CHRISTI excellentia fecit, nõ diſſimilem cõfeſſionis Petri; dixit enim Domino: *Rabbi, tu es Filius* DEI, *tu es Rex Iſraël.* Infirma eſt hæc ratio, non enim gratia & dignitas Apoſtolatus datur propter virtutes vel bona merita hominum; ſicut nec denegatur propter peccata & peſſima hominum merita; vt apertè licet cernere in Iuda, qui vocatus eſt ad Apoſtolatum, & in Saulo, qui poſtea dictus eſt Paulus. Secunda ratio; Ioannes Euangeliſta alios omnes Apoſtolos in ſuo Euangelio ſparſim nominat, præter vnum Bartolomæum; veriſimile igitur eſt, eum deſignâſſe nomine Nathanaëlis. Falſum eſt quod ſumitur in hac ratione: nam nec Iacobum Alphæi, nec Simonem Chananæum, ſeu Zelotem vſpiam nominauit. Tertia ratio: Alij Euangeliſtæ recenſentes numerum duodecim Apoſtolorum, ſemper Philippo proximè adiungunt Bartolomæum; ſignificantes vtique magnam aliquam inter eos ſocietatis & familiaritatis fuiſſe cõiunctionem; qualẽ nimirum fuiſſe inter Philippũ & Nathanaëlem ſatis oſtendit hoc loco Ioannes Euangeliſta. Et leuis admodum eſt coniectura hæc, eáque falſo nititur fundamento: ſiquidem liceret idem exiſtimare de Matthæo & Thoma, qui in enumeratione Apoſtolorum proximè conſociantur: & in Actis Apoſtolorum, capite primo vbi enumerantur Apoſtoli, Philippus & Bartolomæus diſſociãtur, & poſt Philippum proximè nominatur Thomas. Quarta ratio: nomen Bartolomæi non videtur nomen proprium ſed commune, ſignificans filium Tolomæi, ſicut non erat nomen proprium Petri, Barjona. Cùm igitur alij tres Euangeliſtæ appel-

Diſcutitur opinio Ruperti & Ianſennij aientium, Nathanaëlem fuiſſe Apoſtolum qui alio nomine dictus eſt Bartolomæus.

 laſſent

laſſent eum nomine communi Bartolomæum; Ioannes voluit eum, nomine proprio ſemper appellare Nathanaëlem. Sed enim, iſti ſumunt pro certo, quod probari ab ipſis deberet, nomen ſcilicet Bartolomæi non fuiſſe nomen proprium; id enim ex partium eius nominis ſignificatione argumentari, futile eſt: iſta enim ratione nec Barſabas, nec Barnabas, nec Barrabas, fuiſſent nomina propria: nec ſanè, Tolomæus, eſt nomen vel Hebræum, vel Syriacum, ſed Ægyptiacum, vel potiùs Græcum. Quinta ratio: Ioannes in capite vltimo ſui Euangelij, inter Apoſtolos quibus apparuit CHRISTVS poſt ſuam reſurrectionẽ, nominat & numerat Nathanaëlem, quaſi etiam ipſum CHRISTI Apoſtolum. Verùm hæc ratio, nihilo quàm ſuperiores firmior & probabilior eſt. CHRISTVS enim poſt Reſurrectionem non Apoſtolis tantùm apparuit, ſed aliis etiam diſcipulis, vt duobus illis euntibus in caſtellum Emmaus. Quinetiam complures alij, præter Apoſtolos, ab initio prædicationis CHRISTI ſecuti eum fuerunt, ex quibus videlicet vnum aliquem ad Apoſtolatum, in locum prævaricatoris Iudæ, Petrus cenſuit eſſe deligendum. Confirmatur hoc ipſum illis Pauli verbis quæ ſunt in capite decimo quinto prioris Epiſtolæ ad Corinthios: CHRISTVS *reſurrexit tertia die, ſecundùm ſcripturas: & viſus eſt Cephæ, & poſt hoc, vndecim. Deinde viſus eſt pluſquàm quingentis fratribus ſimul; ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt.* Satis igitur apparet ex hac noſtra diſputatione, ſupra dictam Ruperti & Ianſennij de Nathanaële ſententiam, parum eſſe firmam, miniméque probabilem.

Lucæ 24.

Actorum 1.

QVINQVAGESIMA PRIMA DISPVTATIO.

Exponitur Auctoris ſententia, Nathanaëlem nec fuiſſe Bartolomæum, nec fuiſſe ex numero Apoſtolorum CHRISTI.

MVLTÒ itaque probabilius eſt atque credibilius, 189
non fuiſſe Nathanaëlem ex numero Apoſtolorum CHRISTI: idque his argumentis probari poteſt. Primò, cùm in Sacra ſcriptura noui Teſtamenti quatuor in locis ponatur integer cathalogus Apoſtolorum

ſtolorum CHRISTI,apud Matthæum capite decimo,apud Marcum capite tertio, apud Lucam capite ſexto, & apud eundem in capite primo libri de Actis Apoſtolorum, in nullo iſtorum locorum Nathanaël in Apoſtolorum numero recenſetur. Nec probabiliter ad hoc reſponderi poteſt, eum fuiſſe binominum, vt & Nathanaël, & Bartolomæus nominaretur, & in cathalogo Apoſtolorum poſitum eum eſſe ſub nomine Bartolomæi non autem Nathanaëlis. Si enim ita fuiſſet, id profectò ſignificâſſent alicubi Euangeliſtæ,ne diuerſitas eorum nominum,errorem faceret lectori,diuerſos fuiſſe homines fortaſſe opinaturo. Hoc enim ipſi fecerunt in aliis quibuſdam Apoſtolis,vt in Thoma,qui etiam vocabatur Didymus; & in Matthæo qui dicebatur Leui; & in Simone cui etiam nomen fuit,Zelotes & Chananæus; deniq; in Thaddæo,qui etiam Iudas Iacobi nuncupabatur. Deinde, ſi,vt iſti aiunt, nomen Bartolomæi,erat nomen cõmune, nomen autem Nathanaëlis erat nomen proprium; cur alij tres Euangeliſtæ ſemper eũ appellârunt nomine cõmuni Bartolomæum, & ne ſemel quidem proprio eum nomine vocârunt Nathanaëlem,cùm magis nomen proprium notificet hominem, quàm commune? Ad hæc,cur Ioannes Euangeliſta,ſicut infrà in capite vigeſimo nominans Thomam, qui erat binominus, continuò adiecit illa verba: *Qui dicebatur Didymus*.Cur, inquam,non itidem,nominans Nathanaëlem,ſaltem vel ſemel adiunxit:(Qui dicebatur Bartolomæus.) Adiice,quòd Ioãnes nouiſſimus omnium Euangelium ſcripſit,euulgatis iampridem aliorum trium Euangeliis:in quibus ipſe viderat hunc, de quo nunc loquimur,ſemper ab illis appellatum eſſe Bartolomæum: Aut igitur,ne lectori occaſionem errandi præberet, eodem illum nomine appellare debebat:aut,ſi libuit potiùs eum nomine Nathanaëlem,debebat certè alterius etiam nominis meminiſſe,vt eum fuiſſe binominum oſtenderet. Ergo, ex iis quæ dicta ſunt ſatis eſt manifeſtum, iſtum Nathanaëlem nec fuiſſe Bartolomæum,nec de numero fuiſſe Apoſtolorum.

An verò is fuerit ex numero illorum duorum & ſeptuaginta diſcipulorum CHRISTI,mihi quidem certè incompertum eſt:nam etſi quidam id opinati ſunt, ſine vllo tamen probabili argumento, vel coniectura.Ego nullum de iſta re (quod equidem meminerim) *An fuerit Nathanaël ex ſeptuaginta duobus Christi diſcipulis.*

verbum legi apud Clementem Alexandrinum, vel Euſebium, vel Epiphanium, vel Hieronymum, vel Nicephorum, vel demum apud copioſiſſimum & diligentiſſimum Hiſtoriæ & Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſcriptorem Cardinalem Baronium. Dorotheus certè in Synopſi, vbi de ſeptuaginta duobus diſcipulis CHRISTI agit, inter eos, hunc Nathanaëlem minimè recenſet.

Dorotheus.

QVINQVAGESIMA SECVNDA DISPVT.

Super hiſtoria Andreæ & Petri, qui ſecuti ſunt CHRISTVM; *quæ narratur à Ioanne in poſteriori parte huius primi capitis.*

QVATVOR in locis Euangelicæ Hiſtoriæ legimus, 191
Andream & Petrũ ſecutos eſſe CHRISTVM: apud Ioannem hoc in loco verſu trigeſimo ſeptimo & ſequentibus: apud Matthæum cap. 4. apud Marcum cap. 1. apud Lucam cap. 5. Dubium igitur & controuerſum inter Doctores eſt, an in iſtis locis vna & eadem deſcribatur Andreæ & Petri ſequela CHRISTI, an verò diuerſæ, id autem eſt, vel quatuor, vel tres, vel ſaltem duæ. In hac porrò quæſtione ſunt quædam extra controuerſiam, nempe omnium conceſſu certa: horum vnũ eſt, Andreæ & Petri ſequelam CHRISTI, quam Matthæus & Marcus ſcripſerunt, eſſe prorſus eandẽ; omnino enim congruit locus, tempus, & modus ſequelæ iſtorum duorum, iiſdem non ſententiis modò, ſed verbis etiam ab vtroq; Euangeliſta narrata. De illo etiam conſentitur, acceſſum Petri & Andreæ ad CHRISTVM quem hoc loco exponit Ioannes, fuiſſe diuerſum, ac tempore priorem vocatione iſtorum quam Matthæus & Marcus deſcripſerunt. Siquidem hæc facta eſt in Galilæa iuxta mare Tyberiadis; ille verò fuit in Iudæa iuxta Iordanem: hæc facta eſt, Ioanne Baptiſta iam in carcerem coniecto; ille, Ioãne adhuc baptizante: in hac vterque Apoſtolus à CHRISTO vocatus eſt in illo, Andreas vltro CHRISTVM ſequutus eſt, & fratrem ſuum Petrum adduxit ad CHRISTVM: in illo denique memoratur vocatio Philippi; in hac verò nulla Philippi fit mentio, ſed Iacobi & Ioannis vocatio commemoratur. Omnis igitur controuerſia in eo vno vertitur,

titur, An vocatio Petri & Andreæ quam narrăt Matthæus & Marcus, eadem ſit, atque ea quam refert Lucas, an verò diuerſa?

Beatus Auguſtinus in lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 17. & Lyranus ſuper caput quartum Matthæi, vocationes iſtas fuiſſe diuerſas, his probant argumentis. Primò, ſecundùm Matthæum CHRISTVS inuenit illos piſcantes; at ſecundùm Lucam, inuenit eos lauantes retia ſua. Deinde, ſecundùm Matthæum Petro ſimul & Andreæ CHRISTVS dixit: *Faciam vos fieri piſcatores hominum:* at ſecundùm Lucam ſoli Petro dixit: *Ex hoc iam eris homines capiens.* Præterea, ſecundùm Matthæum illi ſecuti ſunt CHRISTVM, ab ipſo prius vocati: ſecundùm autĕ Lucam, vltrò & ſpŏte ſua CHRISTVM ſequuti ſunt, miraculo ſcilicet capturæ piſcium permoti. Poſtremò, Lucas facit CHRISTVM ex naui Petri prædicantem turbis, memoràtque inſigne miraculum eius in captura piſcium, atque alia quædam narrat quorum nihil à Matthæo ſcriptum eſt. *Auguſtini & Lyrani ſententia de vocatione Petri & Andreæ.*

Putant igitur Auctores iſti, Petrŭ & Andream ter fuiſſe, diuerſis temporibus, CHRISTVM ſequutos: Primùm quidĕ, ad capeſſendam eius notitiam, & hoc narrare Ioannem in extrema parte primi capitis Euangelij ſui: deinde, ad ineundă cum ipſo conſuetudinem & familiaritatem; tunc nimirum, cùm ea contigerunt, quæ ſcribit Lucas in cap. 5. Poſtremùm verò, ad perfectum CHRISTI diſcipulatum, perpetuámq; eius ſequelam, nĕpe renunciando omnibus quæ habebant, firmóq; propoſito non vltra reuertendi ad ſua, & de hac vltima eorum ſequela CHRISTI ſcripſit Matthæus in cap. 4.

Toſtatus ſuper quartŭ caput Matthæi in quæſtione nonageſima ſexta ait, Lucam in cap. 5. duas Petri & Andreæ vocationes, vna complexum eſſe narratione: priorem quidem latiùs explicans, quæ diuerſa fuit ab ea quam Matthæus & Marcus deſcripſerunt: poſteriorem verò ſtrictim attingens, quaſi iam à Matthæo & Marco expoſitam, eius tantùm concluſionem commemorans, quæ tangitur illis verbis: *Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.* Sic Toſtatus. At enim, iſta ipſa quam dicit Toſtatus, concluſio, vſque adeò cohæret, & connexa eſt cum cęterum præcedĕtium narratione, vt planè vnius vocationis hiſtoria cŏtinuari videatur. Illud enim: *ſubductis ad terram nauibus.* & illud: *Relictis omnibus ſecuti ſunt eum,* conſideranti narrationem Lucæ liquet, tunc eſſe factum, cùm *Toſtati ſententia.*

ea contigerunt quæ idem proximè antè narrauerat.

Ianſennij ſententia, quæ videtur Auctori probabilior. Mihi profectò videtur probabilior eſſe Ianſennij ſententia, vocationem Petri & Andreæ à Luca, & à Matthæo, Marcoque deſcriptam, prorſus eandem eſſe: licèt Matthæus qui prior ſcripſit, ea quæ pertinebant ad ipſam vocationem perſtrinxerit, omiſſis aliis quæ vocationi adiuncta fuerant. Lucas verò, qui poſt Matthæum ſcripſit Euangelium, prætermiſſis quæ ab eo narrata fuerant, prodere voluit memoriæ plures illius vocationis circumſtantias, à Matthæo prætermiſſas: quæ, propter miraculum capturæ piſcium, & alia quædam valde notabilia tunc facta & dicta, erant inprimis memoratu, & cognitu dignæ. Ac, niſi ego fallor, hoc ipſum ſenſit Epiphanius; vt licet ex iis cognoſcere, quæ in diſputatione quam fecit contra Hæreſin quinquageſimam primam, ſcripta reliquit. 195

Epiphanius.

Hanc porrò ſententiam, eſſe probabiliorem opinione Auguſtini & Lyrani, ex eo apparet, quòd illi putant, poſt vocationem quam narrat Lucas, Petrum & Andream diſceſſiſſe à CHRISTO, & ad ſua reuerſos eſſe: quod euidenter tamen excludit Lucas, cùm ait: *Relictis omnibus ſecuti ſunt eum*; idē namq; de ipſis narrat Matthæus & Marcus, qui ſecundùm iſtos Auctores, vltimam eorum vocationem deſcripſerunt. Nimirū, ſi illud: *Relictis omnibus ſequuti ſunt eum*, non arguit, illam eorū vocationem fuiſſe vltimam, neq; id arguet apud Matthæum: vnde enim ſciemus, vocationem eorum cōmemoratam à Matthæo, fuiſſe vltimam, niſi ex iſtis ipſis verbis? Nam quod Auguſtinus ait, vocationē eorum narratam à Luca nō fuiſſe vltimam, nec tunc eos ſecutos eſſe CHRISTVM, conſilio & propoſito remanendi apud ipſum, ex eo conijci, quod Lucas dixit, eos ſubduxiſſe à terra naues, quaſi animo reuertendi ad ſua, poſtquàm CHRISTVM honoris & reuerentiæ causâ vel domum, vel aliquò vſq; comitati fuiſſent: hæc, inquam Auguſtini coniectura, non eſt admodum firma. Siquidem illi non appulerunt naues ad littus, conſilio & propoſito redeundi ad piſcandum; ſed, quia cùm eſſent in naui, non aliter poterant, niſi appulſis ad terram nauibus, exire: niſi fortè deieciſſent ſe in mare, vt natando in terram euaderent. 196

CAPVT.

CAPVT SECVNDVM
EVANGELII IOANNIS.

ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana VERS. 1.
Galilææ: & erat Mater IESV ibi.
* Vocatus eſt autem & IESVS, & 2
Diſcipuli eius ad nuptias.* Et defi- 3
ciente vino, dicit Mater IESV ad
eum: vinum non habent. * Et dicit 4
ei IESVS: Quid mihi, & tibi eſt mu-
lier? nondum venit hora mea.* Di- 5
cit Mater eius miniſtris: Quodcunq; dixerit vobis, facite.* Erant 6
autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundùm purificationem Iu-
dæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.* Dixit eis 7
IESVS: implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad
ſummum.* Et dicit eis IESVS: Haurite nunc, & ferte archi- 8
triclino. Et tulerunt.* Vt autem guſtauit architriclinus aquam 9
vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſcie-
bant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus, * & 10
dicit ei: omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm ine-
briati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bo-
num vinum vſque adhuc.* Hoc fecit initium ſignorum IESVS 11
in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt
in eum Diſcipuli eius.* Poſthac deſcendit Capharnaum ipſe, & 12
mater eius, & fratres eius, & Diſcipuli eius: & ibi manſerunt

non

13 *non multis diebus.* * *Et propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit*
14 IESVS *Ieroſolymam:* * *Et inuenit in templo vendentes boues,*
15 *& oues, & columbas, & numularios ſedentes.* * *Et cùm feciſſet*
quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque,
16 *& boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit.* * *Et*
his qui columbas vendebant dixit: Auferte iſta hinc, & nolite
17 *facere domum* PATRIS *mei, domum negociationis.* * *Recordati*
verò ſunt Diſcipuli eius quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ co-
18 *medit me.* * *Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerũt ei: Quod ſignum*
19 *oſtendis nobis, quia hæc facis.* * *Reſpondit* IESVS, *& dixit eis:*
20 *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* * *Dixe-*
runt ergò Iudæi, quadraginta & ſex annis ædificatum eſt tem-
21 *plum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud.* * *Ille autem di-*
22 *cebat de templo corporis ſui.* * *Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis,*
recordati ſunt Diſcipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt
23 *ſcripturæ, & ſermoni quem dixit* IESVS. * *Cùm autem eſſet Ie-*
roſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius,
24 *videntes ſigna eius, quæ faciebat.* * *Ipſe autem* IESVS *non*
25 *credebat ſemet ipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes,* * *&*
quia opus ei non erat vt quis teſtimonium
perhiberet de homine: ipſe enim
ſciebat quid eſſet in
homine.

IN

IN CAPVT SECVNDVM DISPVTATIONES SEXDECIM.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et tertia die nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. VERS. 1.

Reſpectu cuius temporis, illa dies nuptiarum dicatur tertia?

ILLA coniunctio *Et*, auctore Ruperto denotat, quod narratur in hoc ſecundo capite, id proximè poſt ea quæ in extremo capite primo commemorata ſunt, contigiſſe. Sed ex ſupradictis verbis exiſtit quæſtio, reſpectu cuius temporis, illa dies nuptiarum dicatur fuiſſe tertia dies. *Prima ſententia.* Faber in ſuis annotationibus ait, dici tertiam diem reſpectu Sabbathi quod proximè anteceſſerat. *Faber.* Verùm, nec vlla Sabbathi fuerat mentio facta; & Ioannes, ſecundùm conſuetudinem loquendi Sacræ ſcripturæ, dixiſſet (tertia Sabbathi.) Euthymius arbitratur denominari tertiam diem ab eo tempore, quo CHRISTVS relicto deſerto regreſſus eſt in Galilæam. *Secunda ſententia. Euthymius.* Sic ille. Et in narratione quidem præcedentis capitis nõ obſcurè notantur tres dies poſt illum CHRISTI regreſſum tranſacti ante diem nuptiarum: Primus quidem dies in verſu vigeſimo nono in illis verbis: *Altera*

die vidit Ioannes IESVM *venientem ad ſe,&c.* Secunda dies in verſu trigeſimo quinto illis verbis: *Altera die iterum ſtabat Ioannes &c.* Tertia dies in verſu quadrageſimo tertio ſignificatur illis verbis: *In craſtinum voluit* IESVS *exire in Galilæam, & inuenit Philippum.* Sed incertum eſt, an illi tres dies fuerint continui: quin etiam fuiſſe eos, vel omnes, vel aliquos aliquanto temporis interuallo inter ſe diſiunctos, probabilius eſt.

Tertia ſententia. Epiphanius. Rupertus. S.Thomas. Ianſennius.

Epiphanius contra Hæreſin quinquageſimam primam, Rupertus, B. Thomas, & Ianſennius hanc tertiam diem denominant ab ea die quà Andreas & alius diſcipulus, permoti Ioannis Baptiſtæ verbis, ſecuti ſunt CHRISTVM: poſtridie autem CHRISTVS vocauit Philippum; & tertia die venit ad nuptias. Sed contra hoc illud videtur eſſe, ſi nuptiæ factæ ſunt poſtridie vocationis Philippi, cur Euangeliſta dixit, *tertia die*, & non potiùs, *In craſtinum*: ſicut dixerat de die qua vocatus eſt Philippus? Nec veriſimile eſt, eodem die quo Andreas ſecutus eſt CHRISTVM, adduxiſſe fratrem ſuum Simonē ad eum: cùm enim ſecutus eſt CHRISTVM, erat iam, vt narrat Euangeliſta, hora decima, id autem eſt ſecundùm morem Iudæorum, duabus horis ante noctem. Nimirum, credibile eſt, manſiſſe Andreā tota illa nocte apud CHRISTVM: videlicet, ſic ab eo tunc edoctus fuerat, vt pro certo crederet, ipſum eſſe Meſſiam. Et hæc ipſa eſt B. Auguſtini ſuper hoc loco ſententia. Caietanus tertiam iſtam diem nuptiarum deducit ab ea die, qua Nathanaël venit ad CHRISTVM, hoc enim proximè anteceſſerat; vnde putandum eſt, Ioannem proximè ſequens tempus denominare voluiſſe. Sed illud opinioni obſtat Caietani, quòd, tempus illud quo Nathanaël venit ad CHRISTVM, à Ioanne non eſt ſignatè notatum; veriſimile autem eſt, tertiam illam diem nuptiarum denominari ab aliquo tempore priùs deſignato. 2

Quarta ſententia. Caietanus.

Quinta ſententia, quæ eſt Origenis, & cui Auctor ipſe adſtipulatur.

Origenes ſuper hoc loco cenſet, tertiam diem nuptiarum denominari à tempore proximè antè ſignato in præcedenti capite: hoc autem fuit dies egreſſionis CHRISTI in Galilæam & vocationis Philippi. An verò Nathanaël iſto ipſo die venerit ad CHRISTVM, incertum eſt: fortaſſe poſtridie iſtius diei CHRISTVS venit in Cana Galilææ, & illuc venit ad ipſum Nathanaël, tertio autem die factæ ſunt nuptiæ. Et hæc quidem opinatio atque coniectatio 3

iectatio mihi quidem magis, quàm ſuperiores ſententiæ, probatur.

4 Nec vacat myſterio (ſi quis præter hiſtoricum ſenſum, etiam ſpiritualem requirat intelligentiam) nuptias iſtas eſſe factas tertia die: ſignificantur enim tria mundi tempora: tempus naturæ; tempus legis Moſaicæ; & tempus legis Euangelicæ: & in hoc tertio die ſiue tempore Filius DEI venit in mundum, nuptias cum natura humana, vel cum Eccleſia facturus: cui myſterio congruit etiam locus ipſe qui dicitur Cana Galilææ, ſi notionem vocum excutias: & has nuptias ſignificauit illa Domini parabola, quam refert Matthæus cap.22. de homine rege qui fecit nuptias filio ſuo. Præterea, in Sacra ſcriptura, dies figuratè ſignificat cognitionem, & interdum etiam virtutem, & gratiam; ſicut contrà, nox ſignificat ignorantiam, & peccatum. Hominis autem cognitio triplex eſt; Prima, ſenſitiua; ſecunda, intellectiua, ſed naturalis vel humana; tertia, ſupernaturalis & diuina, per fidem ſcilicet & donum ſapientiæ, & hi ſunt tres dies cognitionis humanæ. Virtus quoque hominis triplex eſt; Prima, eſt virtus naturalis; ſecunda, eſt virtus moralis; tertia, eſt virtus ſupernaturalis & infuſa, vt virtus charitatis, & aliæ virtutes infuſæ, & hi ſunt tres dies virtutum hominis. Homo itaque ſpirituales cum DEO nuptias facit in tertia die, hoc eſt, per cognitionem tertij gradus quæ eſt per fidem & ſapientiam: & per virtutem tertij gradus, hoc eſt, per virtutem charitatis. Ad hæc, in ipſo Matrimonio tres notantur dies ſiue tempora: Primus dies fuit in exordio mundi, ante peccatum, & in ſtatu innocentiæ; tunc enim primum à DEO inſtitutum eſt Matrimonium in officium naturæ, ad ſpeciem humanæ naturæ propagandam, & perpetuandam vſque ad finem mundi. Secunda dies Matrimonij, fuit tempus poſt Adæ peccatum vſque ad CHRISTI aduentum & legem Euangelicam; in quo Matrimonium non modò fuit in officium naturæ, verùm etiam in remedium concupiſcentiæ. Tertia dies Matrimonij fuit poſt CHRISTI aduentum, & in lege Euangelica; hoc tempore Matrimonium non tantùm fuit in officium naturæ & in remedium concupiſcentiæ, ſed etiã in ſanctificationem coniugij: factum eſt enim Sacramentum dans gratiam, magnúmq; continens myſterium, ſignificationem dico coniunctionis CHRISTI cum Eccleſia: ſic enim interpretatus eſt Paulus in cap.5. Epi-

Myſtica interpretatio tertia diei illarũ nuptiarum.

ſtolæ ad Epheſios, vbi loquens de Matrimonio ita ſcribit: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico, in* CHRISTO *& in Eccleſia.*

SECVNDA DISPVTATIO.

An eodem ipſo die quo factæ ſunt iſtæ nuptiæ, ſed in anno proximè antecedenti, CHRISTVS *baptizatus fuerit?*

NON leuis eſt quæſtio, nec facilem habens explicatum, An iſtæ nuptiæ factæ ſint eodem ipſo die, ſed in diuerſo anno, quo CHRISTVS Dominus baptizatus fuerat? Eſt autem Dominus baptizatus ſexto die Ianuarij, tredecim ſcilicet diebus poſtquàm expleuerat vigeſimum nonum ætatis annum. Quæritur itaque, an in proximè ſequenti anno, eodem illo die factæ ſint iſtæ nuptiæ, ita vt tunc Dominus iam expleuiſſet trigeſimum annum, ſuperque dies tredecim. Epiphanius diſputans contra Hæreſin quinquageſimam primam, ait, CHRISTVM eſſe natum die ſexto Ianuarij; baptizatum verò eſſe octauo die Nouembris, exacto iam anno vigeſimo nono, & inſuper decem menſibus: duobus autem menſibus pòſt, qui explendo trigeſimo anno deerant, die videlicet ſexto Ianuarij qua natus fuerat, has nuptias eſſe celebratas. Sed ego miſſam in præſentia faciam opinionem iſtam Epiphanij, vtpote ab antiquiſſima Eccleſiæ traditione, communique ſenſu ac perſuaſione populi Chriſtiani planè diſcrepantẽ. CHRISTVM enim Dominum eſſe natum in vigeſimo quinto die Decembris, & antiquiſſima conſtat traditione, & in animis, ſenſibuſque omnium fidelium penitus infixum eſt. 5

Prima ſententia, quæ eſt Epiphanij.

Secunda ſentẽtia, quæ permultis placet.

Eſt igitur altera ſententia permultis probata, & peruulgata, in eodem ipſo die ſexto Ianuarij, in diuerſis tamen annis, tria illa celeberrima contigiſſe myſteria: nam eo die CHRISTVM infantem à Magis fuiſſe adoratum: & viginti nouem annis pòſt, fuiſſe baptizatum in Iordane à Ioanne Baptiſta: & vno anno poſt Baptiſmum, interfuiſſe iſtis nuptiis, & mutâſſe aquam in vinum. Hoc 6

tradit

tradit Sanctus Bernardus in ſermone primo & ſecundo de Epiphania, & B. Thomas, & vt dixi, complures alij. Et in hanc quidem ſententiam inclinâſſe videtur Sancta Eccleſia: ea quippe in Antiphona quam canit in ſecundis veſperis Feſti Epiphaniæ, ait, Tribus miraculis ornatum diem Sanctum colimus: hodie Magos ſtella duxit ad præſepium: hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias: hodie CHRISTVS in Iordane à Ioanne Baptizari voluit. *Bernardus.* *Thomas.*

7 Quamquam B. Auguſtinus in ſermone trigeſimo ſeptimo de tempore, qui eſt ſermo ſecundus de Dominica infra octauam Epiphaniæ, & B. Maximus, & Euſebius Emiſſenus in ſuis Homiliis de feſto Epiphaniæ, & Iſidorus de officiis Eccleſiaſticis, vbi agit de feſto Epiphaniæ, tanquam dubium atque incertum tradunt, quodnam illorum trium myſteriorum in hoc ſexto die Ianuarij factum ſit. Ponam hîc Auguſtini verba: licèt, inquit, de ſolemnitate huius diei, veterum ſit diuerſa traditio, vna tamen ſanctæ deuotionis eſt fides. Nam quamuis nonnulli CHRISTVM hoc die ſtella duce à Magis exiſtiment adoratum: alij verò aſſerant, eum aquam in vinum vertiſſe in nuptiis: quidam verò baptizatum eſſe à Ioanne confirment: in omnibus tamen DEI Filius creditur, in omnibus eſt vera ſolennitas. hæc Auguſtinus. B. autem Maximus ad eandem ſententiam ita ſcribit: In hac celebritate, ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, multiplici nobis eſt feſtiuitate lætandum. Ferunt enim, CHRISTVM hodie vel ſtella duce à gentibus adoratum; vel inuitatum ad nuptias, aquam vertiſſe in vinum; vel ſuſcepto à Ioanne Baptiſmate, Iordanis fluenta conſecrâſſe. Sed quid horum præſenti hoc die potiſſimùm ſit factum, nouit ipſe qui fecit. *Auguſtinus.* *Maximus.* *Euſebius.* *Emiſſenus.* *Iſidorus.*

8 Nec iſti ſententiæ ſuffragari videtur ſancta Eccleſia in ſupradicta illa antiphona dicens, *Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium, &c.* nam illud *hodie* non refertur ad tempus rei geſtæ, quaſi ſenſus ſit, eo die tria illa myſteria eſſe facta: ſed refertur ad commemorationem & celebrationem eorum trium myſteriorum eo die fieri ſolitam, vt ſit eorum verborum hic ſenſus: Hodie colitur & celebratur cõmemoratio iſtorũ trium myſteriorũ. Hac nimirum ratione interpretari oportet, quod eadem ſancta Eccleſia canit in Feſto Reſurrectionis, & Aſcenſionis CHRISTI, & in Feſto Pentecoſtę

partim in Miſſa, partim in officio Eccleſiaſtico eorum feſtorum dicens, eo die CHRISTVM reſurrexiſſe à mortuis, & aſcendiſſe in cœlum, & miſſum eſſe Spiritum ſanctum: quia eo die à Sancta Eccleſia fit cōmemoratio & celebratio Reſurrectionis, & Aſcenſionis CHRISTI, & miſſionis Spiritus ſancti: alioqui, rarò euenit vt celebratio Paſchatis & Pentecoſte incidat in eum ipſum diem, quo reuera CHRISTVS reſurrexit à mortuis, vel aſcendit in cœlum, vel miſit Spiritum ſanctum.

Tertia ſententia. Eſt tertia ſententia, quæ non paucis viris doctis ſatis viſa eſt 9 probabilis: nuptias illas non eſſe factas in ſexto die Ianuarij, quo die baptizatus fuerat CHRISTVS, vt factæ ſint vno anno poſt Baptiſmum: ſed factas eſſe iſtas nuptias duobus circiter menſibus tantùm poſt ſuſceptum à CHRISTO Baptiſmum; ante primum videlicet illud Paſcha, quod commemorat Ioannes in hoc capite ſecundo. Quòd autem illæ nuptiæ non ſint factæ vno anno poſt CHRISTI Baptiſmum, ita argumentantur: B. Petrus in primo capite libri de Actis Apoſtolorum dixit, in locum Iudæ præuaricatoris, eligi oportere ad Apoſtolatum, vnum aliquem ex illis CHRISTI diſcipulis qui fuerant cum eo à baptiſmo Ioannis, vſque ad diem Aſſumptionis eius ad cœlum: id autem eſt, ab initio prædicationis CHRISTI vſque ad tempus Aſcenſionis eius in cœlum. Ex narratione autem Ioannis in poſteriori parte primi capitis, & in hoc ſecundo capite, ſatis liquet, CHRISTVM, paulò ante illas nuptias cœpiſſe habere diſcipulos: ergo nuptiæ illæ non vno anno poſt Baptiſmum CHRISTI factæ ſunt: cùm tamen Petrus ſupradictis verbis indicet, CHRISTVM, ſtatim poſt Baptiſmum ſuum quem à Ioanne accepit, diſcipulos habere cœpiſſe. Deinde, omne prædicationis CHRISTI tempus Patres tribus annis, & aliquot præterea menſibus definierunt: CHRISTVS autem prædicare orſus eſt poſt nuptias; quæ, ſi vno anno póſt Baptiſmum factæ ſunt, non niſi duo anni aſſignari poſſent prædicationi CHRISTI; quia ipſe baptizatus eſt initio trigeſimi anni ætatis ſuæ, nuptiæ autem, ſecundùm iſtos factæ fuiſſent initio trigeſimi primi anni; mortuus autem eſt inchoato tantùm trigeſimo tertio anno: ergo, paulò amplius duobus annis in prædicatione eius conſumptum fuiſſet. Niſi fortè CHRISTI ætas extendatur vſque ad

trige

trigeſimum quartum annum, quod nolunt tamen iſtius ſententiæ probatores atque ſectatores. Placet mihi hæc tertia ſententia: nec diſplicet tamen ſecunda ſentẽtia, quam ſuprà dixi eſſe Sancti Bernardi & B.Thomæ, aliorúmq; complurium. Quemadmodum verò argumenta, quibus ſecunda illa ſententia oppugnatur, diſſolui queant, copioſè à nobis oſtenſum eſt in libro vndecimo Commentariorum noſtrorum in Danielem, in explicatione ſeptimæ quæſtionis, quæ eſt de tempore mortis CHRISTI Domini.

TERTIA DISPVTATIO.

An in illis nuptiis ſponſus fuerit Ioannes, qui hoc Euangelium, & in eo hiſtoriam harum nuptiarum ſcripſit?

10 BEDA in Præfatione Commentariorum ſuorum in Euangelium Ioannis, harum nuptiarum ſponſum facit Ioannem, quem CHRISTVS à nuptiis auocando, præſeruauit eius virginitatem. Idem ſenſiſſe videtur B.Thomas, in ſecunda ſecundæ, quæſtione centeſima octuageſima ſexta, articulo quarto, in reſponſione ad primum, hæc ſcribens: CHRISTVS Petrum, quem inuenit matrimonio iunctum, non ſeparauit ab vxore: Ioannem tamen volentem nubere, à nuptiis reuocauit. Caietanus etiam ſuper hoc loco ſponſum facit Ioannem; & quia Ioannes, inquit, erat conſanguineus CHRISTI & nepos B.MARIÆ, idcirco ad eas nuptias vocatus eſt IESVS, & Beatiſſima Virgo MARIA. Syluester in quæſtionibus ſuper Euangelia, in quæſtione decima ſeptima hanc ipſam probat ſententiam auctoritate Alberti Magni. Rupertus ait, iſtam eſſe cõmunem Doctorum ſententiã. Lyranus ſcribit, ex hoc loco Doctores Theologos argumẽtari, Matrimonium ratũ & non conſummatum dirimi poſſe per alterius coniugum ingreſſum in Religionem. Hiſtoria Scholaſtica ſuper Hiſtoria Euangelica, in capite trigeſimo octauo tradit, hanc ſententiam probatam eſſe multis; ſed eam tamen negat eſſe certam.

Beda. B.Thomas. Caietanus. Sylueſter. Albertus Magnus. Rupertus. Lyranus. Hiſtoria Scholaſtica.

11 Afferuntur in eius ſententiæ cõprobationem Præfationes quædam Auguſtini & Hieronymi in Euangelium Ioannis: ſed eas non

Auguſtinum & Hieronymum nõ fuiſſe in ſupradicta ſententia.

eſſe ipſorum, facilè cuiuis eſt animaduertere. Nam quæ tribuitur Auguſtino, ea ſine dubio eſt ipſius Bedæ; iiſdem nempe, atque illa Bedæ, non ſententiis tantùm, ſed etiam verbis conſtans. Quæ autem Hieronymo affingitur, ea nec ſtylo, nec ſententia, Hieronymi dictionem, & ingenium redolet. Quin, duos iſtos doctores procul ab ea ſentẽtia fuiſſe, perſpicuũ eſt conſideranti quæ ſcripſit Auguſtinus in vltimo Tractatu in Euangelium Ioannis dicens, & aliis Eccleſiæ doctoribus placuiſſe, ſibique placere, Ioannem nullis fuiſſe vnquam nuptiis implicatum, ſed perfectam vſque à prima

Auguſtinus.

ætate virginitatem coluiſſe. Hæc ſunt Auguſtini verba: ſunt qui ſenſerint, & hi quidem non contemptibiles ſacri eloquij tractatores, à CHRISTO Ioannem Apoſtolum propterea plus amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. Hoc quidem in ſcripturis Canonicis non euidenter apparet: Verumtamen id quoque multùm adiuuat congruentiam eius ſententiæ, quòd per Ioannem ſignificata ſit vita æterna, in

Hieronymus.

qua non erunt nuptiæ. Sic Auguſtinus. Hieronymus verò in primo libro contra Iouinianum ait, Ioannem vocatum eſſe à CHRISTO cùm eſſet adoleſcentulus, ac propè puer. Ea verò ætate Ioannem vxorem duxiſſe, non eſt credibile.

Probatur aliquot rationibus, illas nuptias nõ fuiſſe Ioannis Apoſtoli.

Equidem neſcio, vnde Beda iſtam de nuptiis Ioannis opinio- 12
nem hauſerit. Nam ante Bedam, nullum memini legere, à quo id proditum fuerit. Siquidem nec poteſt id colligi ex Sacra ſcriptura, nec ab antiquis Patribus traditum ſcriptis eſt, nec ex antiqua fidelique traditione acceptum, nec vlla probabili coniectura, nedum neceſſaria ratione firmatum eſt: imò verò contra, nec paucis, nec dubiis rationibus id refellitur. Principio, ſi poſthabitis iſtis nuptiis Ioannes ſecutus eſſet CHRISTVM, procul dubio hæc fuiſſet vltima & perfecta eius vocatio: at poſtrema eius vocatio, quæ fuit ea quam deſcripſit Matthæus in capite quinto ſui Euangelij, vno anno poſt has nuptias facta eſt; nempe, iam in carcerem incluſo Ioanne Baptiſta. Deinde, ſi Ioannes ſponſus fuiſſet in iſtis nuptiis, non vtique ſeruâſſet perfectam virginitatem, nec verè diceretur fuiſſe perfectè virgo; quippe qui, ſaltem conſilio propoſito animi, carnali copulæ conſenſiſſet: perfectæ verò vir- 1
ginitatis ratio firmiſſimum propoſitum à carnali copula perpetuò

abſti

abſtinendi requirit. Ad hæc, ſecundùm Chryſoſtomum, Auguſtinum, Cyrillum, pluréſque alios Patres, CHRISTVS intereſſe voluit iſtis nuptiis, vt præſentia ſua matrimonium honoraret, declarans, id per ſe bonum eſſe, Deóque gratum: & iam ex eo tempore, iſto facto ſuo præmuniens Eccleſiam ſuam aduersùs futuros Hæreticos, Marcionem, Tarianum, & alios qui nuptias, vt per ſe malas, nec homini Chriſtiano licitas, damnaturi erant. At enim, ſi CHRISTVS à nuptiis ad ſuum diſcipulatum auocato Ioanne, nuptias eius diſſoluiſſet; magnam ſanè dediſſet anſam iſtis Hæreticis calumniandi matrimonium; nec ſua præſentia, vt dixerunt Patres, nuptias honoraſſet, atque comprobaſſet. Non eſt igitur veriſimile, iſtas nuptias fuiſſe Ioannis Apoſtoli. Apud Nicephorum libri octaui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite trigeſimo legitur, iſtas nuptias fuiſſe Simonis Cananæi qui fuit vnus de numero duodecim Apoſtolorum. Sed contra iſtam opinionem pugnat etiam tertia ratio quam paulò ante expoſuimus.

Chryſoſt. Auguſtinus. Cyrillus.

Secũdùm Nicephorũ, iſtas nuptias fuiſſe Simonis Cananæi, qui fuit ex numero duodecim Apoſtolorum.

QVARTA DISPVTATIO.

Quis locus fuerit Cana Galilææ, vbi factæ ſunt iſtæ nuptiæ?

13 SCIAT lector, duas fuiſſe Galilæas: vnam, inferiorem; alteram verò, ſuperiorem: & hæc ſuperior, dicta eſt à Matthæo in capite quarto Galilæa gentium; quòd cùm eſſet maritima, & portuoſa, à variis gentibus, commerciorum causâ, frequentabatur. Duplex item fuit Cana: vna, quæ dicta eſt Maior, in tribu Aſer, & in Galilæa ſuperiori, quæ commemoratur in capite decimo nono libri Ioſue, non procul Sidone, percelebri quondam vrbe: & hanc putat Sanctus Hieronymus in libro de locis Hebraicis fuiſſe eam, in qua iſtæ nuptiæ factæ ſunt. Altera fuit Cana, quæ dicta eſt Minor, & erat in Galilæa inferiori, & in Tribu Zabulon; quatuor horarum itinere, ſecundùm Maſium, diſtans Ptolemaide, & tantundem fermè ab vrbe Nazareth, ſita ſuper vallem Carmeli. In hac autem Cana, ſecundùm Andream Maſium in ſuis Commentariis in librum Ioſue ſuper decimũ nonum eius libri caput, &

Duplex Galilæa & duplex Cana.

Hieronymus.

Andreas Maſius.

Brocardus.

ſecundùm Brocardum in ſua deſcriptione terræ Sanctæ, nuptiæ iſtæ quæ narrantur à Ioanne hoc loco, factæ ſunt. Scribit porrò Brocardus, ſuo etiam tempore cerni illud ipſum triclinium in quo factæ ſunt iſtæ nuptiæ, & vbi erant ſex hydriæ aquæ, ait eſſe ſubterraneum locum, ad quem per gradus deſcenditur. Ex hac vrbe fuiſſe creditur Simon Cananæus, vnus ex numero duodecim Apoſtolorum CHRISTI: hanc certè fuiſſe Nathanaëlis patriam, apertè indicat B. Ioannes infra in capite vigeſimo primo huius Euāgelij. Fuit hic locus duplici miraculo CHRISTI nobilitatus; altero quod factum eſt in his nuptiis, mutata in vinum aqua, & fuit primum miraculum à CHRISTO publicè factum per quod diſcipuli eius vehementer commoti ſunt ad ei credendum & adhærendum. Alterum fuit miraculum, quo CHRISTVS manens in Cana Galilææ, rogatus à Regulo, ſolo verbo filium eius ægrotantem in vrbe Capharnao, & iam moribundum ſanauit. In hoc ipſo loco poſtea mater Conſtantini Helena Sacram Ædem ædificauit ad conſeruandam eius loci, & eorum quæ à CHRISTO inibi geſta ſunt, religioſam memoriam & venerationem.

Helena mater Conſtantini.

Triplex myſtica interpretatio iſtarum vocum Cana, & Galilæa, vbi factæ ſunt illæ nuptiæ.

Vox (Cana) Latinè interpretata, ſignificat zelum: vox autem 14
(Galilæa) Latinè ſonat tranſmigrationem. Et hoc non vacat myſterio, & ad ſpiritualem intelligentiam bellè accomodari poteſt. Sanè, Filius DEI venit in mundum nuptias facturus cum natura humana, vel cum Eccleſia, zelo tranſmigrationis, hoc eſt, volens hominem transferre à ſeruitute peccati ad libertatem iuſtitiæ; à poteſtate Diaboli ad adoptionem filiorum DEI; ab exilio huius mundi ad cæleſtis patriæ felicitatem. Sancti etiam qui perfectas cum DEO nuptias ſpirituales facere ardenter cupiunt, id eſt, per inſeparabilem, & ſuauiſſimam amoris coniunctionem cum DEO copulari; flagrant zelo tranſmigrationis, ex hac ſcilicet vita mortali & miſera, ad immortalem & beatam vitam, vbi beatiſſimo DEI conſpectu, & dulciſſima eius fruitione perpetuò gaudeant. Hoc nimirum zelo ardens Paulus dixit: *Cupio diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO. Denique Matrimoniū ipſum fieri debet zelo tranſmigrationis, hoc autem eſt, deſiderio generandæ prolis; per quam ſcilicet parentes, quodammodo tranſmigrant in filios, in quibus etiam mortui viuere videntur. Huc ſpectat illud quod in capite trige

Ad Philip. 1.

trigeſimo libri Eccleſiaſtici ſcriptum eſt: *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.*

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et erat ibi mater IESV: vocatus eſt autem IESVS, & diſcipuli eius ad nuptias. **Vers. 2.**

15 CREDITVR in illis nuptiis vel ſponſum, vel ſponſam fuiſſe de cognatis, aut de intimis amicis & familiaribus beatiſſimæ MARIÆ. Nec deſunt qui putent, ſponſum fuiſſe conſanguineum aliquem Nathanaëlis, qui erat, vt diximus, ex illa ipſa vrbe & iam ſectator factus erat & familiaris CHRISTI. Beatæ profectò nuptiæ, in quibus adfuerunt MARIA, IESVS, & diſcipuli eius; per hæc autem ſignificantur tria optatiſſima Matrimonij bona, Fides, Proles, & Sacramentum. Quibus autem nuptiis CHRISTVS abeſt, & iſta deſunt, eas nuptias, quaſi adulterinas atque inceſtas, Patres improbârunt atque damnârunt. Quocirca Euariſtus Papa ex traditione Apoſtolica conſtituit, vt Matrimonium publicè celebraretur, & ſacerdotis benedictio adhiberetur: Eadem etiam de cauſa Patres Concilij Tridentini nuptias clandeſtinas fecerunt irritas. *Euariſtus.* *Concilium Tridentinum.*

16 Sed hoc loco quæri dignum eſt, Qui fuerint illi diſcipuli IESV, qui cum eo vocati ſunt ad nuptias? Epiphanius diſputans contra Hæreſin quinquageſimam primâm negat, in illis nuptiis fuiſſe Petrum & Andream, quòd iſti poſtridie quàm venerant ad IESVM, ad ſua reuerſi ſunt. Nec fuiſſe filios Zebedæi, Iacobum & Ioannem: ſed quoſdam alios, qui tunc ſectabantur CHRISTVM. Sic Epiphanius. Equidem neſcio, vnde iſtud compertum habuerit Epiphanius. Ego contrà ſentio, fuiſſe in illis nuptiis Petrum & Andream, ne principes Apoſtolorum videlicet abeſſent primo CHRISTI miraculo quo manifeſtata eſt gloria eius, & diſcipuli crediderunt in eum. Quin etiam puto, Ioannem, qui hiſtoriam *Qui fuerint illi diſcipuli Ieſu, qui cum eo fuerunt in nuptiis.* *Epiphanius.*

hanc ſcripſit, illis nuptiis interfuiſſe: hoc enim indicat tam ſubtilis, & diſtincta, & curioſa, exactáque narratio eorum quæ in nuptiis illis facta, dictaque ſunt, quam ipſe, quaſi oculatus teſtis fecit. Crediderim quoque, nec defuiſſe Nathanaëlem, nec ſodalem eius Philippum.

Quales diſcipulos habuit Chriſtus in tempore illarum nuptiarum.

Hiſtoria Scholaſtica.

Cæterùm, cùm CHRISTVS tunc prædicare nondum cœpiſſet, nec vocâſſet ad ſe Apoſtolos, quomodo dicitur, tunc habuiſſe diſcipulos? ob hanc cauſam narrat Hiſtoria Scholaſtica in trigeſimo ſeptimo capite hiſtoriæ Euangelicæ, quoſdam putâſſe, nuptias illas eſſe factas poſt vocationem Apoſtolorum à Matthæo ſcriptam in quarto capite, & poſt ſermonem Domini in monte. Verùm, iſti manifeſto opinionis errore decepti ſunt. Illa enim vocatio Apoſtolorum facta eſt poſt incluſionem Ioannis in carcerem, vt ſcribit ipſe Matthæus in illo capite quarto: Quæ antē narrat Ioannes & in hoc ſecundo capite & in tertio, ante carcerem Ioannis eſſe facta, ipſemet teſtatur infra in capite tertio. Appellati ſunt igitur illi diſcipuli IESV, vel, ſecundùm Auguſtinum, per figurā anticipationis, quia poſt futuri erant diſcipuli, & verè poſtea facti ſunt diſcipuli IESV. Vel dicti ſunt diſcipuli, quia CHRISTVM priuatim docentē ſequebantur, maximè teſtimonio Ioannis Baptiſtæ de CHRISTO vehementer incitati. 17

An B. Ioſeph ſponſus ſanctiſſimæ Mariæ fuerit in illis nuptijs.

Chryſoſt.

Ambroſius.

Epiphanius.

Sed cur, dicet aliquis, ad illas nuptias non eſt vocatus Sanctus Ioſeph B. Mariæ ſponſus: aut ſi vocatus eſt, cur non eum Ioannes, ſicut alios nominauit? nam Ioſeph in viuis eo tempore fuiſſe, quin etiam vſque ad tempus Paſſionis Domini vixiſſe, & Chryſoſtomus Homilia quadrageſima ſeptima ſuper Matthæum, & Ambroſius ſuper vigeſimum tertium caput Lucæ, nō obſcurè ſignificant. Sed enim, mihi veriſimilior fit opinio Epiphanij, qui diſputans contra Hæreſin quinquageſimam primam opinatur, Ioſeph non multò poſt duodecimum annū ætatis CHRISTI mortē obiiſſe. Huic nimirum opinioni ſuffragari videtur Hiſtoria Euangelica, quæ poſt id temporis nullam B. Ioſeph mentionem facit. 18

Diſcutitur opinio Epiphanij de extrema ſenectute S. Ioſeph, ſpōſi genitricis Dei Mariæ.

Nec in eo tamen aſſentior Epiphanio, quod ſcribit de ætate S. Ioſeph: in eodem enim illo, quem dixi, loco ait, B. Ioſeph duos & nonaginta annos vixiſſe; & fuiſſe iam octogenarium, cùm B. Virginem accepit coniugem. Hac fortaſſe imbutum opnione vulgus 19

Pictorum

Pictorum effigiat Sanctum Ioſeph quaſi hominem ſenio confectum: quòd meliorem fuiſſe putet cuſtodem futurum virginitatis Beatæ Mariæ, ſi homo eſſet iam extremè ſenex, quàm iuuenili aut virili ætate præditus. Hoc ego, multis de cauſis inducere meum in animum non poſſum, vt credam. Principio, non fuiſſet temperantis viri, in extrema ſenectute, nullàque ſpe generandæ ſobolis, coniugales voluptates concupiſcere. Deinde, parentes B. Mariæ homini decrepito, ex quo nullam ſperâſſent prolem, filiam ſuam minimè deſpondiſſent. Ad hæc, non ſatis conſultum eſſet famæ B. Virginis & ipſius CHRISTI apud Iudæos; quippe qui filium ex Virgine natum non ex decrepito coniuge ſuſceptum fuiſſe vulgò dicerent. Poſtremò, non bene prouiſum eſſet tam virginis, quàm ipſius CHRISTI infantis & pueri tutelæ, & adminiſtrationi rerum ad eos pertinentium; non enim homo ſenili ætate confectus, viribúſque defectus, laboribus in cura coniugis, & infantis CHRISTI gerenda, tolerandis ſuffeciſſet.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quid mihi & tibi eſt mulier? VER. 4.

Confutantur tria Hæreticorum impia dogmata, malè ex hoc loco deducta: & diſcutitur opinio quædam Chryſoſtomi minimè probanda.

20 HÆc verba occaſionem dediſſe videntur quibuſdam Hæreticis varios fingendi errores, & impia dogmata. Hinc enim Valentinus, & Apelles, & Manichæi argumentabantur, CHRISTVM à B. Virgine non accepiſſe humanam carnem. At, ſi ita eſſet, quomodo verè dictũ eſſet illud ab Angelo: *Concipies in vtero, & paries filium.* Si enim à matre ſubſtantiam corporis humani non accepit, non vtique fuit ex ea conceptus, nec natus. Ex hoc quoq; loco Neſtorius cõcludi putabat, B. MARIAM verè dici nõ poſſe genitricem & matrem DEI. Atqui, Paulus in capite 4. Epiſtolæ

Tria Hæreticorum impia dogmata ex hoc loco praud conficta.

Hæreſis Valentini, Apellis, & Manichæorum exploditur.

Lucæ 1.

Hæreſis Neſtorij refellitur.

ad Galatas dixit, DEVM miſiſſe filium ſuum factum ex muliere: & Gabriel dixit B. Virgini: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius* DEI. Heluidius præterea ex hoc loco probare volebat, ſanctiſſimam MARIAM, poſt partum CHRISTI, cognitam fuiſſe à coniuge ſuo, & alios filios peperiſſe, quia in hoc loco appellatur mulier, quod nomen, non niſi de corrupta fœmina dicitur. Sed manifeſti conuincitur mendacij: Siquidem Eua, in ſecundo & tertio capite libri Geneſis, priuſquàm cognita eſſet ab Adamo, non ſemel nomine mulieris appellatur.

Hæreſis Heluidij.

Cæterùm, huiuſmodi planè falſa, & impia, & inſana Hæretico- 21
rum dogmata iam pridem exploſa, nihil homini Chriſtiano & Catholico faceſſunt negotij. Illud ſanè moleſtius accidit, quòd magnus Eccleſiæ Doctor Chryſoſtomus minùs piè ac reuerenter quàm decebat, & ſuper hoc ipſo loco, & ſuper caput duodecimum Matthæi, de B. MARIA locutus eſt: eam námq; inſimulat muliebris cuiuſdam ambitionis, & inanis gloriæ, atque iactantiæ; vt quæ ex filij ſui claritate in docendo, & in patrandis miraculis, etiam ipſa famam & gloriam apud homines captaret. B. Thomas in tertia parte in quæſtione vigeſima ſeptima in articulo quarto, docere volens, Beatam Virginem nullum vnquam feciſſe peccatum, contra id obiectionem quandam præmittit ductam ex verbis Chryſoſtomi, ita ſcribens: Chryſoſtomus ſuper Matthæum exponens illud: *Ecce mater tua; & fratres tui foris ſtant quærentes te*, dicit, manifeſtum eſt, quòd ſolùm ex vana gloria hoc faciebant. Et Ioannis ſecundo ſuper illud: *Vinum non habent*, dicit idem Chryſoſtomus, volebat illis ponere gratiam, & ſe ipſam clariorem facere per filium. Et fortaſſe quid humanum patiebatur; quemadmodum & fratres CHRISTI, dicentes ei: *Manifeſta te ipſum mundo*, & poſt pauca ſubdit, nondum enim de CHRISTO, quam oportebat, opinionem habebat. Hoc autem totum quod dicit Chryſoſtomus, conſtat eſſe peccatum: non igitur B. Virgo præſeruata fuit immunis ab omni peccato. Ad hanc obiectionem reſpondens B. Thomas, hæc ſcribit: Ad tertium dicendum eſt, quòd Chryſoſtomus in verbis illis exceſſit. Poſſunt tamen ſic exponi, vt intelligatur, Dominum in B. Virgine cohibuiſſe non inordinatum inanis gloriæ motum quantum ad ipſam, ſed id quod ab aliis poſſet

Improbabile Chryſoſtomi dictū de Beatiſſima Virgine refellitur.

B. Thomas.

Ioan. 7.

poſſet æſtimari. Sic B. Thomas. Quòd autem dixit, Chryſoſtomum in illis ſuis verbis exceſſiſſe, ego interpretor non ſolùm de exceſſu veritatis, quia falſum eſt quod dixit de B. Virgine; ſed etiã de exceſſu in modo loquendi de tanta Virgine, parum ſcilicet honorificè ac reuerenter.

22 Sanè, Chryſoſtomi ſententiam neceſſariò conſequitur, Beatam Virginem, ſaltem venialiter peccaſſe: quod tamen prorſus auerſatur B. Auguſtinus; cuius in capite trigeſimo ſexto libri de Natura & Gratia hæc ſunt verba: De Sancta Virgine MARIA, propter honorem CHRISTI, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem conſtat, nullum habuiſſe peccatum. Hoc ipſum confirmatum eſt in Concilio Tridentino, in ſeſſione ſexta. Quibus conſonant voces Sanctæ Eccleſiæ, de B. Virgine canentis illud quod in 4. cap. libri Canticorum ſcriptum eſt: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* *Auguſtinus.* *Concil. Trid.* *Locus Cant. cap. 4.*

SEPTIMA DISPVTATIO.

Ponuntur quatuor interpretationes ſupradictorum illorum verborum: Quid mihi & tibi eſt mulier?

23 QVATVOR ſunt iſtorum verborum interpretationes, veram doctrinam continentes. Prima interpretatio, quam tradit Auguſtinus hoc loco, eſt huiuſmodi: Auctoritas & poteſtas faciendi miracula, propria eſt diuinitatis; quam ego non accepi à te, nec eam tecum communem hábeo. Veniet tempus paſſionis & mortis meæ, cùm quod abs te accepi, naturam ſcilicet mortalem & paſſibilem, manifeſto mortis meæ argumento declarabo. Et ſecundùm hanc interpretationem Auguſtini, cõfutatur apertè Cherintus, & Ebion, atque Photinus, qui dixerunt, CHRISTVM fuiſſe purum hominem, nec ante matrem ſuam fuiſſe. Secunda interpretatio eſt hæc: Non eſt tuum præſcribere mihi, vbi, vel quando facere debeam miracula; hoc enim à Patre meo mihi præfinitum *Prima interpretatio ſecũdùm Auguſtinum.* *Secunda interpretatio.*

tum eſt: & quæ Pater meus vult me facere, & vbi & quando vult facere, ea tantùm & eo modo quo vult ipſe, oportet me facere. Similiter dixit Apoſtolis: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, & filiis Zebedæi dixit: *Sedere ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.*

Actor. 1.
Matth. 20.

Tertia interpretatio.

Tertia interpretatio hanc habet ſententiam: Ad peragenda, 24 quæ ad gloriam DEI & ad vtilitatem hominum pertinent; vt eſt miraculorum effectio, non decet, moueri me humano affectu, reſpectúque carnalis neceſſitudinis; ſed ſola diuinæ voluntatis, & gloriæ eius obſeruatione. Non itáque CHRISTVS his verbis matrem ſuam aut increpuit, aut aliquo modo perſtrinxit: ſed illud tantùm in ea docuit nos, quæ ad DEVM ſpectant, ea propter affectus humanos, aut carnales cognationes, nec agenda eſſe, nec omittenda. Et quia documentum hoc, perquàm ſalutare ac neceſſarium Eccleſiæ futurum erat, tam lubrico in contrarium hominum lapſu; propterea quinquies legitur in Euangelio, CHRISTVM, in ſpecie, durè quodammodo & aſperè locutum eſſe de matre ſua. Primò, vt refert Lucas cap. 2. dixit: *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis, quia in iis quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Secundò, in hoc ipſo loco quem tractamus, cùm dixit ei: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Tertiò, apud Matthæum cap. 12. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Quartò, refert Lucas cap. 11. exclamante quadam muliere: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*: Dominum, quaſi hoc non magni faceret, reſpondiſſe: *Quin imò Beati qui audiunt verbum* DEI, *& cuſtodiunt illud.* Quintò, cùm iuxta crucem Domini ſtaret Beata Mater eius, & Ioannes, *dixit matri, mulier, Ecce filius tuus*: & Ioanni, *Ecce mater tua.* Sed in iſtis quinque locis quæ Dominus de matre ſua durè viſus eſt dicere, ea profectò ipſam nullo modo ſiniſtrè tangebant; ſed in ipſa, & per ipſam, docebat nos Dominus, quæ ad obſequium & gloriam DEI ſpectant, ea, nullo ad humanum affectum carnalémque cognationem habito reſpectu, omni ſtudio atque omni cura eſſe quærenda & perficienda. Apparet etiam ex iis quæ legimus in Euangelica hiſtoria, nonnunquam CHRISTVM ſe obſequentem & ſubiectum oſtendiſſe matri ſuæ, vt ſic probaret nobis veritatem hu-

Quinquies in Euãgelio viſus eſt Chriſtus durè quodammodo loqui de matre ſua.

Ioan. 19.

manæ naturæ quam acceperat ab ipſa: vnde Luc. cap. 2. de CHRISTO & parentibus eius ſcribens ait: *Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Interdum autem viſus eſt Dominus magna quadam auctoritate, & quaſi ſeueritate agere cum matre ſua, vt in ſupradictis quinque locis paulò antè oſtendimus: vt ita proderet, & indicaret diuinitatem ſuam in carne latentem, qua erat matre maior, & infinitè præſtantior.

25 Quarta interpretatio, quam ego tribus aliis iam expoſitis probabiliorem cenſeo, eſt Epiphanij contra hæreſin 51. & Cyrilli, & Caietani ſuper hoc loco Ioannis, verba iſta, *Quid tibi & mihi eſt mulier?* ſic interpretantium: Quid mea, vel tua intereſt, ſi vinum deficit? hæc enim cura non ad inuitatos pertinet, ſed ad ſponſum & Architriclinum, à quibus ego rogari & ſollicitari debeo. Atque hanc interpretationem clariorem reddit, certioremque facit lectio iſtorum verborum quam habet Epiphanius in hunc modum: (Quid mihi & tibi curæ eſt mulier?) *Quarta interpretatio, quæ eſt Epiphanij, Cyrilli, Caietani.*

26 Sciat lector, hanc locutionem, *Quid mihi & tibi*, eſſe phraſin Hebraicam, nec in ſcriptura noui Teſtamenti neque veteris infrequentem, pro eo quod eſt, *Quid mihi tecum eſt:* & *quid tibi & illi?* pro eo quod eſt, *Quid tibi cum illo.* Huius phraſis compluria afferri poſſint exempla: apud Matth. cap. 8. Dæmones, quos Dominus eiiciebat, dixerunt ei: *Quid nobis, & tibi* IESV *fili* DEI? Apud eundem, cap. 27. vxor Pilati miſit, qui marito diceret: *Nihil tibi & iuſto illi.* in libro 2. Regum cap. 17. dixit Dauid: *Quid mihi & vobis filij Saruiæ:* & in quarto libro Regum cap. 9. *Quid tibi & paci?* *Qualis ſit iſta locutio, Quid mihi & tibi? Marc. 5. Luc. 8.*

OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Nondum venit hora mea:. VERS. 4.

27 HORVM verborum variæ ſunt interpretationes: quarum prima, quam his fermè verbis tradit Auguſtinus: Nondum, inquit, venit tempus à Patre meo præfinitum, in quo demonſtrem id quod habeo tecum commune, & quod à te accepi, mortalitatem videlicet, atque paſſibilitatem *Prima interpretatio, quæ eſt Auguſtini.*

Secunda interpretatio quæ eſt Ianſenny.

litatem carnis humanæ. Ianſennius iſta verba ſic interpretatur:
Nondum venit tempus, paſſim & publicè faciendi miracula: hoc
enim fuit, poſtquàm Ioannes incluſus eſt in carcerem; quapropter
ab eo tempore cæteri Euangeliſtæ hiſtoriam ſuam Euangelicam

Tertia interpretatio, quæ eſt aliorum quorundam.

ſcribere orſi ſunt. Alij explicant hoc modo: Nondum venit tempus
à me, vel mihi à Patre meo præſtitutum edendi miracula:
CHRISTI enim & prædicatio, & miraculorum effectio, & paſſio,
atque mors certis à DEO fuerat temporibus definita, quæ
CHRISTVS Patri obſequentiſſimus, exactiſſimè obſeruabat.

Quarta interpretatio, quæ eſt Cyrilli & Caietani.

Quarta interpretatio, quæ mihi ſatis placet, eſt Cyrilli, & Caie- 28
tani, verba iſta: ***Nondum venit hora mea***, hoc modo interpretan-
tium: Nondum venit tempus opportunum faciendi hoc miracu-
lum: oportet enim priùs defectum vini cognoſci ab omnibus, &
remediũ expeti, & quæri ex me, quò ſit gratius, & acceptius. Non
ferè ſolet CHRISTVS, ait Cyrillus, vltrò & non rogatus, ad mi-
raculorum effectionem accedere; ſed neceſſitati & vſui hominum
id expetentium hanc gratiam præbere. Etenim, ſæpe vſuuenit, vt
quæ aliquantiſper differuntur, poſtea ſint chariora, & quæ non
petita, vltrò donantur, minùs grata ſint, minorique habeantur
in pretio.

Non eſt dicendus error, ſed inſania & furor, eorum ſententia 29
qui dixerunt, omnes actiones, omniáque euenta omnium homi-
num, etiam ipſius CHRISTI poteſtatibus ac virtutibus cœle-
ſtium ſyderum teneri ac regi. Hunc errorem veteres Eccleſiaſtici

Error Bardeſanis.

ſcriptores attribuerunt cuidam Bardeſani, homini, illis tempori-
bus, ob multiiugem doctrinam, præſertim autem Aſtrologiæ, fa-

Euſebius. Nicephorus. Epiphanius.

moſo: de quo legendus eſt Euſebius libro quarto hiſtoriæ Eccle-
ſiaſticæ, in capite vltimo; & Nicephorus in capite vndecimo libri
quarti ſuæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; & Epiphanius in diſputatione
quam facit contra Hæreſin quinquageſimam ſextam. Hunc erro-

Error Priſcilliani. Auguſtinus. Leo Papa. Braccarenſe Concilium.

rem denuò, multo pòſt tempore ſuſcitauit Priſcillianus: de quo
legendus eſt Auguſtinus in libro de Hæreſibus in numero 35. &
70. Et Magnus Leo Papa in Epiſtola ſeptuageſima prima quam
ſcripſit ad Aſtoricenſem Epiſcopum, nec non & primum Bracca-
renſe Concilium in capite nono.

NONA

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet &c. VERS. 9.

De qualitate, & quantitate illius vini, per CHRISTI *potentiam ex aqua facti.*

30 VISSE vinum illud optimum, præter illius Architriclini iudicium ac teſtimonium, ea quoq; conſtat ratione: Quæ DEVS facit ſupra omnis naturæ poteſtatem per infinitā potētiam ſuam, ea multò præſtātiora ſunt ſimilibus operibus à natura factis: quēadmodū, quæ ipſa facit natura, præſtantiora ſunt ſimilibus rebus & operibus factis ab arte. Etenim, quæ DEVS per cauſas ſecundas, & ordinario modo ſolet facere, ea nonnunquam meliora, aliquando deteriora exiſtunt: nimirum, DEVS concurſum ſuum accōmodat ad conditionem & diſpoſitionem cauſarum ſecundarum. At, quod ipſe DEVS proximè, ac ſine cauſis ſecundis, extraordinario modo facit, id cùm per infinitam eius potentiam fiat, & ad gloriam DEI declarandam, nihil obſtare poteſt, quò minùs vſquequaque perfectum, & abſolutum ſit.

Opera Dei miraculoſa, præſtantiora ſunt ſimilibus operibus, naturali modo factis.

31 Quærat fortaſſe quiſpiam, An vinum illud fuerit album, an nigrum? Reſpondeo, id eſſe incertum, nec admodum vtile cognitu. Si tamen mihi hoc loco diuinare liceat, credibilius eſſe dixerim, vinum illud fuiſſe rubrum; ſic enim euidentior erat miraculi fides, & hoc ſpectâſſe videtur Sancta Eccleſia in illo Hymno quem canit in Feſto Epiphaniæ dicens:

An vinū illud fuerit album an rubrum.

Nouum genus potentiæ:
Aquæ rubeſcunt hydriæ:
Vinúmque iuſſa fundere,
Mutauit vnda originem.

Scriptura certè plurimam rubri vini mentionem facit; vel quia

id frequentiùs & copioſius, vel quia melius eſſet in illis regionibus: vnde per metaphoram appellat vinum, ſanguinem vuæ. Videat lector caput quadrageſimum nonum libri Geneſis, & trigeſimum ſecundum Deuteronomij, & ſexageſimum tertium Eſaiæ, & quinquageſimum libri Eccleſiaſtici, & ſextum prioris libri Machabæorum: & in capite vigeſimo tertio libri Prouerb. vbi nos legimus: ***Ne intuearis vinum, quando flaueſcit in vitro:*** pro illo, ***flaueſcit***, Hebræum verbum ſignificat, ***rubeſcit***, quo etiam modo vertit Pagninus.

Quātum vini fuerit illud, miraculo factum à Domino.

Illud præterea inquiri hoc loco poſſet, quantum vini tunc illo miraculo factum ſit à Domino? Sed non eſt difficile id conijcere ex quantitate aquæ, qua erant plenæ ſex illæ hydriæ aquæ; tota enim aqua illa conuerſa eſt in vinum, quare tantum fuit vinum, quanta fuerat aqua. Quantitatem porrò illius aquæ ita ſignificat hoc loco B. Ioãnes: ***Erant ibi lapideæ hydriæ ſex, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis*** IESVS, ***implete hydrias aqua: & impleuerunt eas vſque ad ſummum.*** Quod autem dixit Ioannes, quòd ſingulæ hydriæ capiebant metretas binas vel ternas, ſignificare voluit, non omnes fuiſſe eiuſdem menſuræ & capacitatis, ſed alias maiores, & alias minores. Ponamus igitur, fuiſſe tres hydrias, quarum ſingulæ capiebant tres metretas: & alias tres fuiſſe, quarum ſingulæ capiebant duas metretas; omnes itaque ſimul capiebant quindecim metretas. Ergo, vt cognoſcatur quantitas illius aquæ, declarandum eſt, quod genus menſuræ fuerit metreta. 32

Metreta, quod genus fuerit menſura.

Metreta eſt vox Græca ſignificãs menſuram capacem duodecim congiorum: congius ſex capiebat ſextarios: ergo metreta continebat ſeptuaginta duos ſextarios. Sextarius verò erat menſura reſpondens ei menſuræ, quam Italicè appellamus (foglieta) addita tamen quinta eius parte; continebat enim ſextarius foglietam & inſuper quintam eius partem. Si metreta igitur continebat ſeptuaginta duos ſextarios, continuiſſet etiam octoginta ſex foglietas. Vtor in præſentia vocabulis menſurarum Italicè vulgò vſurpatis, ad Latinæ tamen declinationis formam redactis. Quatuor foglietæ implent vnum boccale: quare vna metreta capiebat boccalia viginti & vnum ac dimidium. Vnus barilus continet triginta duo baccalia; & vna botta, Latinè dolium, ferè continet nouem barilos. Quocirca

vna

vna hydria capiens binas metretas, continebat boccalia quadraginta tria, id eſt vnum barilum & vndecim boccalia. Sex itaque hydriæ, quæ capiebant quindecim metretas vt initio poſuimus, capiebant vnam bottam ſiue dolium, & inſuper tredecim boccalia.

DECIMA DISPVTATIO.

De modo quo factum eſt illud miraculum vini ex aqua: & de alijs quibuſdam ſimilibus miraculis, ad huius miraculi teſtificationem pertinentibus, quæ refert Epiphanius.

33 COGITARE poſſumus, quatuor modis miraculum illud fieri potuiſſe: Primò, producendo vinum ex nihilo: deinde, inuiſibili angelorum miniſterio, ſubtracta ex hydriis aqua, tantundem vini in illas ponendo: tum paucum illud vinum quòd ſupererat, multiplicando, ſicut Elias & Eliſeus pauxillum farinæ & olei multiplicârunt, & Dominus noſter panes & piſces. Poſtremò, aquam conuertendo in vinum, & hoc modo factum eſt illud miraculum. Sic autem fieri, multis de cauſis congruentiſſimum fuit. Primùm, quò euidentius eſſet omnibus miraculum, liquidò intelligentibus, non id præſtigiatoriis, aut magicis artibus eſſe factum. Deinde, vt manifeſtum fieret, CHRISTVM eſſe eum qui per ſingulos annos de nubibus effundens aquas, & iis vites, tanquam hydrias, implens, aquam mutat in vinum. Ad hæc, vt oſtenderet, ſe creatorem & Dominum eſſe rerum omnium, qui vtatur rebus à ſe creatis ſuo arbitratu, & præter, ac ſupra propriam eorum naturam. Præterea, vt demonſtraret, ſe illum ipſum eſſe, qui veteri Teſtamento tam multa miracula in aquis edidiſſet: exempli gratiâ, in mari rubro; in Iordane; in Marara quæ erat aqua amariſſima; in aqua Nili, quæ in pœnā Ægyptiorū verſa eſt in ſanguinem; in aqua quæ ſcaturiuit de petra, & in ea quæ, ad preces Samſonis, ex aſini maxilla profluxit. Ac demum, ita miraculum hoc fieri voluit Dominus, vt eo fidem præſtrueret Sacramento Euchariſtiæ quod erat

De quatuor modis quibus per miraculū, fieri vinū potuit.

3. Reg. 17.
4. Reg. 6.
Matth. 14.
Ioan. 6.

Multis de cauſis conueniens fuit, vt miraculum illud fieret, per conuerſionem aquæ in vinū.

Exo. 14.
Ioſue 2.
4. Reg. 2.
Iud. 15.

ab ipſo inſtituendum, in quo vinum in ſanguinem ipſius mutandum erat.

Miracula quorundam fontium, ſimilia huic miraculo Domini, ex Epiphanio.

Narrat Epiphanius tractans Hæreſin quinquageſimam primam, 34
ad huius miraculi à Domino facti teſtificationem atque confirmationem, poſtea quibuſdam in locis, eodem illo die, eadémque hora qua miraculum illud Dominus fecerat, aquam mutari ſolitam in vinum. Epiphanij verba ſic ſe habent: Quapropter etiam in multis locis, vſque in hunc diem, hoc fit quod tunc factum eſt, diuinum ſignum in teſtimonium incredulis: velut teſtantur in multis locis fontes ac fluuij in vinum conuerſi. Cibyles vrbis Cariæ fons, vinum fudit, ea ipſa hora qua in illis nuptiis hauſerunt miniſtri, & illis dixit Dominus, *Date architriclino.* Teſtatur etiam Geraſa, Arabiæ fons ſimiliter. Et nos quidem bibimus de Cibyles fonte, fratres autem noſtri biberunt de eo fonte qui eſt in Geraſa, in martyrum templo. Multi quoque in Ægypto teſtātur, Nili aquæ idem accidere quibuſdam in locis. hactenus verba fuêre Epiphanij.

Myſtica cōſideratio huius miraculi.

Conſideret hoc loco lector, quemadmodum plerunque ſanctis 35
viris qui CHRISTVM domi ſuæ excipiunt, & paſcunt, & honorant, ipſum videlicet per gratiam in animis ſuis habitantem religiosè colentes deficiat vinum, id eſt, ſubſidia & ſolatia præſentis vitæ, quæ præbent bona temporalia: & pro vino, iubeat DEVS eorum hydrias impleri aqua, hoc eſt magnis eos periculis & calamitatibus affligari, ac penè obrui: hydrias intelligo potentias animæ, tam ſenſus exteriores quàm interiores, & tres illas nobiles animæ rationalis potentias, intellectum, memoriam, voluntatem. Sed in eo ipſo magnum fit miraculum, quòd per gratiam ſuam DEVS, mala illa omnia mirè vertat ſeruis ſuis in multò dulciora & optabiliora bona prioribus bonis quæ perdiderant. Licet etiam in hoc miraculo cernere differentiam mundi atque DEI. Mundus, quo decipiat homines, primò ſpeciem quandā bonorum quæ mortales maximè concupiſcunt, illis oſtendit, & promittit; ſed in occulto, maximè verò in extremo, maxima illis reſeruat mala & exitia. Contra omnino facit DEVS: rebus enim aduerſis, tanquam in igne aurum, ſeruos ſuos initio probat, & perficit; ſed eos & in hac vita ſpiritualibus donis replet, & poſt mortem æternis remunerat præmiis. Huius differentiæ mundi atque DEI perilluſtris

ſtris fuit ceu imago quædam & figura, illa ſtatua quæ regi Nabuchodonoſoro viſa eſt in ſomno, eámque deſcribit Daniel cap.2. Illius ſtatuæ caput erat ex auro, extrema verò pedum ex terra: huiuſmodi eſt proſperitas huius mundi. At verò lapis qui ſtatuam illam percuſſit, & deſtruxit, præſignans CHRISTVM, & ſtatuam iuſtorum hominum, primò fuit paruus lapis, ſed poſtea maximum creuit in montem.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Hoc fecit initium ſignorum IESVS in Cana Galilææ; & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. VER. 11.

An illud miraculum ſimpliciter fuerit primum omnium miraculorum CHRISTI?

36 CHRYSOSTOMVS ſuper hoc loco in Homilia decima ſexta in Ioannem ait, ante Baptiſmum CHRISTI nullum fuiſſe ab eo factum miraculum: An verò poſt Baptiſmum, hoc in nuptiis factum, fuerit primum, nec ne, non audet affirmare. Alij dixerunt, hoc miraculum non fuiſſe primum ſimpliciter, ſed fuiſſe primum quod factum eſt coram diſcipulis ad fidem eorum confirmandam. Aliorum ſententia eſt, fuiſſe primum quod factum eſt in Cana Galilææ; & primum appellari, reſpectu ſecundi miraculi quod poſtea in eadē Cana Galilææ fecit Dominus, cùm ſanauit filium Reguli, vt infrà cap.4. narrat Ioannes. *Chryſoſtomus.*

37 Mea ſuper hac quæſtione breuis hæc eſt ſentētia. Cùm CHRISTVS ab initio ſuæ incarnationis fuerit perfectus homo ſecundùm vſum rationis, & habuerit perfectam gratiam, & ſapientiam, & potentiam faciendi quæcunq; miracula; ſine dubio potuit multa miracula facere ab initio ætatis ſuæ. Quocirca, miraculum ſtellæ, quæ duxit Magos ad præſepe CHRISTI infantis, & miraculum *Auctoris ſententia.* *Matth. 2.*

Matth. 4.
Matth. 3.

lum ieiunij quadraginta dierum in deſerto, & miraculum columbæ quæ ſuper ipſum, cùm baptizatus eſt, deſcendit, ab ipſo etiam quâ homo erat, fieri potuerunt. Cæterùm, ſi loquamur de miraculis quæ fecit CHRISTVS ad gloriam ſuam declarandam, & ad confirmãdam auditorum & diſcipulorum ſuorum fidem, miraculum hoc in nuptiis factum, ſine dubio primum omnium cenſeri debet. Hoc enim apertè B. Ioannes hoc loco indicauit ſupra dictis illis verbis: *Hoc fecit initium ſignorum* IESVS, *& manifeſtauit gloriam ſuam, &c.* Nam, quod quidam dicunt, & nos paulò ſupra retulimus, propterea miraculum illud dici primum, quia primum fuit eorum quæ facta ſunt in Cana Galilææ; hoc ſanè infirmum eſt, atque improbabile. Nimirum, nulla erat ratio cur Ioannes notaret primum miraculum factum in Cana Galilææ potiùs, quàm in Capharnaum, vel in ipſa vrbe Hieruſalem: & hoc ipſum oſtendunt verba illa Ioannis: *manifeſtauit gloriam ſuam & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Quibus verbis ſignificatur CHRISTVM antea non manifeſtâſſe gloriam ſuam, per miraculorum effectionem.

Liber de miraculis infantia Christi Apocryphus.
Chryſoſt.
Epiphanius.
Gelaſius Papa.
Sex rationes, quòd Chriſtus in pueritia vel infantia non fecerit miracula.

Hinc licet intelligere, librum quendam de Saluatoris infantia 38
inſcriptum, & de miraculis in ea ætate ab ipſo factis, planè Apocryphum eſſe: vt meritò Chryſoſtomus Homilia decima ſexta in Ioanem, Epiphanius contra Hæreſin quinquageſimam primam, Gelaſius Papa in diſtinctione decima quinta, quæ incipit (Sancta Romana Eccleſia) eum librum omnino reiiciant. Cur autem non ſit credibile, CHRISTVM in pueritia vel etiam infantia feciſſe miracula, multæ rationes, multúmque probabiles afferri poſſunt. Primò, quia incarnatio eius non vera, ſed phantaſtica fuiſſet exiſtimata. Secundò, putâſſent homines, miracula illa non eſſe vera, ſed præſtigiis, magicíſque fallaciis aſſimilata veris. Tertiò, oportuit illum aſſumptæ carnis & naturæ humanæ fidem facere manifeſtis, certíſque argumentis, nempe, per actiones & opera infantiæ & pueritiæ humanæ congruentia. Quartò, ſi antea feciſſet miracula, procul dubio ante Baptiſmum notiſſimus fuiſſet Ioanni Baptiſtæ: at ille confeſſus eſt, ſibi eum, ante ſignum columbæ, fuiſſe ignotum. Quintò, ſi CHRISTVS antea feciſſet miracula, non fuiſſet opus teſtimonio Ioannis Baptiſtę ad manifeſtandum eum Iudæis, quippe qui per miracula ſua fuiſſet eis notus, & apud omnes

omnes famoſus. Atqui Ioannes ipſe teſtatus eſt, propterea ſe miſſum fuiſſe, vt manifeſtaret eum Iudæis: quibus etiam dicebat: *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis.* Sextò, ideo miracula CHRISTVM facere conueniens fuit; vt doctrinam ſuam confirmaret: non igitur priùs facere debuit miracula, quàm docere inciperet, id autem factum eſt poſt Baptiſmum, cùm iam trigeſimum ætatis ânnum eſſet ingreſſus. Quapropter, cùm eſſet duodecim annorum, inuentus eſt in templo, non docens, ſed audiens, & interrogans. *Io. 1.* *Luca 2.*

39 Quæri poteſt, quæ fuerit gloria illa, quam dicitur CHRISTVS per miraculum illud manifeſtâſſe. Poteſt intelligi gloria diuinitatis, intra corporalem, & adſpectabilem hominibus humanitatem eius latentis. Vel gloria potentiæ, quam homo ille ſuper omnes creaturas à DEO acceperat. Vel, quia ſic apparuit vera fuiſſe quæ de ipſo Ioannes Baptiſta & alij teſtificati fuerant, ipſum eſſe Filium DEI, & Meſſiam, & Saluatorem mundi, & Iudicem omnium; quæ res ad maximam eius gloriam pertinebant.

DVODECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et crediderunt in eum diſcipuli eius. VER. 11.

Quibus maximè rebus adducti ſint diſcipuli CHRISTI *ad credendum in eum?*

40 QVINQVE potiſſimùm rebus adducti ſunt illi diſcipuli ad credendum in CHRISTVM. Primò quidem, luculẽtiſſimo Ioannis Baptiſtę teſtimonio de CHRISTO: hac ratione Andreas & alius quidam diſcipulus (ſicut narrauit ſupra Ioãnes in capite primo) ſecuti ſunt CHRISTVM. Deinde, allecti priuatis ſermonibus CHRISTI, & ſuauiſſima eius conuerſatione, qua perſuaſus eſt Andreas, ipſum eſſe Meſſiam, ideóque ad eum duxit fratrem ſuum Simonem: quemadmodum etiam Philippus Nathanaëlem duxit ad CHRISTVM. Ad hæc, propheticis eius dictis permoti: nam Simoni prædixit, *Quinque res quibus illi diſcipuli moti ſunt ad credendum in Chriſtum.*

ipſum poſtea vocatum iri Petrum? Nathanaeli verò prophetauit de præterito, cùm dixit: *Priuſquàm vocaret te Philippus, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.* Prophetauit etiam de præſenti, cùm de eo dixit: *Ecce verè Iſraelita in quo dolus non eſt.* Prophetauit quoque de futuro, cùm dixit: *Videbitis cælum apertum, & Angelos* DEI *adſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.* Præterea, commoti ſunt maximè eò miraculo quod in nuptiis à CHRISTO factum eſt. His denique addi poteſt quod ad hanc ipſam ſententiam ſcripſit Beatus Hieronymus in Commentariis ſuis in Matthæum, ſuper caput nonum, explanans vocationem ipſius Matthæi, ab ipſomet Matthæo in eo capite enarratam. Adſcribam hîc Hieronymi verba, quæ ſunt huiuſmodi: Arguit hoc loco Porphirius, & Iulianus Auguſtus, vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum qui ſtatim ſecuti ſunt Saluatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti: cùm tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequàm crederent, vidiſſe non eſt dubium. Certè fulgor ipſe, & maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe, videntes trahere poterat, adſpectu. Si enim in Magnete lapide, & in ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, vt annulos, & ſtipulas, & feſtucas ſibi copulet: quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad ſe trahere poterat, quos vocabat?

Ioan. 1.

Præclara B. Hieronymi ſententia.

S. Hieronymus.

Sed magis explicemus illud: *& crediderunt in eum*, nonne ante hoc miraculum iam illi crediderat in CHRISTVM? non enim facti eſſent diſcipuli eius, niſi prius ipſi credidiſſent. Hoc igitur tripliciter poteſt intelligi: Fides enim tribus modis creſcit & perficitur. Primò, extenſiuè, vt plura credantur: & fortaſſe diſcipuli illi propter illud miraculum plura de CHRISTO crediderunt; non modò eum credendo eſſe Meſſiam, ſed etiam verum DEI Filium incomparabili potentia præditum. Deinde creſcit fides intenſiuè, quia virtus ipſa fidei augetur, quo firmiùs credatur: nam & diſcipuli dixerunt Domino: *Domine adauge nobis fidem.* & Dominus dixit Petro: *Modicæ fidei, quare dubitáſti?* Dixit etiam Cananææ: *O mulier, magna eſt fides tua.* Ad hæc, fides perficitur adiunctione aliarum virtutum, quæ ipſam fidem viuificant, & ornant, & perficiunt, vt eſt virtus humilitatis & charitatis & deuotionis. Atque 41

Quomodo diſcipuli Chriſti dicantur credidiſſe in Chriſtum poſt illud miraculum, cùm antea iam credidiſſent.

Fidem tribus modis creſcere.

Luca 12.

Matth. 14.

Ibid. 15.

his

his quoque duobus vltimis modis exiſtimare licet, fidem illorum diſcipulorum fuiſſe tunc eo miraculo multùm auctam atque confirmatam.

42 Illud prætereà indicandum lectori eſt hoc loco, B. Gregorium in Homilia quinta in Euangelia, explanando vocationem Apoſtolorum ſcriptam in quarto capite Euangelij Matthæi, affirmare, illos Apoſtolos relictis omnibus ſecutos eſſe CHRISTVM, nullis antea viſis miraculis, ſed ſimplici tantùm CHRISTI voce permotos. Hoc B. Gregorij dictum, ſi vt verba ipſa ſonant accipiatur, non videtur eſſe verum. Siquidem vocatio illa Apoſtolorum quam ſcribit Matthæus, facta eſt ſub finem primi anni prædicationis CHRISTI, & poſt incluſionem Ioannis Baptiſtæ in carcerem; ante quod tempus multa iam CHRISTVS ediderat miracula, & inter alia, hoc quod factum eſt in nuptiis. Immò verò, Petrus & filij Zebedæi moti miraculo capturæ piſcium, ad CHRISTVM ſe contulerunt, vt narrat Lucas capite quinto. Sed quia Matthæus ante narrationem vocationis Apoſtolorum nulla commemorauerat CHRISTI miracula, hoc videlicet ſpectans B. Gregorius dixit Apoſtolos, non viſis ante miraculis ſecutos eſſe CHRISTVM.

Explicatur dictum quoddam B. Gregorij, quod in ſpecie & primo aſpectu, nō videtur verum.

DECIMA TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixerunt ergo Iudæi: quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? VER. 20.

De trina Hieroſolymitani templi ædificatione: & primò, de ea quæ facta eſt à Rege Salomone.

43 TEMPLVM Hieroſolymitanū ter in diuerſis temporibus ædificatum eſſe legimus: Primò quidem ædificatum eſt à Salomone, vt narratur in capite ſexto libri tertij Regum. Deinde, iterùm eſt ædificatum poſt reuerſionem Iudæorum à captiuitate

Babylonica, vt ſcriptum eſt in primo libro Eſdræ. Tertium, ab Herode fabricatum eſt in anno decimo octauo regni ſui; vt tradit Ioſephus Hebræus in capite vltimo libri decimi quinti Antiquitatum Iudaicarum. De harum trium vnaquaque ædificationum ſeparatim in præſentia diſputandum eſt.

Salomon cœpit ædificare templum in anno quarto regni ſui & menſe ſecundo: abſoluit autem ædificationem menſe octauo anni vndecimi regni ſui, conſumptis in ea ſeptem annis, & menſibus quatuor. Longitudo templi interioris erat cubitorum ſexaginta; latitudo, viginti; altitudo, triginta, ſcilicet vſque ad primum tectum, vt traditur in tertio Regum capite ſexto: Namque altitudo vſque ad ſummum totius ædificij faſtigium, erat cubitorum centum viginti; vt eſt in ſecundo libro Paralipomenon, in capite ſecundo. Dedicatio eius templi facta eſt menſe ſeptimo vt eſt in capite octauo libri tertij Regum: quæ quidem cœpta eſt decimo die eius menſis, finita verò eſt vigeſimo tertio eiuſdem menſis die, ſicut habes in capite ſeptimo libri ſecundi Paralipomenon.

Magnificētia ædificationis templi Salomonis.

Quanta porrò eius operis magnificentia fuerit, duabus ex rebus æſtimare licet, ex multitudine videlicet operariorum, & ex magnitudine impenſarum. Etenim, vt legitur in capite quinto libri tertij Regum, eorum qui portabant humeris ſuis onera, erant ſeptuaginta millia; eorum autem qui cædebant è montibus lapides, erant octoginta millia; eorum qui præerant operi, erant amplius tria millia. Verùm, quod in capite vigeſimo ſecundo primi libri Paralipomenon traditur de impenſis quas Rex Dauid ædificando templo præparauerat, niſi proditum eſſet in Sacris litteris, fidem non caperet. Siquidem eo in loco ſcriptum eſt, Dauidem dediſſe Salomoni ad impenſas futuri operis centum mille talenta auri, & argenti mille millia, vt immenſum æris & ferri pondus in præſentia taceam. Sed quanta fuerit iſtarum impenſarum ſumma, explicatiùs demonſtrandum eſt. Apud varias gentes varium quoque fuit olim talenti pondus & pretium: erat enim talentum

Quātum valeret talētum Hebraicum, ſecundùm Ioſephum.

Hebraicum, & Syriacum, & Ægyptiacum, & Babylonicum, & Græcum ſiue Atticum. Talentum Hebraicum, auctore Ioſepho in capite ſeptimo libri tertij Antiquitatum, pendebat minas centum: mina verò Hebraica, vt tradit Ezechiel cap. 45. pendebat ſiclos 44

ſiclos ſexaginta: ſiclus pendebat quatuor drachmas: nam ſeptuaginta duo interpretes loco ſicli nonnunquam Græcè reddiderunt, *tetradrachma*, & pro dimidio ſiclo, poſuerunt *didrachma*: ſic etiam interpretatur Ioſephus libro tertiò Antiquitatum, & Hieronymus ſuper quartum caput Ezechielis. Patet igitur, vnam minam Hebraicam continuiſſe ducentas quadraginta drachmas, id autem eſt ſecundùm noſtrates libras, duas libras & dimidiam. Ergo talentum Hebraicum pēdebat viginti quatuor millia drachmarum; vel, quod idem eſt, nummorum aureorum. Centum igitur millia talenta auri valent, vt ſecundùm vulgarem computationem loquar, bis mille & quadringentos milliones auri: tantundémque valent mille millia talenta argenti.

Ioſephus. Hieronymus.

Summa impenſarum in ædificatione templi Salomonis.

45 Cæterùm, Rabbi Salomon, & Agricola, & quidam alij qui accuratè ſcripſerunt de ponderibus & menſuris, tradunt, ídque colligunt ex trigeſimo octauo capite libri Exodi ſecūdùm lectionem Hebraicam, duplex fuiſſe talentum Hebraicum; alterum, quod vocabatur talentum ſanctuarij, quod tantum pendebat & valebat, quantum paulò ſupra expoſitum eſt. Alterum erat, quod appellabatur talentum congregationis, & erat in vſu vulgi, hoc autem dimidiatè minus erat priore, pendens tantùm quinquaginta minas. Secundùm huius talenti æſtimationem, centum millia talenta auri, de quibus ſupra diximus, valuiſſent mille & ducentos milliones.

Rabbi Salomon. Agricola. Duplex talentum Hebraicum.

46 Equidem crediderim, in tota Europa, & in Africa, & in magna Aſiæ parte tantum auri, quantum ſupra dictum eſt à Dauide relictum, vix poſſe reperiri. Sed nimirum Dauid per quadraginta annos quibus regnauit, pluribus partis victoriis, multíſque ſubiugatis gentibus, vim illam auri & argenti collegerat; maximè verò debellata Syria vſque ad Euphratem, quæ, id temporis, erat auri & argenti referttiſſima, atque ditiſſima: quam omnem fuiſſe à Dauide opibus ſpoliatam refert diuina ſcriptura. Vt nunc taceam, Devm, ſingulari quadam ratione tantam copiam auri & argenti comparandi facultatem exhibuiſſe Dauidi: tum vt eum regem ſibi chariſſimum ſuper omnes magnificaret: tum vt ampliſſimam ædificando templo materiam ſuppeditaret. De ſimili opulentia legendus eſt Plinius in capite tertio libri trigeſimi tertij: & de præda Gazæ Perſicæ quam abſtulit victor Alexander, videat lector

Conſideratio opulentiæ Dauidis.

2.Reg.8.

Plinius.

librum ſecundum noſtrorum commentariorum in Danielem. De incredibili opulentia quam habuit Rex Sardanapalus, eámque ſecum iniecit in rogum; legenda ſunt quæ Cteſias Gnidius narrat apud Diodorum Siculum.

Triplex maxima opulentia.

47 Hoc templum à Salomone fabricatũ ſtetit per annos quadringentos & triginta, vſque ad Babylonicam videlicet captiuitatem, ſub Sedechia rege Iuda factam. Ergo Iudæi dicentes, templum fuiſſe quadraginta ſex annis ædificatum, non loquebantur de hac prima, quæ à Salomone facta eſt, templi ædificatione, ea quippe ſeptem annis completa eſt. Quapropter, quod Chryſoſtomus in Homilia vigeſima ſecunda in Ioannem, & Theophylactus, & Euthymius hoc in loco tradunt, templum à Salomone fuiſſe viginti annis exædificatum; ſi de ſolius templi ædificatione intelligatur, falſum eſt, hæc enim ſeptem annis abſoluta eſt. Sin autem complectamur ædificationem templi, ſimúlque domus regiæ, quod de viginti annis dictum eſt, pro vero haberi poteſt: Sic enim legimus in nono capite tertij libri Regum: *Expletis annis viginti, poſtquàm ædificauerat Salomon duas domos, id eſt, domum Domini, & domum regis &c.*

Animaduerſio in dictum quoddã Chryſoſtomi Theophylacti & Euthymij.

DECIMA QVARTA DISPVTATIO.

De ſecunda templi ædificatione quæ poſt Iudæorum à captiuitate Babylonica reuerſionem facta eſt: & de hac oſtenditur, verum eſſe quod dixerunt Iudæi, templum fuiſſe quadraginta ſex annis ædificatum.

48 SECVNDA illius templi ædificatio facta eſt poſt reuerſionem Iudæorum à captiuitate Babylonica, principe populi Zorobabele, & Ieſu maximo ſacerdote & Pontifice, prophetantibus eo tempore Aggæo, & Zacharia. Hæc ſecunda ædificatio cœpta eſt, primùm iactis templi fundamentis anno ſecundo regis Cyri: ſed opus per quadraginta annos intermiſſum eſt; anno autem ſecundo regis Darij Hyſtaſpis repetitum eſt, & anno ſexto eiuſdem regis perfectum. Perfectum dico, quod attinet ad ædificationem

cationem interioris templi, ad quod ſolis ſacerdotibus patebat ingreſſus. Nam in atriis & porticibus & gazophilaciis conſtruendis tres præterea anni conſumpti ſunt: ita vt totius templi ſtructura non ante nonum eius Regis annum abſoluta ſit, ſecundùm Ioſephum in libro vndecimo Antiquitatum, & Euſebium in libro octauo de demonſtratione Euangelica.

Ioſephus. Euſebius.

49 Et hac profectò ratione cõſtat planè numerus quadraginta ſex annorum, quibus Iudæi dixerunt Domino, templum illud fuiſſe fabricatum: tot enim anni à ſecundo Regis Cyri anno quo cœptum eſt ædificari, vſque ad nonum Regis Darij annum, quo ædificatio templi conſummata eſt, numerantur. Etenim Cyrus regnauit annis triginta: poſt eum Cambyſes, ſimúlque Magorum regnum fuit octo annorum: His ſi addantur nouem anni Regis Darij, conſiſtit ſupradicta ſumma quadraginta ſex annorum. Ianſennius bene ſenſit, ſcribens hoc loco illud Iudæorum dictum de quadraginta ſex annis ædificationis templi, intelligendum eſſe de ſecundi templi ædificatione: Sed is tamen malè colligit & computat illos quadraginta ſex annos; mendoſas Chronologias videlicet Ioannis Annij Viterbienſis imprudenter ſecutus.

Computatio vera quadraginta ſex annorum ſecundæ ædificationis templi.

Ianſennius.

50 Hoc ſecundum templum intactum manſit vſque ad decimum octauum annum Regni Herodis, per annos circiter quadringentos nonaginta. Stetit verò vſque ad excidium eius ſub Tito Imperatore Romanorũ factum per annos quingentos octoginta quatuor. Nam annus nonus Regis Darij, quo anno finita eſt ſecundi templi ædificatio, competit in Olympiadem ſexageſimam ſextam. Decimus autem octauus annus Regni Herodis concurrit cum Olympiade centeſima octogeſima nona: excidium verò ſecundi templi factum ſub Tito Romanorum Imperatore, contigit in Olympiade ducenteſima duodecima.

Quandiu ſteterit tẽplum ſecundum.

51 Impenſarum porrò, quas Iudæi contulerunt ad ſecundi templi fabricationem, ſumma fuit ea quam in ſecundo capite primi libri Eſdras narrat his verbis: *Secundùm vires ſuas dederunt impenſas operis, auri ſolidos ſexaginta millia & mille; argenti verò mnas ſiue minas, quinque millia, & veſtes ſacerdotales centum.* Hæc autem ſumma auri & argenti continet nummorum aureorum centum octoginta millia: vnde apparet, quantò maior fuerit primi illius templi à Salomone

Quantò inferius fuerit ſecundum templum illo Salomonis & quantum ad impenſas ædificationis, & quantum ad altitudinem ædificij.

Salomone fabricati magnificentia ædificationis, quàm huius ſecundi. Fuit etiam magnitudo huius ſecundi templi multò minor quàm primi: ſiquidem totius templi ſecundi altitudo fuit ſexaginta duntaxat cubitorum, cùm primi templi altitudo fuiſſet centum viginti cubitorum, id autem eſt, duplo maior. Quapropter, in ædificatione ſecundi templi, Iudæorum ſeniores qui viderant primum templum, cum eius magnificentia & magnitudine comparantes ſecundi templi paupertatem & paruitatem, flebant voce magna, vt narrat Eſdras ſub finem capitis tertij.

Quomodo prædictum ſit ab Aggæo, ſecundum templũ glorioſius fore, quàm fuerat primum. Reſponſio Iudæorum.

At enim, cùm ſecundum illud templum & amplitudine, & opulentia, & magnificentia multò inferius fuerit primo illo Salomonis templo; quomodo Aggæus Propheta in capite ſecundo vaticinatus eſt, maiorem fore gloriam ſecundi templi, quàm fuerat primi? Reſpondent Iudæi, id eſſe dictum propter Alexandrum magnum, qui viſere illud templum voluit, & ipſum, & ſummum Pontificem plurimùm honorauit, vt memoriæ prodidit Ioſephus in libro vndecimo Antiquitatum: & ante Alexandrum Magnum, tres maximi reges Perſarum, multùm fauerunt, multúmque adiumenti contulerunt ad ędificium & ornatum templi; Regem dico Cyrum, Darium Hyſtaſpem, & Artaxerxem Longimanum, de quibus ſcribit Eſdras. Poſt Alexandrum verò, Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti ampliſſima miſit munera ad ornatum templi, vt in libro duodecimo refert Ioſephus. Eodem ſpectat, quod initio tertij capitis libri ſecundi Machabæorum ſcriptum eſt his verbis: *Ipſi reges & principes locum (templum) ſummo honore dignum ducebant, & templum maximis muneribus illuſtrabant: ita vt Seleucus Aſiæ Rex de reditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes.* Ob hæc igitur Iudæi aiunt, prædictum fuiſſe ab Aggæo, glorioſius fore ſecundum templum, quàm fuerat primum. 52

Ioſephus.

Ioſephus. Locus libri ſecũdi Machabæorum c. 3.

Sed iſta ſunt futilia, & nugalia Iudæorum commenta. Non enim quæ reges illi contulerunt ad honorem & ornatum ſecundi templi, tanti fuerunt, vt ob ea templum illud factum ſit glorioſius templo Salomonis: ex ſupradictis enim manifeſtum eſt, multò fuiſſe inferius templum ſecundum quàm illud primum Salomonis, tam ſecundùm magnitudinem, quàm ſecundùm opulentiam, & magnificentiam & gloriam. Neque tantus fuit honor, nec tanta 53

fuêre

fuêre munera quibus illi reges ſecundum templum coluerunt & ornârunt; quantus fuit contemptus, & ignominia, & opprobrium quo Rex Antiochus Epiphanes illud ipſum templum dedecorauit, & contaminauit, & conculcauit, & multifariam incendit atque deſtruxit, omnibúſque rebus pretioſis quæ in eo erant ſpoliauit. Audiat lector quæ ad hanc ſententiam ſpectant, & ſcripta ſunt in primo capite prioris libri Machabæorum de Rege Antiocho his verbis: *Intrauit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa eius, & menſam propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum quod in facie templi erat: & comminuit omnia: & accepit argentum & aurum, & vaſa concupiſcibilia, & accepit theſauros occultos quos inuenit; & ſublatis omnibus abiit in terram ſuam & fecit cædem hominum, & locutus eſt in ſuperbia magna.* & paulò infra: *Ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare* DEI: *& per vniuerſas ciuitates Iuda ædificauerunt aras: & ante ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & ſacrificabant: & libros legis* DEI *combuſſerunt igni; ſcindentes eos: & apud quemcúnque inueniebantur, trucidabant eum.* & in eiuſdem libri capite quarto ſunt hæc verba: *Viderunt ſanctificationem deſertam, & altare profanatum, & portas exuſtas, & in Atriis virgulta nata, ſicut in ſaltu, vel in montibus, & paſtophoria diruta: & ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno, & impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum &c.* Ecce tibi, quantò maiora fuêre mala quibus Rex ille Antiochus ſecundum templum dehoneſtauit, & contaminauit, & opprobriis repleuit; quàm fuerant bona, quæ priores quidam reges in templum illud contulerant.

54 Ergo prædictum eſt ab Aggæo, ſecundum illud templum glorioſius eſſe futurum quàm primum, non ob materialem ſiue corporalem eius templi ſtructuram, nec propter opulentiam, vel magnificentiam; ſed propter Meſſiam, cuius frequenti præſentia, & prædicatione, & miraculis ſuper omnia magnificandum & glorificandum erat. Et vt hoc Propheta ſignificaret, præmiſit de Meſſiæ aduentu verba illa: *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cœlum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit*

Dominus exercituum. Poſt hæc autem ſubdit ſupradictum vaticinium dicens: *Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ, pluſquàm primæ*. Hac porrò, qua diximus, ratione intelligendum eſſe illud Aggæi vaticinium, pluribus verbis luculentè, doctéque Beatus
Auguſtinus. Auguſtinus nos docet in quadrageſimo quinto capite libri decimi octaui de Ciuitate DEI.

DECIMA QVINTA DISPVTATIO.

De tertia templi ædificatione, quæ ab Herode rege facta eſt.

TERTIA templi ædificatio, ab Herode rege facta eſt in anno decimo octauo regni eius; & decem annis, ex toto confecta & abſoluta eſt, quatuor annis videlicet ante ortum CHRISTI Domini noſtri. Mira fuit amplitudo templi: longitudo enim fuit centum cubitorum; altitudo centum viginti: coagmentatum eſt ex candidiſſimis & firmiſſimis, maximíſque ſaxis; quorum longitudo cuiuſque erat viginti cubitorum, altitudo autem & latitudo duodecim cubitorum. In porticibus erant quatuor ordines columnarum, erant autem omnes columnæ centum ſexaginta duæ, pulchræ ad miraculum; tantáque craſſitudine, vt eam vix tres homines ſimul complecti poſſent. Multa alia, ſanè quàm mira, de magnificentia eius operis narrat Ioſephus in libro decimo quinto Antiquitatũ capite vltimo. Huc ſpectat quod ſcribit Marcus cap. 13. illis verbis: *Et cùm egrederetur de templo, ait illi vnus ex diſcipulis ſuis, Magiſter, aſpice, quales lapides & quales ſtructuræ: & reſpondens* IESVS, *ait illi: Vides has omnes ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* 55

Locus Marci cap 13.

Duplex quæſtio ſuper illo templo Herodis.

At enim, ex iis quæ dicta ſunt duplex hoc loco exiſtit quæſtio. 56
Prior quæſtio eſt hæc: Altercatio illa Iudæorum cum CHRISTO, ſine dubio facta eſt non in illo ſecundo templo, ſed in tertio quod ædificatum fuerat ab Herode; hoc enim quatuor vel quinque annis ante ortum CHRISTI exædificatum fuerat: quomodo igitur verum eſt quod Iudæi dixerunt, templũ illud in quo ipſi tunc erãt, fabricatum fuiſſe quadraginta ſex annis, id enim, vt verè dicitur de ſecundo templo, ita falsò dicitur de tertio, quod, vt refert Ioſephus,

ſephus, decem annis ab Herode conſtructum fuerat. Altera quæſtio eſt huiuſmodi: Vaticinium illud Aggæi de ſecundo templo, quòd ipſum glorioſius futurum erat quàm primum; videlicet, vt nos ſupra interpretati ſumus, propter Meſſiæ in eo templo præſentiam, & prædicationem, & miracula: At Meſſias non in illo ſecundo, ſed in hoc tertio templo verſatus eſt.

57 Verùm, huic duplici obiectioni & quæſtioni vnica reſponſione ſic eſt occurrendum & ſatisfaciendum: templum illud Herodis non eſſe habitum à Iudæis tanquam diuerſum à ſecundo templo, ſed quaſi renouationem quandam illius & amplificationem, maiorémque exornationem. Non enim ſecundum templum euerſum fuerat ab hoſtibus, nec dirutum aliquandiu iacuerat. Immò Rex Herodes, ſicut narrat Ioſephus ſupradicto loco, priuſquàm vetus illud templum demoliretur, circum ipſum ædificauit templum nouum, vt videretur Iudæis non aliud templum eſſe factum, ſed renouatum prius templum, & amplificatum, maiorique ornatum magnificentia. Semper itaque apud Iudæos illud Herodis templum, ſecundi templi nomen, exiſtimationem, venerationem, atque religionem habuit. Stetit porrò illud Herodis templum vſque ad excidium eius ſub Tito Romanorum Imperatore factum, per annos circiter nonaginta.

Reſponſio ad ſupra dictam duplicẽ quæſtionem.

Quandiu ſteterit tẽplum Hieroſolymitanũ ab Herode fabricatum.

DECIMA SEXTA DISPVTATIO.

Explicatur ſententia quædam Beati Auguſtini aientis, numerum illum quadraginta ſex annorum ædificationis templi, pulchrè conuenire ſimili numero dierum formationis corporis CHRISTI *in vtero matris.*

58 BEATVS Auguſtinus in libro ſecundo de doctrina Chriſtiana cap. 28. & in libro quarto de Trinitate, cap. 5. & in Tractatu quinto in Ioannem, & in libro octoginta trium quæſtionum, in quæſtione quinquageſima ſexta, ait, numerum illum quadraginta ſex, conuenire formationi corporis CHRISTI in vtero matris; Formationem enim humani corporis, perhibent Phyſici,

quadraginta ſex diebus in vtero materno abſolui: & in hoc etiam Beda & Rupertus ſecuti ſunt Auguſtinum. Sed enim hoc, ſi præciſè accipiatur, videtur falſum. Etenim formatio & organizatio corporis Domini noſtri, per quam fit conceptio fœtus & animatio, in inſtanti facta eſt, vt duplici ratione probat optimè Sanctus Thomas in tertia parte, in quæſtione trigeſima tertia & in Articulo primo.

Quomodo ſupradictã Auguſtini ſententiam interpretati ſint Magiſter ſententiarum & Bonauẽtura.

Magiſter ſententiarum in libro tertio in diſtinctione tertia, & 59
ibidem Sanctus Bonauentura ſic Auguſtini ſententiam interpretantur: Corpus CHRISTI fuiſſe in primo inſtanti formatum, ſed adeò paruum, vt eius figuratio, membrorúmque diſtinctio humano viſu diſcerni non poſſet. At poſt quadraginta ſex dies, in ſimilitudinem & modum corporum aliorũ hominum, fuit adſpectabilis & notabilis. Ergo anima CHRISTI à principio fuit in corpore, omnium humanorum corporum quotquot fuerunt, aut erunt, minimo: ſeruata tamen proportione corporis CHRISTI ſecundùm magnitudinem, quam poſtea in ætate adulta & natura habiturum erat: quod dictum ſit, propter eos qui vocantur Nani. Et interpretatio quidem ſententiæ Auguſtini ſecundùm Magiſtrum & Bonauenturam, huiuſmodi eſt.

Vera interpretatio ſententiæ Auguſtini quam tradit B. Thomas.

Sed verior Beati Auguſtini ſententiæ interpretatio eſt ea, quam 60
tradit S. Thomas, in tertia parte in quæſtione trigeſima tertia, in Articulo primo in reſponſione ad primum ait, Beatum Auguſtinum non loqui de formatione tantùm fœtus vſque ad eius conceptum & animationem, ſed de vniuerſa formatione & perfectione corporis Dominici facta in vtero matris ab eius conceptu vſq; ad ortum eius: quæ quidem continet tempus quadraginta ſex dierum, ſexies multiplicatum; & ſic explicat dictum ſuum ipſemet Auguſtinus in libro octoginta trium quæſtionum, in quæſtione quinquageſima ſexta, & in libro quarto de Trinitate in cap. 5. dicens:

Auguſtini verba.

A die vigeſimo quinto Martij, quo Dominus creditur eſſe conceptus, vſque ad diem vigeſimum quintum Decembris, quo die natus eſt, prætererunt ſexies quadraginta ſex dies, hoc eſt, ducenti ſeptuaginta ſex, qui efficiunt nouem menſes & ſex dies; quantum fermè tempus eſt quo fœtus in vtero matris commoratur vſque ad egreſſum ex vtero & ortum eius.

Idem

61 Idem Auguſtinus in capite vigeſimo octauo, libri ſecundi de Doctrina Christiana ſcribit, quoſdam ex hoc numero quadraginta ſex annorum argumentari voluiſſe, CHRISTVM Dominum non minus quadraginta ſex annis vixiſſe in terris. Fortaſſe Auguſtinus iſtis verbis ſignificare voluit Irenæum, qui in libro ſecundo in capite quadrageſimo non dubitauit affirmare, CHRISTVM proximè ad quinquageſimum ætatis annum acceſſiſſe. Verùm, id non probat Irenæus ex hoc loco, ſed ex eo quod infra in capite octauo refert Ioannes, Iudæos dixiſſe CHRISTO: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Sed vndecunque id probet Irenæus malè profectò probat, falsáque eius ſententia eſt: vtpote ſecundùm quam neceſſum eſſet, CHRISTVM nec ſub Pontio Pilato procuratore Iudeæ, nec ſub Tiberio Imperatore mortuum eſſe: quorum illud manifeſtè habet Euangelica hiſtoria: hoc autem omnis tradit Eccleſiaſtica hiſtoria. Nos aduersùs iſtam Irenæi ſententiam copiosè diſputauimus in libro vndecimo noſtrorum Commentariorum in Danielem, in Tractatu ſeptimæ quæſtionis.

Irenæus.

62 Reſtat, vt quaſi pro clauſula diſputationum noſtrarum ſuper hoc ſecundum caput Ioannis, explicemus verba illa quæ ſunt in verſu vigeſimo quarto, propè finem capitis: *Multi crediderunt in nomine eius: ipſe autem* IESVS *non credebat ſemetipſum eis, &c.* Declarandum eſt, quid ſit illud, IESVM non ſe crediſſe eis qui credebant in eum. Quatuor huius loci ſunt interpretationes. Prima eſt Auguſtini: Cognoſcens CHRISTVS, fidem illorum fuiſſe admodum imperfectam, non credebat ſe eis, id eſt, non exponebat illis altiora ſua myſteria; ſicut nec Catechumenis maiora Fidei myſteria explicari ſolent in Eccleſia. Secunda interpretatio eſt Chryſoſtomi & Cyrilli; Sciens IESVS fidem illorum fore inſtabilem, & defecturam; non admittebat eos in ſuam familiaritatem, atque diſcipulatum. Et duplex hæc interpretatio procedit, referendo illud pronomen *eis* ad eos qui dicti ſunt crediſſe in CHRISTVM. Tertia interpretatio eſt Caietani & Ianſennij referentium illud pronomen *eis* non ad illos credentes in CHRISTVM, ſed ad alios quoſdam illis credentibus mixtos: hi ſimulabant fidem & beneuolentiam erga CHRISTVM, cùm tamen

Quid ſit, Ieſum nō ſe credidiſſe credentibus in ipſū quatuor interpretationes.

Auguſtinus.

Chryſoſt. Cyrillus.

Caietanus. Ianſennius.

iam ex eo tempore cœpiſſent odiſſe eum, vt ſibi diſſimillimum moribus, & detegentem, palámque reprehendentem Phariſæorum hypocriſin, & Sacerdotum ambitioni & auaritiæ inſenſum, & aduerſantem. Quarta interpretatio, illud *eis* refert ad Iudæos in vniuerſum: apud quos palàm conuerſari noluit CHRISTVS, ſciens, non ſine periculo ſe inter illos futurum. Quocirca, vt bene aduertit Ianſennius, IESVS relicta Iudæa in Galilæam rediit: nam hoc Ioannes nuſquam alibi ſignificat, cùm tamen infra in capite tertio ſcribat, IESVM veniſſe in Iudæam. Ergo poſt celebrationem Paſchæ, & altercationem cum Iudæis habitam Hieroſolymis, ex Iudæa ipſe diſceſſerat.

Ianſennius.

CAPVT

CAPVT TERTIVM
EVANGELII IOANNIS.

ERAT *autem homo ex Phariſæis, Ni-* VERS. 1.
codemus nomine, princeps Iudæorum.
* *Hic venit ad* IESVM *nocte, &* 2
dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à DEO
veniſti magiſter, nemo enim poteſt hæc
ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit
DEVS *cum eo.* * *Reſpondit* IESVS, 3
& dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi
quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum DEI. * *Di-* 4
cit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſe-
nex? nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, &
renaſci? * *Reſpondit* IESVS: *Amen, amen dico tibi, niſi quis re-* 5
natus fuerit ex aqua, & SPIRITV *ſancto, non poteſt introire*
in regnum DEI. * *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod* 6
natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. * *Non mireris, quia dixi tibi: Opor-* 7
tet vos naſci denuò. * SPIRITVS *vbi vult ſpirat: & vocem* 8
eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui
natus eſt ex ſpiritu. * *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quo-* 9
modo poſſunt hæc fieri? * *Reſpondit* IESVS, *& dixit ei: Tu es,* 10
magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? * *Amen, amẽ dico tibi, quia quod* 11
ſcimus loquimur, & quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium no-
ſtrum non accipitis. * *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quo-* 12

13 modo; ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? * Et nemo aſcendit in
cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cæ-
14 lo. * Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exalta-
15 ri oportet Filium hominis: * Vt omnis, qui credit in ipſum non
16 pereat, ſed habeat vitam æternam. * Sic enim DEVS dilexit,
mundum, vt FILIVM ſuum vnigenitum daret: vt omnis,
17 qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. * Non
enim miſit DEVS FILIVM ſuum in mundum, vt iudicet
18 mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. * Qui credit in
eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia
19 non credit in nomine vnigeniti FILII DEI. * Hoc eſt autem
iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines
20 magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. * Om-
nis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt
21 non arguantur opera eius: * qui autem facit veritatem, venit ad
lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in DEO ſunt facta.
22 * Poſthæc venit IESVS, & diſcipuli eius in terram Judæam:
23 & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. * Erat autem &
Joannes baptizans in Ænnon, iuxta Salim, quia aquæ multæ
24 erant illic, & veniebant, & baptizabantur. * Nondum enim
25 miſſus fuerat Joannes in carcerem. * Facta eſt autem quæſtio ex
26 diſcipulis Ioannis cum Judæis de purificatione. * Et venerunt ad
Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iorda-
nem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes
27 veniunt ad eum. * Reſpondit Ioannes, & dixit: Non poteſt
28 homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo. * Ipſi
vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim: Non ſum ego
29 CHRISTVS: ſed quia miſſus ſum ante illum. * Qui habet
ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit
eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gau-
30 dium meum impletum eſt. * Illum oportet creſcere, me autem mi-
31 nui. * Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de

terra

de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, ſuper om-
nes eſt. * *Et quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur: & teſtimo-* 32
nium eius nemo accipit. * *Qui accepit eius teſtimonium, ſignauit* 33
quia DEVS *verax eſt.* * *Quem enim miſit* DEVS, *verba* 34
DEI *loquitur: non enim ad menſuram dat* DEVS *Spiritum.*
* PATER *diligit* FILIVM: *& omnia dedit in manu* 35
eius. * *Qui credit in* FILIVM, *habet vitam* 36
æternam: qui autem incredulus eſt
FILIO, *non videbit vitam,*
ſed ira DEI *manet*
ſuper eum.

IN CAPVT TERTIVM DISPVTATIONES SEXDECIM.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. I. Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum: hic venit ad IESVM nocte.

IN hoc tertio capite B. Ioannes ſermonem quẽdam refert cœleſti refertum doctrina, quem Dominus noſter habuit cum Nicodemo. In hoc ſermone tria indicãtur magna Chriſtianæ Religionis myſteria: primò enim demonſtratur neceſſitas accipiendi Baptiſmũ CHRISTI ex aqua & Spiritu Sancto ad comparandam vitã æternam, cùm dicitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ* DEI. Deinde, oſtenditur vtilitas Paſſionis & Mortis CHRISTI illis verbis: *ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Tum, indicatur vtilitas & neceſſitas incarnationis Filij DEI, cùm dicitur, *Sic* DEVS *dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit* DEVS *filium ſuum*

in

in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Poſt hæc, commemoratur ampliſſimum quoddam & luculentiſſimum teſtimonium, quod de CHRISTO dixit Ioannes Baptiſta. Hunc ſermonem CHRISTVS habuit extra Iudæam, nam finito eo ſermone dicitur in hoc ipſo capite, CHRISTVM iuiſſe in Iudæam, ibique cum diſcipulis ſuis manſiſſe. Credibile eſt, ſermonem hunc eſſe habitum in Galilæa, & fortaſſe, Capharnai, quæ vocabatur Ciuitas CHRISTI, quòd in ea frequens eſſet prædicando verbum DEI. Illic autem erat Nicodemus, vel quòd eius vrbis ciuis eſſet; vel quia, cùm ea vrbs celebris eſſet & quaſi Emporium quoddam, eò ſe negotiandi cauſâ Nicodemus contulerat. Quo autem tempore hic ſermo habitus ſit à CHRISTO incertum eſt; niſi quod veriſimile videtur, non multò poſt ea quæ ſupra extremo in capite ſecundo narrata ſunt, eſſe habitum.

1 Sed videamus, qualis vir fuerit Nicodemus: ego ſex eum rebus inſignem ac memorabilem reperio. Principio, erat Phariſæus, id autem eſt, ſectæ omnium probatiſſimæ atque exactiſſimæ, maximæque auctoritatis apud Iudæos, ſic enim appellauit eam Paulus, vt refert Lucas in Actis Apoſtolorum. Deinde, Ioannes appellat Nicodemum Principem Iudæorum, ſignificare volens, eum fuiſſe de Primoribus Gentis Iudaicæ, vel propter nobilitatem, vel dignitatem, vel opulentiam, vel ſapientiam. Tum erat ſenex, & ipſa ſenectute grauis & venerabilis. Erat quoque magiſter in Iſrael, ſic enim Dominus eum appellauit, ſicut hoc ipſo in capite refert Ioannes: ſic autem appellatus eſt propter excellentem doctrinam, qua cæteris longè præſtabat. Ad hæc, CHRISTI fuit ſtudioſiſſimus: is quippe, vt infra in capite ſeptimo ſcriptum eſt, in quodam Iudæorum concilio, aliis CHRISTVM calumniantibus atque damnantibus, ipſe omnibus ſeſe conſtanter oppoſuit, CHRISTI patrocinium ſuſcipiens. Ipſe mortuo CHRISTO, mixturæ aloë & myrrhæ centum libras attulit, quo eius corpus honorificè conditum reponeretur in ſepulchro. Fuit præterea vir ille ſalutis animæ ſuæ admodum ſatagens & ſollicitus; ideo enim ad CHRISTVM adiuit, vt ab eo doceretur, quæ ad ſalutem animæ ſuæ conducebant. Sub nomine huius Nicodemi euulgatum fuit olim Euangelium quoddam, ſed tanquam falsò ei affictum, ab Eccleſia

Nicodemus ſex rebus inſignis.

Petrus Natalis quid ſcribat de Nicodemo. Catholica reiectum eſt. Petrus de Natali in libro quarto Hiſtoriæ ſanctorum cap. 3. tradit, Nicodemum fuiſſe nepotem Gamalielis, ad cuius pedes B. Paulus Sacris litteris eruditus eſt: Ait etiam, propter fidem CHRISTI à Iudæis eum fuiſſe occiſum. Conſtat ſanè ex hiſtoriis eccleſiaſticis, tempore Honorij Imperatoris inuentos eſſe ſub terra Hieroſolymis loculos, in quibus erant corpora *Inuentio corporis Nicodemi.* Gamalielis, Nicodemi, & B. Stephani; quorum contactu multa curandis ægrotis edita ſunt miracula, vt cognoſcere licet ex epiſtola Luciani, qui eius inuentionis hiſtoriam fideliter edidit.

Cur Nicodemus noctu iuerit ad Ieſum, tres cauſæ redduntur. *Iudicum 6.* Sed cur Nicodemus nocte iuit ad IESVM; An pudore, ne palam videretur eſſe CHRISTI diſcipulus, qui habebatur magiſter in Iſraël? An metu, ne offenſionem atque odium incurreret Phariſæorum & Scribarum atque ſacerdotum, quos infenſos admodum, & infeſtos CHRISTO eſſe nouerat? ſimilis vtique Gedeoni, qui noctu aram Baal deſtruxit, metu cultorum eius, de die demoliri non auſus. Enimuero, duæ iſtæ animorum noſtrorum affectiones, pudor & timor mundi, ægrè, tardéque vincuntur. An potiùs noctu venit ad CHRISTVM, quietem nocturni ſilentij docendo & audiendo opportuniſſimam captans; ſimúlque ratus, CHRISTVM, id temporis, à diurnis occupationibus vacuum, expeditiorem fore ad ipſum docendum. Sanè, ad Nicodemum iſtum bellè quadrat, quod apud Salomonem loquitur diuina ſapientia: *Prouerb. 8.* *Beatus homo*, inquit, *qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei; qui me inuenerit, inueniet vitã, & hauriet ſalutẽ à Domino.* 2

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 2. Scimus, quia à DEO veniſti Magiſter: nemo enim poteſt facere ſigna quæ tu facis, niſi fuerit DEVS cum eo.

Chriſtum veniſſe à Deo magiſtrum, ſignificare nouẽ res obſeruatione dignas. NOVEM res paucis illis verbis, *A DEO veniſti Magiſter*, ſignificantur. Primò ſignificatur, CHRISTVM fuiſſe eximium & ſingularem & præſtantiſſimum Doctorem: nam cùm aliquid rarum & ſingulare ſignificare 3

care volumus, id à DEO miſſum, vel de cœlo lapſum dicere ſolemus: quo ſpectat illud, inſtar habens prouerbij, *Tertius è cœlo cecidit Cato.* Secundò, oſtenditur etiam, CHRISTVM auctoritatem & poteſtatem docendi homines non ipſum ſibi arrogaſſe, nec eam ab hominibus accepiſſe, ſed à DEO ei donatam eſſe: Deúmque voluiſſe per CHRISTVM docere homines ea, quæ ipſorum intererat ſcire ad comparandam ſalutem & vitam æternam. Et hoc videtur ſpectâſſe Nicodemus dicens, *A* DEO *veniſti Magiſter:* atque hiſce verbis indicâſſe ipſum eſſe Meſſiam, quem DEVS per Iſaiam promiſerat miſſurum ſe Doctorem gentium: *Ecce*, inquit, *teſtem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus:* Talem autem fore Meſſiam etiam in vulgus erat notum, & vſque ad Samaritanos peruulgatum; Mulier enim illa Samaritana dixit Domino: *Cùm venerit* (CHRISTVS) *ille nobis annunciabit omnia.* Tertiò, ſignificatur quoque iſtis verbis, doctrinam CHRISTI non fuiſſe ab hominibus ſed à DEO, nec humano ſtudio & induſtria partam, ſed à DEO ei donatam. Quocirca, mirabundi dicebant Iudæi: *Vnde hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Et CHRISTVS ipſe, *Mea*, inquit, *doctrina, non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Quartò, ſignificatur præterea, CHRISTVM ab initio ſuę incarnationis fuiſſe perfectum doctrina & ſapientia. Si enim venit à DEO Magiſter, venit autem & exiuit à DEO propter aſſumptionem humanæ naturæ: ergo ſimul vt homo factus eſt, fuit perfectus magiſter & doctor. Quintò ex his verbis patet, in CHRISTO præter naturam humanam, fuiſſe alteram naturam longè ſublimiorem: nam ſi venit à DEO Magiſter, ergo fuerat apud DEVM: non autem ratione corporis, tanquam id eſſet cœleſtis ſubſtantiæ, vt nugabatur valentinus Hæreticus: nec ratione Animæ, quaſi ea fuiſſet ab exordio mundi in cœlo, vt Platonizans Origenes fabulabatur. Sextò, hinc liquet, ea quæ CHRISTVS de DEO & rebus diuinis docebat homines, ſicut erant ignota aliis hominibus qui DEVM non viderant; ſic ipſi, qui venerat à DEO, & viderat DEVM, erant notiſſima. Quamobrem, ſupra dixit Ioannes, DEVM *nemo vidit vnquam: vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.* Et Dominus ipſe dixit, *Nos quod ſcimus loquimur; & quod vidimus, teſtamur.* Dixit plurali numero *vidimus*, propter duplicem

Locus Iſaiæ cap. 55.

Ioannis 4.

Ioan. 7.

Ibid.

Ioan. 1.

viſionem DEI quam habebat CHRISTVS: alteram quidem increatam, ea ratione vt DEVS erat: alteram verò creatam, prout erat homo, fuit enim ab initio ſuæ incarnationis, ſecundùm partem ſuperiorem animæ, beatus. Septimò, ſi CHRISTVS venit à DEO Magiſter, ergo doctrina eius diuina eſt, ideóque veriſſima & vtiliſſima & pretioſiſſima; ob idque ab hominibus maximo ſtudio amplectenda, ſummáque diligentia obſeruanda: vt ſine dubio contemptus eius, grauiſſimis à DEO ſuppliciis vindicandus ſit. Octauò, ſi à DEO venit Magiſter, ergo doctrina Moyſi non erat ſufficiens homini ad comparandam æternam ſalutem; alioqui aduentus CHRISTI in mundum non fuiſſet neceſſarius hominibus: hac de re diſputat Paulus in octauo capite Epiſtolæ ad Romanos, ſed propriè in Epiſtola quam ſcripſit ad Galatas. Non itaque CHRISTVS in mundum venit vt per ipſum tantùm melius eſſet homini, cui ſine ipſo bene eſſe poſſet: ſed venit in mundum, vt ſimpliciter benè eſſet homini, cui ſine ipſo bene eſſe nullo modo poterat. Hoc indicare voluit Dominus, cùm dixit,

Ioan.10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Nonò, ſi homini verè diſciplinas & res humanas docenti æquum eſt credere, ſecundùm illam vulgò iactatam ſententiam, *oportet addiſcentem credere*; quantò iuſtius & dignius eſt, CHRISTO qui venit à DEO Magiſter, diuina, ſibique notiſſima, & cunctis hominibus vtiliſſima docenti fidem habere?

Vera miracula eſſe quaſi ſigillum Dei. Sed perpendamus illa verba: *Nemo poteſt facere ſigna quæ tu facis, niſi fuerit* DEVS *cum eo.* 4
Vera miracula ſunt quaſi ſigillum quoddam DEI: quo ſigillo doctrina quæ prædicatur obſignata, euidenter oſtenditur eſſe vera, Deóque accepta: alioqui DEVS, cuius ſolius virtute verum miraculum fieri poteſt, falſitati teſtimonium perhiberet, fidémque faceret, quod vel cogitare, impium eſt. Nec obſtat, malos homines interdum miracula facere, vt Dominus

Mali homines quomodo vera miracula interdum faciant. dixit apud Matthæum cap. 7. Nam ea miracula non faciunt illi ea ratione vt mali ſunt, nec faciunt ea in nomine ſuo, ſed in nomine veri DEI, ad eius doctrinæ quam prædicant confirmationem. Ex veris porrò miraculis euidenter oſtenditur, veracem eſſe doctorem & prædicatorem doctrinæ ad cuius confirmationem fit miraculum: quamobrem vidua illa Sareptana viſo miraculo reſuſcitati

à mor

à mortuis filij ſui ab Elia, dixit ei, *Nunc in iſto cognoui, quoniam vir* *3. Reg. cap.*
DEI *es tu, & Verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Et Hebræi viſis *17.*
tot & tãtis in Ægypto factis per Moſen prodigiis, ſicut ait ſcriptura, crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius. Quin etiam Magi Pharaonis qui ſe ſe Moyſi oppoſuerant, acritérque reſtiterant, poſt *Exod. 14.*
tertiam tamen plagam non auſi ſunt ei aduerſari, ſed veritate conuicti, cedentéſque dixerunt, *Digitus* DEI *eſt hic:* & Raab meretrix, vt in libro Ioſue ſcriptum eſt, exploratores à Ioſue miſſos domo ſua accepit, ſeruauítque propter prodigia quæ pro liberatione Hebræorum in Ægypto facta eſſe audierat. *Ibid. 8.*

TERTIA DISPVTATIO.

Confutantur variæ impiorum hominum calumniæ, quibus fidem illi miraculis CHRISTI *abrogare conati ſunt.*

5 ILLIS Nicodemi verbis: *Nemo poteſt ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit* DEVS *cum eo*, apertè oſtenditur, miracula quæ faciebat CHRISTVS, talia fuiſſe, vt ea non alia ratione fieri potuerint, quàm per infinitam DEI poteſtatem, ideóque veriſſima eſſe & ab omnibus credenda & veneranda. Sed enim, multi fuêre diuerſis temporibus homines impij, & Chriſtiani nominis & doctrinæ hoſtes, qui, ne propter tot & tanta CHRISTI miracula doctrinam eius & religionem veram eſſe fateri cogerentur; variis modis eorum miraculorum fidem labefactare, claritatémque infuſcare conati ſunt. Quidam dixerunt, ea non fuiſſe vera miracula, ſed ficta, & ſpeciem quandam tantùm & ſimulationem veritatis habentia, & ita ſpectantium hominum ſenſus fallentia. Alij dixerunt, miracula CHRISTI non poteſtate DEI, ſed adiutorio & artificio Dæmonum eſſe patrata; Chriſtúmque inſignem fuiſſe Magum. Nonnulli etiam CHRISTI miracula referebant ad excellentem quandam temperamenti corporis eius rationem, ob quam in CHRISTO erat naturalis quædam virtus faciendi miracula; quemadmodum in herbis, & lapidibus, & animalibus, propter occultam rationem temperamenti, inſunt ſingulares quædam facultates & virtutes naturales *Quatuor modi, quibus homines quidã impij fidem miraculorum Chriſti deſtruere conati ſunt.*

rerum mirabilium effectrices; vt in lapide qui vocatur Magnes, naturalis eſt virtus ad ſe ferrum attrahendi; & in piſce qui appellatur Remora, mira virtus & potentia eſt vel incitatiſſimum nauigij, cui adhæreſcit, curſum ſiſtendi. Nec defuerunt, qui miraculorum CHRISTI cauſas conferebāt in poteſtates & virtutes cœleſtium ſyderum; vel quia CHRISTVS ſub feliciſſima ſyderū poſitura & cōſtitutione natus, inde vim faciēdi talia miracula traxiſſet: vel, quòd ſyderalis doctrinæ peritiſſimus cùm eſſet, ſapienter obſeruaret virtutes aſtrorū, per quas talia opera ſiue miracula fierent. Atque his quatuor modis homines impij veritatem & fidem miraculorum CHRISTI obſcurare ac deſtruere conati ſunt.

Oſtenditur Chriſti miracula non ficta fuiſſe ſed veriſſima.

Verùm huiuſmodi aduersùs CHRISTI miracula calumniæ, 6
falſæ, nugales, ridiculæ, abſurdæ ſunt. Principio, miracula CHRISTI fuiſſe vera, conſtat iudicio eorum hominum qui ea ſpectabant, non tantùm ea credentium vera, ſed admirantium etiam atque venerantium, ob idque doctrinam CHRISTI amplectentium. Nec ſanè, veritatis diuturna eſt ſimulatio, confeſtim enim pateſcit, & vaneſcit: miracula verò CHRISTI, eadem ſemper manebant, eorum permanente ſemper effectu, qui certum erat veritatis argumentum. Et circa quos ea miracula fiebant, illi experiebantur in ſe ipſis ea eſſe vera; vt cœci à CHRISTO illuminati, ſentiebant ſe videre; ſurdi, audire; paralytici, expeditè ingredi; mortui, denuò viuere: ſcitéque dixit cœcus ille natus & à CHRISTO illuminatus, *Hoc vnum ſcio, quia cùm cæcus eſſem, modò video.*

Ioan. 9.

Miracula Chriſti, Dæmonum operâ non eſſe facta.

Deinde, miracula CHRISTI non fuiſſe facta Dæmonum ad- 7
iutorio & artificio, luce ipſa meridiana clarius eſt. Nullus enim mortalium, adeò fuit vniuerſo Dæmonum generi contrarius, vt CHRISTVS; vtpote quos ex humanis corporibus eiiciebat; quorum inſidias & occultas fallacias euulgabat; à quorum cultu ad veri DEI cultum & venerationem homines reuocabat; quorum imperium in homines funditus euertebat. Et euentus ipſe oſtendit, poſt CHRISTI aduentum, & prædicationem Euangelij, in vniuerſo terrarum orbe cultum Dęmonum ex mentibus animiſq; hominum maxima in parte, exploſum fuiſſe. Adiice, quòd multa fecit CHRISTVS miracula, quæ omnem Dæmonum, omníſq; naturæ

naturæ creatæ potentiam longè ſuperabant, vt cœcos natos ſubitò illuminare, & mortuos ad vitam reducere: penetrare in corda hominum, malóſque animorum affectus ſubitò in contrarium mutare.

8 Quòd autem miracula CHRISTI ad vires cauſarum natura- *Miracula*
lium vel cœli, vel temperamenti, vel alius cuiuſquam rei natura- *Christi non*
lis nullo modo referri queant, ex paucis quæ hoc loco ſubiiciam, *poſſe referri*
planè lector intelliget. Omnis virtus naturalis non poteſt operari *ad cauſas na-*
quidquam niſi per contactum: CHRISTVS autem multa fecit *turales, neque*
miracula circa res abſentes, longéque remotas: ſic enim filium *cœleſtes, ne-*
Reguli, & puerum Centurionis, & filiam Chananææ ſanauit. Vir- *que ſubluna-*
tus item naturalis non ſubitò agit & producit effectum ſuum, ſed *res.*
certo quodàm ad agendum, & producendum effectum, temporis *Ioan. 4.*
indiget ſpatio: nec ſine certa præparatione materiæ, nec niſi per *Matth. 15.*
ordinatas quaſdam mutationes ad effectum peruenit. At CHRI- *Ibid. 15.*
STVS ſubitò miracula faciebat: dixit ei leproſus, *ſi vis, potes me* *Ibid. 8.*
mundare. Reſpondit ei CHRISTVS, *Volo mundare: & confeſtim mundata eſt lepra eius.* Præterea, virtus naturalis determinata eſt ad vnum aliquem effectum, nec poteſt quodlibet facere: CHRISTVS verò miracula omnis generis faciebat, in cœlo, in aëre, in aqua, in piſcibus, in arboribus, in hominibus, & in Dæmonibus; omnia genera morborum ſanabat, idque vel ſolo verbo, vel tactu corporis ſui, vel veſtis, vel etiam ſine iſtis. His accedit, quòd virtus naturalis habet naturale ſubiectum in quo ſolo eſt, & extra quod nec eſſe, nec operari poteſt: CHRISTVS autem, non ſolùm ipſe vim habuit faciendi miracula, ſed eam quibuſcumque voluit etiam impertiuit: ita, vt per ipſum, ad vmbram prætereuntis B. Petri multi ſanarentur. Denique, omnis cauſa naturalis fi- *Act. 2.*
nitam habet virtutem & potentiam: CHRISTVS ſuſcitabat mortuos, quod ſine infinita DEI potentia effici non poteſt. Cúmque CHRISTVS imperiũ haberet in Dæmones qui nullis ſubiacent cauſis naturalibus, ſatis apparet, virtutem eius faciendi miracula non fuiſſe à cauſis naturalibus. Hoc ipſum etiam declarat modus quo CHRISTVS faciebat miracula, magna ſcilicet au- *Matth. 8.*
ctoritate, & propria poteſtate, dicens, *Volo mundare: tibi dico, ſurge &* *Luc. 7.* *Mar. 1.*
ambula: obmuteſce, & exi de homine.

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 3. Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum DEI.

NICODEMO credenti, & dicenti, IESVM veniſſe 9
à DEO Magiſtrum, Dominus, Magiſtri erga ipſum munere fungens, declarare cœpit ei doctrinam ſuam; incipiens tanquam à ianua & aditu Chriſtianiſmi, qui eſt Baptiſmus. Nec eſt non veriſimile, Nicodemum nonnulla fuiſſe à CHRISTO ſciſcitatum, velut de recta & compendiaria via perueniendi ad vitam æternam; & num præter obſeruantiam legis Moſaycæ, alia re quapiam opus eſſet ad comparandam ſalutem æternam. Et quia CHRISTVS, & Ioannes Baptiſta prędicabant, appropinquâſſe iam Regnum DEI, exiſtimare licet, Nicodemum quæſiuiſſe de CHRISTO, quale, & vbi eſſet illud Regnum, & qua ratione comparari ab homine poſſet: Hæc autem tacuit Ioannes Euangeliſta, vt quæ ex Nicodemi reſponſis facilè coniectari poſſent.

De ſignificatione illius vocis Hebraicæ *Amen* legenda ſunt, 10
B. Hieronymus. *De ſignificatione vocis* Amen, *& triplici eius vſurpatione.*
quæ ſcripſit B. Hieronymus in Epiſtola 137. quam ſcripſit ad Marcellam. Eius porrò vocis triplex in Sacris litteris eſt vſurpatio aliquando ea vox eſt optantis, & precantis vt quod dicitur, *eueniat:* ſic multi terminantur Pſalmi in quorum fine ponitur, *Amen, Amen,* pro quo interpres Latinus, ſecutus indubiè ſeptuaginta interpretes, poſuit *fiat, fiat.* Videat lector caput quintum libri Numerorum, & vigeſimum ſeptimum Deuteronomij. Interdum vox *Amen* eſt vehementer aliquid aſſeuerantis, pro quo Latinè dicitur, *verè,* vel *certè.* Marci cap. 12. Dixit Dominus *Amen dico vobis, quòd vidua hæc pauper plus omnibus miſit.* Hoc ipſum narrans Lucas, pro illo, *Amen dico vobis,* poſuit, *Verè dico vobis.* Nonnunquam ea vox gerit vicem nominis, ſignificans verum & fidelem, vt apud Iſaiam cap. 65. *Qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in* DEO *Amen:* id eſt, in DEO veraci & fideli: & in Apocalypſi cap. 3. *Hæc dicit Amen,*

Lucæ 21.

Locus Iſaiæ 65.

Amen, teſtis fidelis & verus, qui eſt principium creaturæ DEI: vbi nomen *Amen* quid ſignificaret, declarauit ſubdens illa verba, *Fidelis & verus.* In hoc Euangelio Ioannis crebrò vſurpatur hæc vox *Amen* & ferè geminata; quod ſublimiora myſteria quæ in eo tractantur, maiori eſſent aſſeueratione firmanda.

11 Sequitur *Niſi quis renatus denuò fuerit*, illa dictio *Niſi* ſæpius à *Quam vim habeat dictio* CHRISTO vſurpata eſt ad ſignificandam neceſſitatem eius quod *Niſi.* dicebat, vt infra cap. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, & apud Lucam *Niſi pœnitentiam egeritis*, *Luca 3.* *omnes ſimiliter peribitis*, & apud Matthæum, *Niſi conuerſi fueritis, &* *Matth. 18.* *efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* Hoc etiam loco, per eam vocem ſignificatur, tantam eſſe Baptiſmi neceſſitatem, vt ſine eo, peruenire ad regnum DEI nemo poſſit. Et quia Dominus ſimpliciter & ſine vlla exceptione locutus eſt, ex eo intelligitur, neceſſarium eſſe Baptiſmum cunctis hominibus tam iuſtis, quàm peccatoribus, tam adultis, quàm paruulis: legenda ſunt quæ ſuper hac re diſputat Auguſtinus in libro quarto contra *Auguſtinus,* Donatiſtas cap. 22. & libro decimo de Geneſi ad litteram cap. 23. & quæ ſcribit Origenes in libro quinto commentariorum in Epi- *Origenes.* ſtolam Pauli ad Romanos, & Dionyſius Areopagita in capite vl- *Dionyſius. Areopagita.* timo libri de Eccleſiaſtica Hierarchia. Pro illo autem *Renatus* Græci codices habent ſimpliciter, *natus* vel *genitus*, & ſic legit hunc locum Auguſtinus in libro vigeſimo quarto contra Fauſtum: cre- *Auguſtinus.* dúntque nonnulli, ſic vertiſſe Latinum interpretem, quòd alioqui ſuperflua videretur alterutra vox, vel *Renatus* vel *Denuò.* Sed enim, iſtud *Renatus* habent pleráque exemplaria Latina, eáque emendatiora, & in his Biblia Sixtiana, Romæ nuper diligenter emendata & in lucem edita. Quocirca putandum eſt, Latinum interpretem non tam voluiſſe exprimere ſignificationem vocis Græcæ, quàm ſententiam Domini docere volentis, opus eſſe homini regeneratione quadam ſpirituali, & quaſi ſecunda quadam Natiuitate. Sanè, in capite tertio Epiſtolæ ad Titum Baptiſmus nominatur lauacrum regenerationis: & B. Petrus in capite primo ſuæ prioris Epiſtolæ ita ſcripſit: *Qui ſecundùm ſuam miſericordiam regenerauit nos in ſpem viuam.*

12 Cæterùm, ſcire lectorem volumus, triplicem in Sacra ſcriptura *De triplici*

generatione hominis.

tradi generationem hominis: primam quidem Carnalẽ, per quam naſcimur vt ſimus in hoc mundo; & naſcimur obnoxij peccatis & miſeriis: cuius rei ſignum eſſe videtur, quòd homo naſcitur flens,

Hominẽ naſci flentem & nudum & curuum, quid ſignificet.

& nudus, & curuus. Flens naſcitur, quaſi præſagiens miſerias quæ ipſum manent: nudus naſcitur, quaſi ſpoliatus veſte iuſtitiæ originalis & innocentiæ: naſcitur curuus, quaſi auerſus à rebus cœleſtibus, & pronus ad res terrenas. Altera generatio hominis eſt ſpiritualis, & fit per Baptiſmum; per hanc nempe efficimur boni & iuſti; ſed non beati; & ab omni quidem peccato mundamur, ſed non ab ærumnis & miſeriis liberamur. De huiuſmodi generatio-

Locus 1. Petri cap. 2.

ne hominis ſpirituali dixit Petrus: *Sicut modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite.* Tertia eſt generatio cœleſtis ad vitam immortalem & beatam tam animæ quàm corporis, quæ fiet per glorioſam reſurrectionem hominum: etenim CHRISTVS Dominus, vt refert Matthæus cap. 19. futuram hominum reſurrectionem appellauit regenerationem: & Paulus apud Lucam in

Quomodo Fideles in præſenti vita ſint infra vterum Eccleſiæ.

Actis Apoſtolorum cap. 13. Illam Dauidis ſententiam in Pſalmo ſecundo, *Ego hodie genui te,* de CHRISTI reſurrectione interpretatus eſt. Ergo, iuſti & ſancti homines dum in terris viuunt, ſunt tanquam intra vterum Eccleſiæ; & in eam conuenit illud Domini

Locus Ioannis cap. 16.

dictum: *Mulier cùm parit, triſtitiam habet; cùm autem peperit, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo.* Sicut igitur humanus fœtus, dum eſt imperfectus, non deſiderat ex vtero exire; cùm autem iam perfectus eſt, geſtit erumpere ex vtero, ampliorem deſiderans locum, vberiorémque cibatum, & liberiorem reſpirationem: ſimiliter etiam imperfecti Chriſtiani non cupiunt

Ad Philip. 1.

ex hac vita exire; perfecti autem flagrantiſſimè cum B. Paulo cupiunt diſſolui, & eſſe cum CHRISTO: & gemebundi clamant

Pſal. 119.

cum Dauide: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*: & cum

Pſal. 4.

eodem ſuſpirantes dicunt: *Quando veniam, & apparebo ante faciem* DEI. Illo autem verbo *Renatus, denuò natus*, manifeſtè arguitur

Animaduerſio in Caietanum.

falſa Caietani ſententia putantis, infantes vtero matris incluſos, ſi periculum eis vitæ immineat, vice Baptiſmi, per fidem parentum, & cæremonias & precationes aliquas exteriores eis adhibitas ſaluari poſſe.

Varia & honorifica nomina Baptiſmi.

13 Baptiſmus porrò, multis & variis & honorificis nominibus, tum in

in Sacris litteris, tum à Patribus appellatur atque inſignitur. Vocatur à Paulo lauacrum regenerationis & renouationis; mors peccati; reſurrectio à peccato ad iuſtitiam; noua creatura nominatur Sacramentum Chriſtianæ militiæ; matrimonium ſpirituale animæ cum DEO; adoptio filiorum DEI; Sacramentum illuminationis; ſpiritualis quædam inſitio & incorporatio in CHRISTVM; donatio ciuitatis cœleſtis, qua efficimur ciues ſanctorum & domeſtici DEI; acquiſitio iuris hæreditatis æternæ; Oſtium Eccleſiæ, & ianua Chriſtianiſmi.

14 Neque verò Dominus his verbis voluit tunc imponere neceſſitatem hominibus accipiendi Baptiſmum, quaſi ex eo tempore lata ſit lex Baptiſmi accipiendi obligans omnes, ſicut putârunt quidam tempore Hugonis & Beati Bernardi, cuius extat Epiſtola ſeptuageſima ſeptima iſtam refellens opinionem. Sanè lex, niſi ante publicata, non obligat: CHRISTVS autem dixit hæc noctu, & priuatim cum Nicodemo ſermocinans. Nec ipſe niſi poſt reſurrectionem ſuam; iuſſit Apoſtolos legē Baptiſmi promulgare: Enimverò, ſatis oneroſum fuiſſet, obligare Iudæos neceſſitate Baptiſmi, qui erant obſtricti lege circumciſionis, quæ lex viguit vſque ad paſſionem & mortem CHRISTI. Nec illa verba: *Niſi quis renatus fuerit*, declarant neceſſitatem Baptiſmi tunc accipiendi: ſimiliter enim infra cap. 6. de Sacramento Eccleſiaſticæ Dominus dixit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Conſtat autem, Euchariſtiæ Sacramentum fuiſſe in vltima Cœna à CHRISTO inſtitutum. Ergo Dominus illis verbis ſignificauit neceſſitatem Baptiſmi, ſuo tempore, id eſt poſt Euangelij promulgationem futuram.

Quando ſit lata lex obligans homines ad baptiſmū accipiendum. Hugo. Bernardus.

15 Pro illa particula *Denuò* Græca vox (ἄνωθεν) eſt ambiguæ ſignificationis, ſignificat enim & *ſupernè*, & *iterum*, vt hic monuit Chryſoſtomus. Priori modo Cyrillus & Theophylactus; poſteriori autem modo Auguſtinus, Caietanus, & Ianſennius acceperunt. At enim, poſteriori modo eam vocem eſſe interpretandam, patet ex reſponſo illo Nicodemi: *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex; Nunquid poteſt, in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?* CHRISTVS enim non Græcè iſta verba dixit, ſed Hebraicè; non eſt autem apud Hebræos, ſicut neque apud Latinos, vna vox ſignificans,

Vox denuò, quā vim hoc loco habeat. Chryſoſt. Cyrillus. Theophylact. Auguſtinus. Caietanus. Ianſennius.

ficans, & *ſupernè*, & *iterum*, bene igitur Latinus interpres Græcam vocem vertit *Denuò*.

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum DEI.

NON intellexerat Nicodemus, quod ei Dominus di- 16
xerat, *Niſi quis renatus denuò fuerit, non poteſt videre regnum* DEI, quin etiam mirabundus reſponderat: *Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? nunquid poteſt in ventrem matris iterum introire & renaſci?* Quocirca Dominus repetens eandem ſententiam, adiecit illud *ex aqua & Spiritu ſancto*, declarans, illam de qua locutus fuerat hominis renaſcentiam, non per carnalem generationem fieri, ſed per ſpiritualem, per aquam ſcilicet & Spiritum ſanctum. Atque his verbis indicauit propriam Baptiſmi materiam, quæ eſt aqua, & principalem cauſam efficientem, qui eſt Spiritus ſanctus, vnde Baptiſmus virtutem habet regenerandi, & renouandi, & ſanctificandi hominem. Similiter Paulus in capite tertio Epiſtolæ ad Titum appellauit Baptiſmum, lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, ita ſcribens: *Secundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, per* IESVM CHRISTVM *ſaluatorem noſtrum.* Et licèt aqua per ſe vim non habeat renouandi & ſanctificandi animum hominis; proprietates tamen naturales aquæ conuenientiam quandam habẽt cum iis rebus quas DEVS in animis hominum operatur per Baptiſmum. Etenim aqua eſt diaphana ſiue tranſlucida, totáque penetrabilis à luce; aqua lauat, fœcundat, refrigerat, & vehit nauigia; horum ſimilia virtus Baptiſmi per Spiritum ſanctum facit in animis hominum.

Quinque naturales aquæ proprietates, quarum ſimiles ſunt ſpirituales effectus Baptiſmi in hominũ animis.

Aquæ verò nomine, in qua fieri debet Baptiſmus, ſemper Ec- 17
cleſia Catholica intellexit aquam veram & naturalem; & in ea ſemper

Qualis aqua ſit materia Baptiſmi.

ſemper Eccleſia, vſque à tempore Apoſtolorum, Baptiſmum adminiſtrauit. Quapropter, contra omnes Hæreſes aliter ſentientes nouiſſimè in Concilio Tridentino in ſeſſione ſeptima editus eſt Canon ſecundus, in quo feriuntur Anathemate, quicunque dixerunt, aquam veram non eſſe neceſſariam Baptiſmi materiam; & cùm in hoc loco & alibi dicitur, Baptiſmum fieri ex aqua, nomine aquæ ad metaphoricas interpretationes detorquendo dixerunt ſignificare mortificationem, aut vim Spiritus purgantem peccata & recreantem animum, & ardorem concupiſcentiæ refrigerantem. Sed enim, renaſci in Spiritu, abſolutè & in omni tempore neceſſarium fuit; at renaſci ex aqua non fuit neceſſarium, niſi poſt promulgationem Euangelij, & vbi fuerit aqua, & qui baptizare queat.

Concilii Tridentinum.

18 Hanc Baptiſmalem aquam multa prefigurarunt in veteri Teſtamento. Aqua egrediens de templo Domini ſanans & viuificans omnia, de qua eſt apud Ezechielem cap. 47. Fons ille de quo dixit Zacharias cap. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris.* Aqua Iordanis mundans lepram Naaman, ſicut ſcriptum eſt in quarto Regum cap. 5. Tranſitus Hebræorum per mare rubrum ſubductæ nubis, de qua ſic Paulus 1. ad Corinthios 10. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe, baptizati ſunt in nube & in mari.* Diluuium Noëticum, de quo B. Petrus. *In qua* (ſcilicet arca Noë) *octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam: Quod & vos nunc ſimilis forma ſaluos facit Baptiſma; non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio &c.* Denique Probatica piſcina omnes ſanans infirmitates, de qua ſcribit B. Ioannes in capite quinto huius Euangelij.

Sex res in veteri teſtamento præfigurantes virtutem aquæ Baptiſmalis.

Exod. 14.

1. Pet. 3.

19 Illud porrò *ex Spiritu ſancto* denotat cauſam principalem à qua prouenit admirabilis effectus quem facit aqua Baptiſmalis in animis hominum: Quocirca qui fictè vel indignè baptizatur, in aqua quidem baptizatur, ſed non in Spiritu ſancto, non accipiens principalem eius effectum, qui eſt remiſſio peccatorum, & renouatio interioris hominis per dona cœleſtia. Aqua itaque eſt inſtrumentum Spiritus ſancti à quo vim habet abluendi ſordes animorum: ſicut virga Moſis vim habuit faciendi miracula; pallium Eliæ, diuidendi

Vnde aqua Baptiſmi tãtam vim habeat vt animorum peccata abluat & tollat.

4. Reg. 2.

uidendi aquas Iordanis &; ipſa Iordanis qua, lauãdi leprã Naaman; & ipſa Probatica piſcina, vt ſupra diximus, ſanandi omnes infirmitates. Noli cõſiderare inquit Cyrillus, naturam aquæ, ſed virtutem Spiritus qui vtitur aqua: nam vt aqua ex ſe non habet vim calefaciendi, ſed commixta igni calefacit: ita nec per ſe vim habet remittendi peccata, ſed coniuncta Spiritui ſancto, peccata remittit. Sciat lector, Græcè non eſſe illud *ſancto* ſed præciſè *Spiritu*; additum autem fuit ab interprete illud *ſancto* ad tollendam ambiguitatem vocis *ſpiritus*, quæ ſæpenumero in Sacris litteris ſignificat ventum.

Cyrillus.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Non poteſt introire in Regnum DEI.

VERS. 5.

PRIMO dixerat Dominus, quod ſupra ſcriptum eſt, *Non poteſt videre Regnum* DEI, poſtea dixit, quod eſt in hoc loco, *nõ poteſt introire in Regnũ* DEI. Sed vtrobique ſignificatur idem, & diuerſis verbis eadem res declaratur; Regnum enim DEI, intrando in ipſum, videtur, & videndo Regnum DEI, intratur in ipſum. 20
Quid autem hoc loco ſignificet Regnum DEI, quatuor ſunt interpretationes. Quidam Regnum DEI interpretantur DEI eſſentiam, cuius viſionem beatificam nemo aſſequi poteſt tempore legis Euangelicæ, ſine Baptiſmo. Quemadmodum oculo ad clarè videndum, opus eſt aqua & Spiritu, id autem eſt, humore aqueo & cryſtallino, vbi fit viſio; & ſpiritu viſiuo per quem fit viſio. Alij illud, *videre*, interpretantur cognoſcere & intelligere: Regnum autem DEI ſignificare aiunt ſublimiora CHRISTI myſteria, & doctrinam Euangelicam, quam nemo ſine fide, quæ datur in Baptiſmo, poteſt capere ſicut oportet. Nonnulli dicunt, hoc loco illud, *videre*, poſitum eſſe more Hebraico pro ſentire, experiri, percipere, vt in Pſalmo 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et Lucæ 2. & in capite octauo huius Euangelij dicitur videre mortem. Regnum verò DEI, ſecundùm iſtos, ſignificat vel gloriam

Quatuor opiniones de ſignificatione Regni Dei.

riam cœleſtem quam ſancti ſuſpirantes aduenire petunt quotidie, dicentes, *Adueniat Regnum tuum.* Vel Regnum DEI ſignificat etiam in hac vita iuſtitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu ſancto, ſecundùm illud Pauli ad Romanos cap. 14. *Regnum DEI non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Caietanus ait, Regnum DEI duplicem habere ſtatum: alterum quidem in præſenti vita, in mentibus fidelium per iuſtitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu ſancto ſicut dixit Apoſtolus: Alterum verò ſtatum habet Regnum DEI in futura vita æternæ fœlicitatis; vnde videre Regnum DEI in ſtatu fœlicitatis, eſt proprium Beatis, quibus ſolis datum eſt videre fœlicitatem cœleſtem in ſe ipſa, videre autem ſic Regnum DEI in præſenti vita, nullis, aut paucis Electis conceditur, in fide enim illius Regni, & non in euidenti eius viſione nunc ambulamus. Cùm autem Dominus dixit: *Non poteſt videre Regnum* DEI de expectata, & deſiderata, & præparata cunctis Electis viſione Regni DEI, ſecundùm ſtatum futuræ vitæ ac fœlicitatis æternæ, locutus eſt. Sic ille.

Matth. 6. *Caietanus.*

21 Quòd ſi nemo introire poteſt Regnum DEI ſine Baptiſmo, ergo Baptiſmus aperit aditum homini ad Regnum DEI: cuius rei figuram illud prætulit, quòd Elias tranſito Iordane raptus eſt in cœlum: eodémque Iordane flumine tranſmiſſo, intrauerunt Hebræi terram promiſſionis: & Baptizato Domino noſtro aperti ſunt cœli. Etenim duæ res prohibent hominem ingreſſu in cœlum; & ipſum peccatum, & quamuis nullum eſſet peccatum, ipſa naturæ humanæ indignitas, quæ cœleſti fœlicitate, quæ eſt quid ſupernaturale ac diuinum, non eſt digna: vtrunque porrò impedimentum tollitur per Baptiſmum, per quem ſcilicet tolluntur peccata, & datur homini gratia faciens eum dignum vita æterna.

Quòd Baptiſmus aperiat homini cœlū, triplex figura. *4. Reg. 2.* *Ioſue 2.* *Duo hominis impedimenta introeundi in Regnum Dei.* *Matth. 3.*

22 Legimus in Sacris litteris, triplex fœdus cum homine DEVM pepigiſſe, adhibito ſigno aliquo externo eius fœderis. Primò quidem, fœdus pepigit cum Noë de non mittendo in terram iterum diluuio; & huius fœderis ſignum fecit arcum cœleſtem in nubibus apparentem, vt ſcriptum eſt in capite nono libri Geneſis. Deinde, fœdus pepigit cum Abraham de danda poſteris eius in poſſeſſionem terra Chanaam, cuius fœderis ſignū ſtatuit circumciſionem carnalem vt legimus Geneſis 17. Poſtremò veniens ipſe

Triplex fœdus Dei cum hominibus per aliquod ſignū externum.

Cc DEVS

DEVS in mundum homo factus, fœdus pepigit cum omnibus hominibus de aperiendo eis introitu in Regnum DEI, & huius fœderis ſignum fecit Baptiſmum, cùm dixit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum* DEI. In exordio mundi Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, vt mundum hunc corporatum & adſpectabilem conderet: id autem quodammodo præfigurauit Baptiſmum, qui fit per aquam & Spiritum ſanctum, & per quem fundata eſt Eccleſia. Et ſicut in mundi principio: ex aqua producti ſunt piſces, atque etiam aues, vt multorum fert ſententia: ita per Baptiſmum regenerantur Chriſtiani; ſed eorum alij, vt piſces aquis immerſi, in rerum terrenarum cupiditatibus & curis verſantur: Alij verò, tanquam aues, ad ſublimium & cœleſtium rerum euolant contemplationem.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 8. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu.

Quid ſignificet hoc loco vox Spiritus. duæ ſententiæ doctorum, & prior quòd ſignificet ventum.

Chryſoſt. Cyrillus. Theophylact. Euthymius. Dionyſius Areopagita.

HÆC verba duas habent difficultates; quarum altera eſt, quid hoc in loco ſignificetur nomine *Spiritus*, vtrum ventus, an Spiritus ſanctus, nam vtrunque in Sacris litteris vocabulo Spiritus appellari ſolet. Altera difficultas eſt, quomodo verba ipſa vel ad ventum, vel ad Spiritum ſanctum aptè commodéque applicari queant. De ſignificatione vocis *Spiritus*, in hoc loco, duæ ſunt Doctorum ſententiæ. Altera eſt Chryſoſtomi, Cyrilli, Theophylacti, Euthymij, &c, qui ante iſtos omnes fuit, Dionyſij Areopagitæ, cuius verba paulò infra referemus. Iſti cenſent, nomine Spiritus intelligendum eſſe hoc in loco ventum; & voluiſſe Dominum ſimilitudine venti declarare, quales ſint homines qui per aquam & Spiritum ſanctum renaſcuntur. Hæc porrò verba hunc in modum connectunt cum ſuperioribus: Non eſſe mirum, regenerationem 23

nerationem hominis ex Spiritu, non intelligi à Nicodemo, quamuis ipſa verè fiat, & ſatis manifeſtos habeat effectus: nam nec ventus, quamuis & ſono & tactu, & per alios eius effectus, cognobilis ſit, per ſe tamen ignotus nobis eſt, quia inuiſibilis eſt, nec vnde veniat, aut quò tendat, notum eſt. Tres autem proprietates venti ſupradictis Domini verbis ſignificantur; vna eſt, quòd ſpirat vbi vult; altera eſt, quòd vox eius auditur; tertia eſt, quòd neſcitur vnde veniat, aut quò vadat.

Octo proprietates venti accõmodabiles ad Spiritũ ſanctum, & ad renatos ex Spiritu sãcto.

24 Dicitur ventus ſpirare vbi vult, non propriè loquendo, non enim habet voluntatem, neque conſilio atque electione mouetur & operatur: ſed metaphoricè loquendo, quia naturali ſuo impetu fertur, non pendens à conſilio & voluntate & imperio hominum. Eſt igitur figurata locutio, ſicut illa Pauli ad Romanos cap. 8. aientis, creaturam ingemiſcere & parturire, & expectare gloriam filiorum DEI, & ſubiectam eſſe vanitati non volentem. Secunda proprietas venti, ſignificatur illis verbis: *Et vocem eius audis*, dixit vocem, pro ſonitu; ſolet enim ſcriptura vocem tribuere rebus etiam inanimis, in Pſalmo centeſimo tertio dicitur vox tonitrui, *A voce tonitrui tui formidabunt.* & in Pſalmo vigeſimo octauo, ſepties dicitur vox Domini, & ſignificatur tonitruum: frequens etiam eſt dicere voces aquarum, vt in Pſalmo nonageſimo ſecundo, *Eleuauerunt flumina vocem ſuam, eleuauerunt flumina fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum.* Ergo vox venti appellatur ingens ſonitus quem edit ventus cùm eſt vehemens, & in corpora ſolida impingit: ſicut dixit Lucas: *Factus eſt repentè de cælo ſonitus tanquam aduenientis Spiritus vehementis.* Licèt enim ventus lateat viſum, afficit tamen ſonitu ſuo, ferítque auditum; tactum quoque, tum motu quo propellit corpus; tum qualitatibus quibus eſt infectus, vt ſi valde calidus aut frigidus fuerit. Tertia proprietas indicatur verbis illis: *Neſcis vnde veniat, aut quò vadat*, quod ita eſt intelligendum: Quamuis in alia quapiam re viſibili quam ventus mouet, diſcerni queat vnde ſpiret ventus; & quamuis ratio ipſa & experientia demonſtret, Boream flare à Septentrione, Auſtrum à Meridie, Eurum ab ortu, Zephyrum ab occaſu; ex quo tamen loco primum fiat initium motus cuiuſque venti, & vbi denique ex toto deficiat, ignoratur: & illa ipſa quæ cognoſcun-

Quomodo intelligendum ſit, ventũ ſpirare vbi vult.

Act. 2.

 tur,

tur, non ex ipſo vento, qui latet viſum, ſed vel ex effectibus eius, vel ex aliis rebus quæ mouentur à vento deprehenduntur. Rectè igitur in capite vndecimo libri Eccleſiaſtæ ita ſcriptum eſt: *Ignoras quæ ſit via ſpiritus.* Et in Pſalmo 134. dicitur DEVS producere ventos de theſauris ſuis, id autem eſt, de locis ſecretis & abditis, in quibus eos quaſi coërcens, recluſos continet.

Locus Eccleſiaſtæ c. 11.

Præter ſupradictas tres venti proprietates, ſunt aliæ quinque ſa- 25
tis obſeruabiles. Quarta proprietas: etſi ventus eſt inuiſibilis & tenuiſſimus, eſt tamen potentiſſimus & violentiſſimus; arbores quippe nonnunquam radicitùs euellit, turres deiicit, ſaxa raptat, & in ſublime iactat, montes tremefacit, atque diſrumpit. Quinta proprietas: per omnia ſe ventus inſinuat, & permeat, atque penetrat, omniáque implet. Sexta proprietas: ventus quibuſdam eſt noxius, aliis ſalubris; quibuſdam in mari nauigantibus eſt ſecundus, aliis aduerſus, quoſdam feliciter prouehit ad portum, alios deturbat & demergit in profundum mare. Septima proprietas: Nonnunquam ventus eſt lenis & placidus, interdum eſt vehemens & turbidus, & violentus. Octaua proprietas: Ventorum alij ex aliis mundi partibus ſpirant, variíſque modis tam homines, quàm alias res afficiunt: Atque has octo proprietates venti non fuerit difficile vel ad Spiritum ſanctum, vel ad hominem ex Spiritu ſancto renatum, ſecundùm ſpiritualem intelligentiam, accommodare.

Obiectiones contra ſupradictam interpretationem ponuntur & ſoluuntur.

Aduersùs hanc interpretationem, ſecundùm quam nomen Spi- 26
ritus hoc loco accipitur pro vento, nonnulla obiici ſolent, ſed quæ facilem habeant ſolutionem. Aiunt, non conuenire vento quod Dominus dixit de Spiritu, *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis.* Præterea, non eſt verum, origenes, & exitus atque terminos ventorum neſciri ab hominibus, cùm non modò Philoſophis, ſed etiam nautis iſta ſint explorata & nota. Deinde, cùm paulò ante Dominus nomen Spiritus poſuerit pro Spiritu ſancto, dicens, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* Et paulò poſt etiam nomen Spiritus ſumat pro Spiritu ſancto, dicens, *Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu*; non eſt profectò veriſimile, hoc in loco variâſſe ſignificationem nominis ſpiritus ſumendo pro vento, nulla diſtinctione præmiſſa, vel eius rei ſignificatione data. At

enim,

enim, iſtiuſmodi obiectiones in promptu eſt diluere ex his quæ paulò ſupra diximus. Quin etiam, auctor quæſtionum veteris & noui Teſtamenti falsò præferens nomen Auguſtini, in quæſtione quinquageſima nona hunc ipſum locum quem tractamus, de vento interpretatur, & ſupradictas obiectiones refellit. Beato certè Dionyſio Areopagitæ placuiſſe hanc interpretationem, ſecundùm quam nomen Spiritus hoc loco ſignificat ventum, ſatis indicant eius verba illa quæ ſunt in capite decimo quinto libri de cœleſti Hierarchia. Hic aëreus Spiritus, inquit ille, qui ventus di- *B. Dionyſius.* citur, diuinam quoque cœleſtium Spirituum præfert ſpeciem, habet enim & ipſe diuinæ actionis imaginem atque figuram: ſecundùm ſcilicet mobilitatem ſuam, vimque animandi; & ſecundùm celerem, inſuperabilémque diſceſſum; & mobilium principiorum, atque finium incognitas nobis, atque inuiſibiles latebras: *Non enim ſcis*, dixit Dominus, *vnde venit, & quò vadit*. Hæc B. Dionyſius.

OCTAVA DISPVTATIO.

Exponitur altera ſententia, quæ eſt plurimorum, nomen Spiritus hoc loco non de vento, ſed de Spiritu ſancto interpretantium.

27 SVPRADICTA Domini verba, *Spiritus vbi vult ſpirat, &c.* Plurimi & grauiſſimi Doctores non de vento, ſed de Spiritu ſancto interpretati ſunt, vt Hilarius libro ſecundo de Trinitate, Hieronymus in Epiſtola ad Hedibiam in reſponſione ad quæ- *Hilarius. Hieronymus.* ſtionem nonam, Ambroſius libro ſecundo de fide cap. 3. & libro tertio de Spiritu ſancto cap. 11. Auguſtinus in Tractatu duodecimo in Ioannem, *Ambroſius. Auguſtinus.* Gregorius libro vigeſimo ſeptimo Moralium cap. 13. & hos ſecuti ſunt omnes fermè Latini huius loci tractato- *Gregorius.* res & explanatores. Nec Latini modò, ſed etiam Græci verba iſta Domini de Spiritu ſancto intellexerũt, vt Athanaſius in lib. 1. & 5. de vnica Deitate Trinitatis, Baſilius lib. 5. contra Eunomium, *Athanaſius.* Nazianzenus in oratione quinta Theologiæ, Niſſenus in oratione *Baſilius. Nazianzenus.* de ſancto Baptiſmo. *Niſſenus.*

Illis verbis Spiritus vbi vult ſpirat, *quatuor ſignificari de Spiritu ſancto.*

Cenſent itaque doctores iſti in ſupradictis Domini verbis deſcribi nonnullas proprietates Spiritus ſancti, ad confirmationem & declarationem ſententiæ quam Dominus Nicodemo dixerat, pertinentes. Ac primò illis verbis, *Spiritus vbi vult ſpirat*, quatuor de Spiritu ſancto ſignificantur. Primò ſignificatur, Spiritum ſanctum nulla neceſſitate impelli ad agendum, ſed eum agere ex electione & libera voluntate: ſicut Paulus dixit in capite duodecimo prioris Epiſtolæ ad Corinthios: *Hæc*, inquit, *omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Et in primo capite Epiſtolæ ad Epheſios dixit de DEO, *Spiritus autem ſanctus* DEVS *eſt, qui operatur omnia ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Deinde, ſignificatur illis verbis, bona quæ largitur Spiritus ſanctus homini, ea bona non dare eum homini ex debito, ſed omnino liberaliter & gratuitò, nam vt ait Apoſtolus, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ad hæc, ſignificatur etiam omnipotentia Spiritus ſancti, vtpote cui ſubeſt poſſe, cùm vult: hoc enim ipſum demonſtratur in capite duodecimo libri ſapientiæ, DEVM eſſe omnipotentem. Præterea, cùm dicitur *Spiritus vbi vult ſpirat*, indicatur modus operandi Spiritus ſancti, nimirum ſpirando: nam ſicut ipſe producitur à Patre & à Filio per ſpirationem, ita quæcunque operatur ipſe in hominibus, per ſpirationem, id eſt, per amorem & charitatem operatur: quapropter, opera diuina quæ ſunt amoris & bonitatis, per quandam appropriationem, aſſignantur Spiritui ſancto. 28

Ad Rom. 10.

Secunda proprietas Spiritus ſancti ſignificatur illis verbis, *Vocem eius audis*, ſed quænam eſt vox Spiritus ſancti? ſonat Pſalmus, inquit Auguſtinus, vox eſt Spiritus ſancti; ſonat Euangelium, vox eſt Spiritus ſancti; ſonat ſermo diuinus, vox eſt Spiritus ſancti: multis itaque modis vocem Spiritus ſancti audimus. Variis itaque modis loquitur Spiritus ſanctus homini, per ſanctas ſcripturas, per miracula, per ſanctorum hominum verba, opera, & exempla; per Prophetarum vaticinia, per correptiones & flagella, frequentiſſimè autem per interiores inſpirationes; ad quam vocem audiendam attentiſſimus erat Dauid, cùm dixit, *Audiam quid loquatur in me Dominus* DEVS. Et per Oſeam cap. 2. Dixit DEVS: *ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* 29

Auguſtinus.

Quæ ſit vox Spiritus ſancti & quam variè loquatur homini.

Locus Pſal. 84.

Tertia

30 Tertia proprietas Spiritus ſancti declaratur illis verbis, *Neſcis vnde veniat, aut quò vadat.* Non rarò vſuuenit vt aliquis ſentiat ſe interiùs nouo & miro modo affici, illuminari mentem ſuam, accendi voluntatem, incitari ſe & rapi ad aliquid agendum, neſciens vnde ſibi accidat, & quorſum euaſura ſit talis & tanta animi commotio. Etiam de Spiritu ſancto dici poteſt quod dixit Iob de DEO cap.9. *Si venerit ad me, non videbo eum; & ſi abierit, non intelligam.* Sanè, nec principium diuinarum inſpirationum, qui eſt DEVS, nec finis earum, qui eſt vita æterna, à nobis comprehendi poteſt. Enimuero, ſancti ſæpe DEI Spiritu rapiuntur ad multa, quorum ipſi rationem & exitum ignorant, ad ea tamen fidenter & alacriter pergunt.

31 Ad ſanctum quoque Spiritum quinque proprietates venti, quas ſuprà expoſuimus, bellè quadrant. Nam Spiritus ſanctus eſt potentiſſimus & efficaciſſimus, vnde ſcriptum eſt quòd Spiritui qui loquebatur in Stephano, Iudæi non poterant reſiſtere: & in eius rei ſignum, in die Pentecoſtes, cùm deſcendit Spiritus ſanctus in diſcipulos Domini, *factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis.* Spiritus quoque ſanctus per omnia permeat & penetrat, & implet omnia: De eo namque in capite primo libri ſapientiæ ſcriptum eſt, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* & in Pſalmo 138. Dauid dixit. *Quo ibo à Spiritu tuo?* Hic Spiritus penetrauit in fornacem ignis, vt ſub ſpecie rorantis & refrigerantis venti tres illos iuuenes Hebræos ab incendio ſeruaret: penetrauit in lacum Leonum, vt Danielem cuſtodiret illæſum. Nihil aduersùs hunc Spiritum eſt validum, nihil ei obſcurum, neque abditum, neque clauſum, nihil eſt impenetrabile aut inſuperabile: etiam in ipſos hominum animos illabitur, miris modis eos illuminans, & mundans, & ſanctificans, & cœleſtibus bonis ornans.

Quomodo 5. proprietates venti bene conueniant Spiritui ſancto.

Act.7.

Ibid.1.

Danielis 3. Ibid.6. & 14.

32 Sexta quoque & ſeptima proprietas venti ſatis congruit Spiritui ſancto: nam ſicut ventus quibuſdam eſt noxius & aliis ſalubris; ita Spiritus ſanctus quibuſdam vitam affert, aliis mortem, ſic eorum exigentibus peccatis. Quod plurimis manifeſtum eſt exemplis, præſertim verò Iudæorum, & gentium: vt in Spiritum ſanctum verè dici queat, quod ſenex ille Simeon de CHRISTO dixit,

Lucæ 2. dixit, eum fuiſſe futurum, & in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Eſt item Spiritus ſanctus quibuſdam terribilis, & ſæuiſſimis flagellis ad reſipiſcendum, & cognoſcendam veritatem eos corrigens & erudiens; vt Regi Nabuchodonoſor contigit, qui non ante DEI agnouit potentiam, & publicè confeſſus eſt, quàm fuiſſet eiectus è regno ſuo, & in beſtiam quodammodo transformatus, cuius rei in quarto capite libri Danielis narratur hiſtoria.

Actorum 9. Quid ego dicam de B.Paulo, qui deiectus in terram, viſuque priuatus, tunc demum agnouit CHRISTVM, quem antea inſectabatur? Solet porrò diuinus hic Spiritus primò eſſe vehemens & terribilis, deinde placidus & lenis: quod adumbratum & præfiguratum fuit in illa nobili Eliæ viſione, quæ narratur in capite decimo nono libri tertij Regum; in qua viſione præceſſit ingens ventus; & poſt ventum, commotio; & poſt commotionem, ignis; & poſt ignem, ſibilus auræ tenuis.

Vltima proprietas venti optimè congruit Spiritui ſancto: variis 33
enim admodum modis adſpirat, & afflat, & afficit hominum ani-
4.Regum 3. mos: Eliſæus audiens pſaltem canentem, afflatus eſt prophetico
1.Ibid. 10. *Actorum 2.* ſpiritu: Saul videns chorum Prophetarum pſallentium & prophetantium, ſimili & ipſe prophetandi ſpiritu correptus eſt: Apoſtolis vno in loco congregatis, & orantibus miro modo aduenit Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes: CHRISTVS Apoſtolis in ſufflando dedit illis Spiritum intelligendi ſacras ſcripturas, & re- *Ioannis 20.*
Actorum 10. *Lucæ 1.* mittendi peccata: Cornelius audiens prædicantem B.Betrum, cælitùs accepit Spiritum ſanctum: Beatiſſimæ MARIÆ Gabrielis Archangeli dictis credenti, atque conſentienti ſuperuenit Spiritus ſanctus.

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 8. Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu.

QVI ſuperiora verba interpretati ſunt de vento, conſequen- 34
ter dicunt, hominem ſpiritualiter regeneratum ex aqua & Spiritu ſancto, habere proprietates, proportione quadam reſpondentes

dentes proprietatibus venti ſuprà expoſitis, & hoc declarari in ſupradictis Domini verbis. Qui autem putârunt ſuperiora verba eſſe intelligenda non de vento, ſed de Spiritu ſancto, ſimiliter dicunt, ſupradictis Domini verbis indicari, proprietates Spiritus ſancti paulò ante enarratas, etiam ineſſe & elucere in iis qui per Spiritum ſanctum regenerati & renouati ſunt. Primò itaque, vir ſpiritualis vbi vult ſpirat; quo ſignificantur tria. Primò, ſignificatur, ipſum voluntariè ac liberè operari; non enim gratia DEI tollit voluntatis humanæ libertatem, quin potiùs auget eam, & roborat atque confirmat; nam vt dixit Dominus, *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et Paulus dixit, *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Sanè, vera libertas eſt, liberum eſſe à ſeruitute Diaboli, à tyrannide concupiſcentiæ, & à neceſſitate peccandi, & à reatu mortis æternæ. Deinde, ſignificatur, quàm ſit potens & efficax in agendo vir ſpiritualis; idque manifeſtè patet in Apoſtolis poſt datum eis Spiritum ſanctum: DEVS Hieremiæ dixit : *Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum; bellabunt aduersùm te, & non præualebunt.* Saul, cùm inſiluiſſet in eum Spiritus DEI, nulla difficultate bouem manibus ſuis in duodecim fruſta concidit; Sampſon eodem roboratus ſpiritu, & leonem manu ſua diſcerpſit, & vincula quibus conſtrictus erat, diſrupit. Paulus ipſe, in ſe oſtendens potentiam quam à Spiritu DEI acceperat, non dubitauit dicere: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* ad hæc, ſignificatur, virum iuſtum & ſpiritualiter renouatum quaſi ſpirando operari, hoc eſt, omnia ex amore & charitate facere; hoc enim admonebat Paulus dicens, *Omnia veſtra in charitate fiant.* Nos dum ſpiramus, attrahimus ad nos ſpiritum, & item emittimus eum: ſic vir iuſtus bona quæ à DEO accepit, & in ſe diligenter conſeruat, & libenter atque liberaliter ea cum proximo communicat, & quoad poteſt, in aliorum confert vtilitatem.

Quomodo ſupradicta proprietates vẽti & Spiritus ſancti, etiam in homine ſpirituali reperiãtur & cernantur.

Quid ſit virum ſpiritualẽ ſpirare vbi vult.

Ioan. 8. — *2. Cor. 3.* — *Hieremiæ 1.* — *1. Regum 10.* — *Iudicum 14. & 15.* — *Ad Philipp. 4.* — *1. ad Cor. 16.*

Illud autem quod dicitur, *Vocem eius audis*, ſignificat, iuſtitiam & ſanctimoniam viri ſpiritualis, licèt ipſa per ſe inuiſibilis & incognita ſit aliis, pluribus tamen atque illuſtribus ſignis prodi & declarari. Nam hominem ſpiritu mentis ſuæ renouatum, eſſe nouam DEI creaturam, nouúmque hominem factum, manifeſtè oſtendit nouitas eius in ſermone, in operatione, in conuerſatione,

Matthæi 12. & 7. 1. Petri 3. & in omni vita; *Ex abundantia enim cordis os loquitur: & arbor bona bonos fructus facit*. Et B. Petrus hortatur Chriſtianos, vt ſedulò ſtudeant & inſiſtant bonis operibus, quæ manifeſtant euidenter veritatem doctrinæ quam prædicant, & diuinitatem Religionis quam colunt, & innocentiam vitæ quam agunt, eadémque impios homines qui Chriſtianorum religionem & vitam calumniantur, manifeſto redarguunt argumento. Ioan. 10. Dominus noſter dixit Iudæis: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. & paulò ante dixerat, *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me*. Tali hoc argumento perſuaſus atque conuictus Nicodemus dixit Domino: *Scimus quia veniſti à* DEO *Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit* DEVS *cum eo.*

Quod denique dicitur: *Neſcis unde veniat, aut quò vadat*, bene 36
quadrat ad hominem ſpiritualem & ſpiritualiter viuentem. Etenim, vt Paulus ſcripſit, 1. ad Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus* DEI, *ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur: ſpiritualis autem omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur.* Hinc fit, vt carnales homines non intelligentes à quo, & quem ad finem moueantur viri ſpirituales, iudicent, eos temerè, imprudenter, ſtultè, & inutiliter agere. Id nempe confeſſi ſunt impij de iuſtis, quorum verba in capite quinto libri ſapiētiæ commemorantur huiuſmodi: Locus cap. 5. lib. ſapientiæ. *hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore.* Similiter Iudæi videntes Apoſtolorum libertatem, & conſtantiam, & ardorem animi in prædicando fidem CHRISTI, ebrietati id aſſignabant dicentes: Actorum 2. *Muſto pleni ſunt iſti.* Et hæ quidem duæ ſunt celebres loci huius interpretationes; quarum prior nomen *ſpiritus* accipit pro vento; poſterior vero pro Spiritu ſancto; & vtraque interpretatio magnorum virorum fulta eſt auctoritatibus, ſatíſque probabilis eſt. Sed poſterior interpretatio ſublimiorem quandam, magíſque theologicam continet doctrinam: prior autem videtur ſimplicior, & planior, & quæ magis declaret atque illuſtret ſimilitudinem qua Dominus hoc loco vtitur, vt indicet qualis ſit regeneratió hominis ex Spiritu ſācto: dixit enim: *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocē eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.*

Tertiam

37 Tertiam quandam loci huius interpretationem affert noſter Maldonatus; Nouam quidem illam, & ab ipſo primùm cogitatam, litteríſque proditam; minimè tamen aſpernandam, nec ſupprimendam ſilentio, quin etiam commemoratione dignam & laude. Putat ille, nomen *ſpiritus*, hoc in loco ſatis commodè, aptéq; ſumi poſſe pro anima hominis, hæc námque vocabulo ſpiritus in Sacra ſcriptura ſæpiſſimè vſurpatur. Dicere igitur, *ſpiritus vbi vult ſpirat*, perinde eſt quaſi dicas, *Anima vbi vult, animat:* maluit autem appellare eam ſpiritum, quàm animam, quia nomen *ſpiritus* maiorem habebat congruentiam cum regeneratione hominis ex Spiritu ſancto, de qua loquebatur. Videtur itaque Dominus iſtis verbis quæ dixit Nicodemo, hoc ſignificare voluiſſe: Mirum non eſt, ſi tu, Nicodeme, non intellexiſti regenerationem hominis ex ſpiritu, quam dixi tibi neceſſariã eſſe ad videndum Regnum DEI; nam ne ipſam quidem intelligis carnalem hominis generationem, quæ fit per occultam & admirabilem tum formationem corporis in vtero matris, tum per animæ productionem in corpore. Verum eſt profectò quod virilis illa fœmina, & generoſa mater ſeptem fratrum Machabæorum dixit eis: *Neſcio, qualiter in vtero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi; ſed mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem &c.*

Tertia interpretatio, quæ eſt Maldonati.

Locus lib. 2. Machabæorũ cap. 7.

38 Sed videamus, quemadmodùm tres illæ ſententiæ quæ ſupradictis Domini verbis continentur, ad hanc tertiam interpretationem accommodari queant. Prima ſententia eſt, *Spiritus vbi vult ſpirat*, hoc eſt dicere, Anima, vbi vult, & quod vult corpus, animat, ac vitali ſpiritu afficit. Non quòd anima arbitrio ſuo eligat animare hoc vel illud corpus, cùm in eodem temporis puncto & ipſa producatur in corpore, & corpus ipſum animet: ſed quia, vt ſupra etiam de vento diximus, animam viuificare vel animare corpus hoc vel illud, non ab hominum arbitrio, nec voluntate, neque imperio pendet. Altera ſententia eſt, *Vocem eius audis*, vox animæ appellatur hoc loco id, per quod anima foris manifeſtat interiorem ſuam in corpore præſentiam. Triplex autem indicium eſt animam eſſe in corpore, atque ipſum animare: vnum eſt ipſa vox & locutio & ſermo hominis, qui non niſi per animam in corpore

reſidentem effici poteſt. Alterum indicium eſt motus progreſſiuus corporis, qui principaliter ab anima proficiſcitur & pendet. Tertium indicium eſt motus cordis, & pulſus arteriarum, quo deprehenditur corpus illud viuere & animam habere. Per hæc igitur audimus vocem animæ, id eſt, cognoſcimus eius in corpore præſentiam, & virtutem. Tertia ſententia eſt: *Neſcis vnde veniat, aut quò vadat*, quia nec modus quo anima corpori aduenit, nec quò diſcedit ex corpore, notus eſt homini; ſicut nec poſt diſceſſum eius à corpore, quem ad locum eat, & quomòdo extra corpus moueatur per locum, manifeſtum eſt homini; idcirco dictum

Eccleſiaſt. 3. eſt: *Neſcis vnde veniat, aut quò vadat.* Huc ſpectare videtur illa hominum ſententia quam refert Salomon: *Quis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Hæc pluribus verbis dixi, vt tertiam hanc à Maldonato proditam interpretationem, nouam licèt, minimè tamen inanem ac futilem, ſed probabilem eſſe oſtenderem.

DECIMA DISPVTATIO.

Referuntur atque confutantur quatuor errores quos impij quidam homines ex ſupradictis Domini verbis adſtruere ac probare voluerunt.

Primus error, licere regeneratis ex ſpiritu, facere quodcunque volunt.

EX ſupradictis Domini verbis quidam impij ac perditi homines quatuor valde abſurdos & exitiales errores adſtruere & perſuadere hominibus conati ſunt. Primus error fuit, hominibus in Spiritu regeneratis licere facere quidquid eis libuerit, nulliſ- 39

1. ad Timot. 1. que eos legibus teneri: quia Dominus dixit: *Spiritus vbi vult ſpirat.* & Paulus dixit, *lex iuſto non eſt poſita.* Quaſi verò Chriſtiana libertas ſit licentia quodlibet agendi. * Aduersùs iſtos valet illud

Lucas ad Galat. 5. Pauli quod eſt in Epiſtola ad Galatas cap. 5. *Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatem in occaſionẽ detis carnis.* Cõtra iſtum errorem Iacobus, & Petrus, & Ioannes Epiſtolas ſuas ſcripſerunt, in quibus obſeruantiam mandatorum DEI, & bonorum operum effectionem grauiſſimis verbis & ſententiis cõmendat Chriſtianis.

Secun

40 Secundus error fuit quorundam Hæreticorum, qui ſic argumentabantur: ſi ſpiritus vbi vult ſpirat, vt Dominus dixit, & Vnctio Spiritus ſancti, vt Ioannes inquit, docet omnia: ergo ad intelligendas ſacras ſcripturas, & quæ ad æternam animæ ſalutem pertinēt, non opus eſt magiſterio Eccleſię, nec inſtructione Doctorū: ſed ad omnia iſta ſufficit impulſus, & ductus, & inſpiratio ſancti Spiritus, quæ omnibus adeſt regeneratis ex ſpiritu. At enim, errorem iſtum manifeſtè confutat illa Pauli ſententia quæ eſt in capite duodecimo prioris Epiſtolæ ad Corinthios, & in capite quarto Epiſtolæ ad Epheſios: Poſuiſſe DEVM in Eccleſia quoſdam Apoſtolos, & alios Prophetas ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis CHRISTI; vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento Doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Quibus verbis expreſsè, graphicéque deſcripſit Paulus noſtrorum Hæreticorum ingenium, fallacias, variáſque fraudes: & idem dixit, non omnes eſſe doctores, nec omnium eſſe prophetare, id eſt, arcana ſacrarum ſcripturarum, & diuinarum rerum myſteria rectè ſcrutari, intelligere, & alios docere.

1. Ioan. 2. Secundus error, omnes regeneratos ex ſpiritu per ſe intelligere ſacras ſcripturas, nec indigere alieno magiſterio.

41 Tertius error & olim fuit, hodiéque eſt quorundam hominum qui videri volunt ſpirituales, cùm tamen multa inordinatè, indecorè, inſipienter, atque inhoneſtè faciant: dicunt autem illi, ſe ad id quod agūt impelli Spiritu DEI, qui vbi vult ſpirat. Sed mentiuntur profectò: nam Spiritus DEI eſt Spiritus conſilij, & ſapientiæ, & pietatis, & timoris DEI: & Paulus præcepit Corinthiis *Omnia*, inquit, *honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Et Iacobus cap. 3. Epiſtolæ ſuæ dixit, *Quæ deſurſum eſt ſapientia, pudica eſt, & pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis operibus conſentiens.* Et Ioannes in capite quarto primæ epiſtolæ ſuæ, *Nolite*, inquit, *omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex* DEO *ſint.*

Tertius error, hominem ſpiritualē quodcūque faciat, & quomodocūque faciat, id Spiritus ſancti inſtinctu fieri. Iſaia 11. 1. ad Cor. 14.

42 Quartus error fuit Priſcilliani & Mōtani qui dixerunt, prophetas DEI, cùm prophetabant, in modum arreptitiorum, furore quodam mentis percitos prophetâſſe, non intelligentes quæ dicebant; Dominus enim dixit. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat:* Atqui Daniel dixit, ſe intellexiſſe viſionem quæ ſibi facta fuerat, & ſubdit, *intelligentia opus*

Quartus error, prophetas ſpiritu Dei incitatos prophetaſſe quæ non intelligebant. Danielis 10.

Montanus. *eſt in viſione.* Super qua ſententia à nobis multa ſunt pertractata in libro duodecimo noſtrorum Commentariorum in Danielem. Sanè, Prophetæ olim appellabantur *Videntes*, quòd multa animo viderent & cognoſcerent, & verbis prædicerent, quæ aliis eſſent incognita. Atque ob hanc cauſam Nabuchodonoſor, & Balthaſar, & Pharao, licèt viſiones propheticas habuerint, quia tamen ipſi eas non intellexerunt, non fuerunt prophetæ. Baſilius in præfatione ſuorum commentariorum in Iſaiam bene longa & accurata oratione quartum hunc errorem confutat, aduersùs quem valet etiam illa Pauli ſententia quæ eſt in decimo quarto capite prioris epiſtolæ ad Corinthios, ſpiritum prophetarum, prophetis ipſis eſſe ſubiectum.

In 1. lib. Regũ cap. 9. Danielis 2. & 4. & 5. Geneſis 40. Baſilius.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 13. Nemo aſſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.

DIXERAT paulò ſuprà Dominus: *Quod ſcimus, loquimur; & quod vidimus, teſtamur.* Nunc aperit Dominus cauſam, cur ſibi diuina myſteria notiora ſint quàm prophetis; quia nimirum ſolus ipſe hominum in cœlo fuit, & de cœlo deſcendit; & tunc etiam cùm iſta loquebatur, in cœlo erat: ne quis fortè ſuſpicaretur, poſt eius de cœlo deſcenſum, accidiſſe ipſi aliquam rerum cœleſtium obliuionem. 43

Quomodo ſolus Chriſtus aſſcendit in cœlũ, triplex interpretatio.

Quomodo autem CHRISTVS dicatur ſolus aſſcendiſſe in cœlum, tres habet interpretationes. Prima eſt: quia ſolus CHRISTVS aſſcendit in cœlum ſua virtute, ſuo merito, ſuóque iure; cæteri autem non niſi eius merito ac virtute. Secunda interpretatio: Cæteri non aſſcendunt in cœlũ niſi tanquam membra CHRISTI; nam quemadmodum cum CHRISTO aſſcendunt omnia membra naturalis corporis eius: ſic etiam cum eo aſſcendunt omnia membra myſtici corporis eius, qui ſunt electi: vnde dixit ipſe diſcipulis 44

ſcipulis ſuis: *Aſſumam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis.* *Priſcillianus.*
Idémque dixit: *Volo pater, vt vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus.* Et *Ioannis 14. & 17.*
apud Matthæum cap. 24. *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Tertia interpretatio eſt: quia illud verbum, *Aſcendit* non eſt præſentis temporis, ſed præteriti, vt patet ex Græca ſcriptura, ſignificatur quòd ante id temporis quo CHRISTVS hæc locutus eſt, nullus hominum (non enim de Angelis Beatis, ſed de hominibus tantùm hoc loco locutus eſt Dominus) aſſcenderat in cœlum, & viderat DEVM. CHRISTVS autem aſſcenderat in cœlum ratione animæ ſuæ, quæ ſecundùm partem ſuperiorem, ab initio ſuæ creationis, beatifica DEI viſione fruebatur. Dicitur autem CHRISTVS deſcendiſſe de cœlo, non ratione humanitatis aſſumptæ, quaſi eam de cœlo detulerit, vel habens corpus ex materia cœleſti formatum; vel habens animam quæ multo tempore ante incarnationem ipſius fuerit in cœlo: iſtos enim duos Hæreticorum errores iam pridem exploſit & damnauit Catholica Eccleſia: ſed CHRISTVS dicitur deſcendiſſe de cœlo, quia cùm antea, vt DEVS fuiſſet in cœlo, poſtea, humana carne & natura indutus apparuit in terris, ſecundùm illud vaticinium Baruch: *In* *Baruch 3.*
terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

45 Illis porrò verbis, *Filius hominis qui eſt in cælo*, ſignificauit CHRISTVS, quòd tunc cùm iſtud loquebatur, erat ipſe in cœlo, & videbat DEVM. Hoc autem verè dicitur de CHRISTO prout Filius DEI erat: nam propter vnitatem perſonæ in qua vnita erat natura humana cum natura diuina, verè Filius DEI dicitur Filius hominis: & hoc valde commendat vnionem perſonalem duarum naturarum, aduersùs Neſtorium Hæreticum. Dicitur etiam verè *Neſtorius.*
CHRISTVS fuiſſe tunc in cœlo, ea ratione vt homo erat; nam id ſignificat illud, *Filius hominis*, ſecundùm phraſim Hebraicam: Nimirum anima CHRISTI tunc erat in cœlo, beatiſſimo DEI conſpectu fruens; quam DEI viſionem atque fruitionem, ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit: licèt Bucerus Hæreticus id nega- *Bucerus.*
uerit, & Eraſmus vel malè Catholicus, vel Catholicum ſimulans, *Eraſmus.*
in dubitationem adducere ſit auſus. Verùm, ſuper hac re copioſè diſſeruit, eleganti, eruditóque vir ingenio Melchior Canus in ca- *Melchior Canus.*
pite decimo quarto libri duodecimi de locis Theologicis. De hoc

autem

Montanus. *eſt in viſione.* Super qua ſentẽtia à nobis multa ſunt pertractata in libro duodecimo noſtrorum Commentariorum in Danielem. Sanè, Prophetæ olim appellabantur *Videntes*, quòd multa animo viderent & cognoſcerent, & verbis prædicerent, quæ aliis eſſent incognita. Atque ob hanc cauſam Nabuchodonoſor, & Balthaſar, & Pharao, licèt viſiones propheticas habuerint, quia tamen ipſi eas non intellexerunt, non fuerunt prophetæ. Ba ſilius in præfatione ſuorum commentariorum in Iſaiam bene longa & accurata oratione quartum hunc errorem confutat, aduersùs quem valet etiam illa Pauli ſententia quæ eſt in decimo quarto capite prioris epiſtolæ ad Corinthios, ſpiritum prophetarum, prophetis ipſis eſſe ſubiectum.

in 1. lib. Regũ cap. 9. Danielis 2. & 4. & 5. Geneſis 40. Baſilius.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 13. Nemo aſſcendit in cœlum, niſi qui deſçendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.

DIXERAT paulò ſuprà Dominus: *Quod ſcimus, loquimur; & quod vidimus, teſtamur.* Nunc aperit 43
Dominus cauſam, cur ſibi diuina myſteria notiora ſint quàm prophetis; quia nimirum ſolus ipſe hominum in cœlo fuit, & de cœlo deſcendit; & tunc etiam cùm iſta loquebatur, in cœlo erat: ne quis fortè ſuſpicaretur, poſt eius de cœlo deſcenſum, accidiſſe ipſi aliquam rerum cœleſtium obliuionem.

Quomodo ſolus Chriſtus aſſcendit in cœlũ, triplex interpretatio.

Quomodo autem CHRISTVS dicatur ſolus aſſcendiſſe in 44
cœlum, tres habet interpretationes. Prima eſt: quia ſolus CHRISTVS aſſcendit in cœlum ſua virtute, ſuo merito, ſuóque iure: cæteri autem non niſi eius merito ac virtute. Secunda interpretatio: Cæteri non aſſçendunt in cœlũ niſi tanquam membra CHRISTI; nam quemadmodum cum CHRISTO aſſcendunt omnia membra naturalis corporis eius: ſic etiam cum eo aſſcendunt omnia membra myſtici corporis eius, qui ſunt electi: vnde dixit ipſe diſcipulis

ſcipulis ſuis: *Aſſumam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis.* *Priſcillianus.*
Idémque dixit: *Volo pater, vt vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus.* Et *Ioannis 14. & 17.* apud Matthæum cap. 24. *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Tertia interpretatio eſt: quia illud verbum, *Aſcendit* non eſt præſentis temporis, ſed præteriti, vt patet ex Græca ſcriptura, ſignificatur quòd ante id temporis quo CHRISTVS hæc locutus eſt, nullus hominum (non enim de Angelis Beatis, ſed de hominibus tantùm hoc loco locutus eſt Dominus) aſſcenderat in cœlum, & viderat DEVM. CHRISTVS autem aſſcenderat in cœlùm ratione animæ ſuæ, quæ ſecundùm partem ſuperiorem, ab initio ſuæ creationis, beatifica DEI viſione fruebatur. Dicitur autem CHRISTVS deſcendiſſe de cœlo, non ratione humanitatis aſſumptæ, quaſi eam de cœlo detulerit, vel habens corpus ex materia cœleſti formatum; vel habens animam quæ multo tempore ante incarnationem ipſius fuerit in cœlo: iſtos enim duos Hæreticorum errores iam pridem exploſit & damnauit Catholica Eccleſia: ſed CHRISTVS dicitur deſcendiſſe de cœlo, quia cùm antea, vt DEVS fuiſſet in cœlo, poſtea, humana carne & natura indutus apparuit in terris, ſecundùm illud vaticinium Baruch: *In* *Baruch 3.* *terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Illis porrò verbis, *Filius hominis qui eſt in cælo*, ſignificauit CHRISTVS, quòd tunc cùm iſtud loquebatur, erat ipſe in cœlo, & videbat DEVM. Hoc autem verè dicitur de CHRISTO prout Filius DEI erat: nam propter vnitatem perſonæ in qua vnita erat natura humana cum natura diuina, verè Filius DEI dicitur Filius hominis: & hoc valde commendat vnionem perſonalem duarum naturarum, aduerſùs Neſtorium Hæreticum. Dicitur etiam verè *Neſtorius.* CHRISTVS fuiſſe tunc in cœlo, ea ratione vt homo erat; nam id ſignificat illud, *Filius hominis*, ſecundùm phraſim Hebraicam: Nimirum anima CHRISTI tunc erat in cœlo, beatiſſimo DEI conſpectu fruens; quam DEI viſionem atque fruitiouem, ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit: licèt Bucerus Hæreticus id negauerit, *Bucerus.* & Eraſmus vel malè Catholicus, vel Catholicum ſimulans, *Eraſmus.* in dubitationem adducere ſit auſus. Verùm, ſuper hac re copioſè diſſeruit, eleganti, eruditóque vir ingenio Melchior Canus in capite decimo quarto libri duodecimi de locis Theologicis. *Melchior Canus.* De hoc

autem

autem Dogmate Theologico, quod pro indubitato & certo habetur, licèt non admodum diſtinctè, expreſſéque diſputatum fuerit à Patribus, maximus tamen & concors Theologorum ſcholaſticorum eſt conſenſus: vt hac ex re ſatis appareat, concordiam & conſenſum Theologorum ſcholaſticorum in adſtruendo & comprobando aliquo Chriſtianæ diſciplinæ dogmate, maximum habere pondus auctoritatis, maximámque vim ad perſuadendum.

DVODECIMA DISPVTATIO.

Explicantur decem Quæſtiones.

Super illis verbis:

VER. 14. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

ECce tibi, cur Filius DEI deſcendit de cœlo; nempe, 46
vt per mortem ſuam in Cruce obitam, genus humanum ab æterna morte vindicaret. Ecce, vnde Baptiſmus CHRISTI vim habeat regenerandi hominem in Spiritu, eíque aditum aperiendi ad Regnum DEI; ex Paſſione ſcilicet CHRISTI & Crucis morte. Ecce tibi, vnum de præcipuis Chriſtianæ fidei myſteriis, cuius hominum, vt æternam ſalutem conſequi valeat diſtinctè, explicatéque credendum, CHRISTI videlicet in Cruce CHRISTI Paſſio & Mors. Sæpe CHRISTVS futuram mortem ſuam in Cruce prędixit; hoc enim loco prænunciauit eam Nicodemo; aliàs, diſcipulis ſuis; nonnunquam etiam Iudæis, quibus dixit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* (Ioan. 12.) Contrà verò, ſuæ mortis prænunciatione manifeſtum, teſtatúmque facere voluit, ſe ſcienter, ac voluntariè mortem oppetere. Ac licèt complures aliæ ſint in veteri Teſtamento figuræ Crucis & mortis CHRISTI: hæc tamen figura exaltati à Moyſe ſerpentis, omnibus aliis expreſſior atque illuſtrior

ſtrior fuit. Etenim, hæc præmonſtrauit genus mortis CHRISTI per exaltationem eius in Cruce: hæc præſignificauit conditionem ipſius in Cruce patientis, qui fuit, velut ſerpens æneus; hæc præſignauit cauſam ob quam paſſus eſt, ſimúlque maximum paſſionis eius fructum, quod per fidem eius homines liberandi eſſent à morte æterna, & ad æternam vitam perducendi: eſt enim duplex Paſſionis & Mortis CHRISTI fructus, depulſio mortis æternæ, & immortalis vitæ donatio.

47 Verùm, quò meliùs intelligatur admirabilis inter ſerpentem illum in deſerto exaltatum à Moyſe, & CHRISTI exaltationem in Cruce myſtica analogia & conuenientia, paulò diſtinctiùs, enucleatiúſque hiſtoria illius ſerpentis enarranda eſt. Scriptum eſt in capite vigeſimo primo libri Numerorum, propter peccatum murmurationis Hebræorum aduersùs DEVM & Moyſem, de cibi & aquæ penuria, immiſſos eſſe à DEO aduersùs illos murmuratores, ignitos ſerpentes, quorum morſu plurimi eorum interierunt. Sed cùm Moyſes pro Hebræis deinde peccatum ſuum agnoſcentibus & dolentibus obnixè ſupplicaret DEO; iuſſit DEVS fieri ex ære ſimulacrum ſerpentis, idque in ſublime elatum, quaſi pro ſigno ſtatui: quem ſerpentem quicunque percuſſi à ſerpentibus ignitis adſpiciebant, continuò ſanabantur. Hæc eſt hiſtoria: ſuper qua decem breues quæſtiones tractandæ ſunt, ex quarum tractatione, & ipſius hiſtoriæ, & myſterij quod in ea latebat, maior atque illuſtrior exiſtet cognitio.

Hiſtoria ſerpentis ænei in deſerto exaltati copioſa enarratio per decem quæſtiones.

48 Prima quæſtio: Cur DEVS illud peccatum Hebræorum per ſerpentes vlciſci voluerit, potiùs quàm vel per leones, per quos poſtea impietatem Samaritanorum puniuit, vt eſt in libro quarto Regum cap. 17. vel per vrſos, ſicut puniuit contumeliam puerorum aduersùs Eliſæum Prophetam, ſicut narratur in eodem libro cap. 2. vel per alia animalia per quæ puniuit Ægyptios, vt ſcriptum eſt in libro Exodi? Videtur illa huius rei cauſa fuiſſe, quòd in illo deſerto magna erat ſerpentum copia, qui, vt antea, DEO prohibente, fuerant Hebræis innoxij; ita tunc, DEO iubente, in eorum vindictam incitati ſunt. Illa quoque fuit cauſa, vt pœna ſimilis eſſet culpæ: Hebræi cordis malitia, & oris murmuratione, ac blaſphemia peccauerant; ritè igitur puniuntur per animal calliddiſſimum,

Cur Deus per ſerpentes vlciſci voluerit peccatũ murmurationis & blaſphemia Hebræorum.

mum, & aſtutiſſimum, atque oris veneno mortiferum: vt palam ſit, omnes creaturas ad nutum ſeruire DEO, vel in ſolatium & auxilium bonorum, vel in pœnam, exitiúmque impiorum.

Quomodo ſerpẽtes illi fuerint ignei.

Secunda quæſtio: Quomodo intelligendum eſt, illos ſerpentes fuiſſe ignitos? putârunt quidam, illud fuiſſe nouum quoddam, nec antea viſum genus ſerpentum, anhelantium, atque ore ſpirantium ignem. Sed, cùm hoc ſine ratione vel auctoritate dicatur, temerè dicitur: nec ad id commentum cogit nos hiſtoria illorum ſerpentium, quam tradit Sacra ſcriptura; illud propius vero fuerit, illos ſerpentes dici ignitos, quia flatum emitterent vrentem & tanquam igneum: nam hanc vim eſſe Baſiliſco tradit Plinius in libro octauo cap. 21. his verbis: *Frutices non ſolum contactos, ſed etiam afflatos necat, herbas vrit, rumpit ſaxa.* Mihi ſatis veriſimile fit, illos ſerpentes morſu infudiſſe venenum, quod per venas & membra diffuſum, incredibili ardore cruciaret, & intolerandam accenderet ſitim: quod genus ſerpentum Græco vocabulo appellatur dypſas, de quo Solinus cap. 30. Hæc ſcribit: *Dypſas ſiti necat; omnem enim abſumens humorem, lethalem inducit ſitim.* Narrat Lucanus in libro nono, hoc genere ſerpentum in Libya percuſſos Catonis milites, incitatiſſimo curſu ad mare contendentes, atque in aquas ſalſas ſeſe ingurgitantes interiiſſe. Adiuuat hãc interpretationem, quòd in capite octauo Deuteronomij ita ſcriptum eſt: *Ductor tuus fuit* DEVS *in ſolitudine magnâ & terribili; in qua erat ſerpens flatu adurens, & Scorpio ac Dypſas.* In Hebræo pro voce *Dypſas* eſt vox (zamion) quæ ſignificat & ſitim, & locum ſiticuloſum. 49

Baſiliſcus. Plinius.

Dypſas ſerpens. Solinus. Lucanus. Catonis milites quomodo perierint in Libya. Locus Deuteron. cap. 8.

Quatuor cauſa, cur per ſerpẽtem voluit Deus ſanare plagas ſerpentum.

Tertia quæſtio: Cur voluit DEVS plagas ſerpentum ſanare per adſpectum ſerpentis? ob quatuor nempe cauſas. Primò, vt per adſpectum illius ſerpentis recognoſcerent Iudæi peccatum ſuum ob quòd à ſerpentibus percuſſi fuerant, ſerióque de eo dolerent & pœnitentiam agerent. Deinde, vt agnoſcerent ſeueritatem iuſtitiæ diuinæ aduerſus eos qui perierant, eiúſque miſericordiam erga eos, quibus mortem effugere datum fuerat. Tum, vt ſub illius ſerpentis effigie, illius facti & miraculi memoria perpetuò apud Iudæos maneret: quotieſcunque enim ſerpentem illum adſpiciebant Iudæi, animos eorum illius rei ſubibat recordatio. Denique, ob figuram Crucis CHRISTI & ſacramentorum eius: ſicut enim 50

Devs tunc miraculum illud facere voluit per corpoream quandam & ſenſibilem rem, quæ per ſe illius effectus prorſus inefficax erat: ita per ſacramenta corporea & ſenſibilia ſpirituales effectus in animis hominum virtus diuina operatur. Dicunt Iudæi, Quomodo homo crucifixus dare vitam hominibus potuit? & nos viciſſim illis dicamus, quómodo potuit ſerpẽs æneus ſanare maiores veſtros à ſerpentibus percuſſos? Dicunt Hæretici, Quomodo poteſt aqua Baptiſmi ſanctificare animum hominis? quęramus & nos, Quomodo æs illud ſiue cuprum in ſimilitudinem ſerpentis figuratum ſeruauit Hebræos ab interitu?

51 Quarta quæſtio: Cur iuſſit Devs ſerpentem illum fieri æneum? An quia æs cùm ſit ductile, & ſequax ad voluntatem artificis, facilè in quamlibet ſimilitudinem figurari poteſt? An quia propter æris ſoliditatem atque firmitudinem, diuturnius facti illius monumentúm apud poſteros futurũ erat? pro illa voce *æneum* Hebraicè eſt vox *Saraph* ſignificans, ignitum: Serpens enim ille colore igneo ſignatus erat, aut ita figuratus, vt ore ſpirare flammas videretur. Et hoc ſanè quadrupliciter Christi figura fuit. Quemadmodum enim ille videbatur ſerpens, nec erat tamen, omniq; carebat veneno: ita Christvs videbatur homo peccator, quia mortalis & paſſibilis & ſubiectus legibus peccatorum hominum videbatur, vt in Circumciſione, in Baptiſmo, in crucifixione. Sed licèt in ſimilitudinem carnis peccati factus ſit Christvs, nullum tamen aut fecit aut contraxit peccatum; & vt dixit Apoſtolus, *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Caro item eius per illud æs præſignata eſt, quia licèt vulnerata & mortua ſit, manſit tamen incorrupta, móxque immortalis atque impaſſibilis facta eſt: Et ſicut ſerpens ille (ait Rupertus) igni conflatus eſt ab artifice: ita Christi corpus non virtute ſeminis virilis, ſed virtute Spiritus ſancti formatum eſt, ſpirans ignem amoris, tum in omni vita ſua, tum maximè in cruce. Denique, æs ſonorum eſt; & prędicatio Crucis & mortis Christi per omnem terrarum orbem perſonuit.

Cur ſerpens ille factus ſit æneus.

Quomodo ille ſerpens quadrupliciter præfigurauit Chriſtum.

Ad Hebr. 4.

Rupertus.

52 Quinta quæſtio: Cur iuſſit Devs illum ſerpentem exaltari? ſi ratio hiſtorica eius facti requiratur, ea in promptu eſt: quo nimirum ſerpens ille & ab omnibus, & è longinquo poſſet adſpici, cùm

Cur Deus iuſſit exaltari ſerpẽtem duplex ratio: vna hiſtorica, altera myſtica.

non niſi per eius adſpectum, percuſſi à ſerpentibus ſanandi eſſent. Sin autem ratio myſtica & figuratiua perpendatur, id factum eſt quò expreſſiùs genus mortis CHRISTI in Cruce præſignaretur: atque hoc præcipuè ſpectauit Dominus ſupradictis verbis dicens: *Sicut exaltauit Moſes ſerpentem in deſerto &c.* Mortem ſuam Dominus appellauit exaltationem & in hoc loco, & infrà cap. 12. illis verbis: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Nimirum, CHRISTVS ipſe propter mortem Crucis ſuper omnia exaltatus à DEO eſt: & hominem ad cœleſtis gloriæ participationem extulit: & aëreas poteſtates nobis aduerſarias debellauit: atque ita principales mundi partes omnes ſacrauit: terram, ortu ſuo, conuerſatione, & ſepultura ſua; aquam ſuo Baptiſmo, & ſuper eam ambulando: Infernum, deſcendendo in Lymbum, & ſanctos inde liberando: aërem, per mortem ſuam exaltatus in Cruce: cœlos, aſſcenſu ad eos, & habitatione in ipſis. Aliquando etiam mors CHRISTI appellatur caſus & deiectio, vt cùm ipſe dixit: *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit.* Et per hoc indicauit humilitatem ſuæ Paſſionis, eiúſque humilitatis vberrimum & ampliſſimum fructum: & demonſtrauit, quemadmodum fruſtranda eſſet ſpes Iudæorum, exiſtimantium CHRISTI nomen, per Crucis mortem prorſus extinctum iri: ſed contrà omnino euenit, per eam námque toto in mundo maximè celebratum & magnificatum fuit CHRISTI nomen.

Mors Chriſti cur appelletur exaltatio.

Mors Chriſti cur appelletur caſus & deiectio.

Ioan. 12.

Cur ſerpens ille poſitus eſt pro ſigno.

Sexta quæſtio: Cur DEVS iuſſit ſerpentem poni pro ſigno? Pro illa voce *ſigno*, vox Hebræa variè redditur Latinè: quidam vertunt *palum*, alij *furcam*, alij *perticam*: ſed propriè ea voce ſignificatur vexillum militare. Iuſſit itaque DEVS ſerpentem illum poni in extremitate alicuius haſtæ vexillaris: bene igitur Latinus interpres vertit, *ſignum*, nam etiam à Romanis appellabantur ſigna militaria. Et hoc figuram geſſit CHRISTI Domini, quem prædixit Simeon, poſitum fuiſſe in ſignum, cui contradicendum erat à multis. Vel figura fuit Crucis CHRISTI, quæ futura erat vexillum Chriſtianæ militiæ; ſic vocat Eccleſia canens:

Luc. 2.

Vexilla regis prodeunt,
Fulget Crucis myſterium.

Et à Conſtantino in Maxentium pugnaturo viſum eſt in cœlo ſignum

ſignum Crucis fulgentiſſima luce figuratum, cum hoc dicto: *In hoc ſigno vinces.* Ruffinus libro ſecundo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 29. narrat, inter litteras Ægyptiorum, quæ dictæ ſunt Hieroglyphicæ, fuiſſe vnam quæ ſimilitudinem crucis habebat, cuius ſymbolum & interpretatio hæc erat, ***Vita ventura.*** Eratque apud ſacerdotes Ægypti antiqua traditio, tunc demum deſituram Ægyptiorum religionem, cùm illud Crucis ſignum prædicaretur in mundo. Itaque, cùm cœpta eſt fides CHRISTI prædicari in Ægypto, plurimi ſacerdotum ea traditione imbuti ac prædocti, Chriſtianam fidem & diſciplinam amplexati ſunt. Quanta porrò Crucis CHRISTI virtus futura eſſet, declarauit Dominus Ezechieli in ſigno THAV quod figuram Crucis habebat.

Memorabilis hiſtoria Ruffini de Cruce Christi.

Locus Ezechielis cap. 9.

54 Septima quæſtio: Cur voluit DEVS percuſſos à ſerpentibus ſanari per illius ſerpentis adſpectum? Quia morſus illorum ſerpentum adeò exitiales erant, vt breui perimerent; ideo celerrimo, & præſentiſſimo fuit opus remedio: Serpens autem ille exaltatus, faciliùs & citiùs conſpici, quàm tangi poterat à ſingulis qui percuſſi fuerant. Deinde, ne quis ſuſpicaretur, vim illam ſanandi fuiſſe naturalem; ſiquidem, omnis virtus naturalis agit per contactum, nulla verò per ſolum adſpectum patientis. Ad hæc, vt id eſſet figura eorum qui oculis fidei adſpicientes in CHRISTVM, ſanandi erant à peccatis. Credibile eſt, cum illo adſpectu ſerpentis coniunctum fuiſſe dolorem & pœnitentiam peccati quod fecerant, ſimúlque fidem atque fiduciam diuini auxilij. Dupliciter autem illa peſtis ſublata eſt: nam qui percuſſi erant, adſpectu illius ſerpentis ſanabantur: alij verò, ne percuterentur, ſerpentes vel occiſi vel procul aliò reiecti ſunt; vel eorum rabies & cupiditas nocendi, diuinitùs mitigata & ſedata eſt.

Cur per adſpectum illius ſerpẽtis potiùs quàm per tactum ſanare voluit Deus percuſſos à ſerpentibus.

Quomodo illi percuſſi à ſerpentibus dupliciter ſanabantur.

55 Verùm dicet aliquis, iſtud remedium non fuiſſe generale, nec potuiſſe omnibus prodeſſe; non enim proderat cœcis, quippe qui ſerpentem illum adſpicere non poterant. Reſpondeo, vel nullum fuiſſe tunc in populo cœcum, ſicut nullus fuit in egreſſione Hebræorum ex Ægypto ægrotus, teſtante hoc Dauide illis verbis. *Et non erat in Tribubus eorum infirmus.* Et ſicut per quadraginta annos peregrinationis eorum in deſerto veſtimenta eorum non ſunt detrita, vt traditur in capite octauo Deuteronomij. Poteſt etiam ita

Dubitatio de illis qui inter percuſſos à ſerpentibus erant cæci, quomodo ſanarentur.

Pſal. 104.

reſpondere: ſi fuêre tunc aliqui in illo populo cœci, illos non fuiſſe à ſerpentibus percuſſos, quia non fuerunt ex numero eorum qui murmurauerant aduersùs DEVM; vel fuiſſe de primis qui percuſſi fuerant & mortui ante illius ſerpentis exaltationem: aut ſatis illis fuit, quoquo modo poterant, in illum ſerpentem animum intendere cum fide & ſpe diuini auxilij, eúmque ſi non corporeis, certè imaginariis & intellectualibus oculis adſpicere.

Cur ſerpens ille non ſit factus ex auro potiùs quàm ex ære.

Octaua quæſtio: Cur DEVS ſerpentem illum fieri iuſſit ex ære, 56
& non potiùs ex auro? fortaſſe ne præſtantia materiæ aureæ Iudæis, per ſe ſatis ad ſuperſtitionem propenſis, aliquam daret occaſionem labendi in idololatriam. Nam etiam, cùm eſſet ille ſerpens æreus, plurimi tamen poſtea inter Iudæos eum quaſi diuinum quoddam numen adorauerunt, diuinóque ritu coluerunt, quod cùm publicè, & à plurimis fieret, iuſtiſſima commotus indignatione, & ſanctiſſimo diuini honoris zelo incenſus Rex Ezechias ſerpentem illum confregit atque cõminuit, à temporibus vſq; Moyſis ad ſuam ætatem, per ſeptingentos circiter annos, religioſè conſeruatum: atque in contemptum eius ſerpentis, appellauit eum *Nobeſtan*, quaſi dicas, *paruulum æs*, ſeu *fruſtulum æris*. Qua de re in capite Decimo octauo libri quarti Regum de Ezechia ſcriptum eſt his verbis: *Confregit ſerpentem æneum quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſq; ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum; vocauitq; nomen eius Nobeſtan.* Eſt præterea ratio quædam peculiaris cur ſerpens ille non ſit factus ex auro; quo ſcilicet expreſſiùs præſignaret conditionẽ CHRISTI crucifixi, non habentis tunc corpus aureum, id eſt, glorioſum, ſed æreum, multis nempe laboribus ærumníſq; obnoxium, multíſque, verberum, & vulnerum, tãquam ictibus contuſum atq; percuſſum.

Locus libri 4. Reg. cap. 18.

Cur vnus tãtùm ſerpens & non plures facti ſint.

Nona quæſtio: Cur vnum duntaxat ſerpentem iuſſit Deus fieri, 57
cõmodius enim fore videbatur, ſi multi fuiſſent facti & propoſiti oculis Iudæorum? Nam cùm eſſet innumerabilis multitudo Iudæorum, aut nullo modo, aut ægrè admodum, nec niſi longo tempore, vnus ſerpens ab omnibus cerni poterat. Sed Reſpondendum eſt, potuiſſe vnum ſerpentem cerni ab omnibus quibus adſpectus eius neceſſarius erat. Neque enim omnes Iudæi, ſed aliqui tantùm percuſſi fuerant à ſerpentibus; & vnus ſerpens, quia ingens admodum erat, & in ſublimi poſitus, vſquequaque ab omnibus

qui

qui percuſſi fuerant etiam ex longinqua diſtantia cerni poterat. Et qui propinquiores erant, ſtatim vt ſanati fuerant, recedentes, locum appropinquandi remotioribus concedebant. Sanè, vnum fieri ſatius fuit: non enim ſimilis eſt ratio mali, & boni; mala enim non ex vna tantùm cauſa homini contingunt, ſed ex variis cauſis, & interdum contrariis; at malorum depulſio, bonorúmque omnium largitio ab vna principali cauſa, qui DEVS eſt, prouenit, à quo vno omnia bona ſunt expetenda, poſtulanda, & expectanda: ſicut B. Iacobus dixit: ***Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.*** Atque ea ratione propriè ſignificabatur, vnum fore tantùm humani generis redemptorem, vnúmque mediatorem DEI & hominum: nec eſſe aliud nomen vllum ſub cœlo, vt dixit B. Petrus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. *Iacobi cap. 1.* *Actorum 4.*

58 Decima quæſtio: An Moyſes intellexerit myſterium latens in illo ſerpente, quod ille ſignificaret CHRISTI paſſionem & mortem in Cruce? Sine dubio credendum eſt, fuiſſe hoc myſterium Moyſi patefactum à DEO: nam ſicut alij Prophetæ intelligebant, quid ſignificarent viſiones imaginariæ ſibi datæ à DEO: ita Moyſes omnia illa ſacrificia, omnéſque cæremoniæ, quæ figuræ erant myſteriorum CHRISTI, quid ſignificarent, intelligebat. Deinde, multi Prophetæ cognouerunt paſſionem CHRISTI, vt patet in Dauide ex Pſalmo vigeſimo primò, & in Iſaia ex capite quinquageſimo tertio, & in Daniele ex capite nono: & Petrus dixit, Spiritum ſanctum præmonſtràſſe Prophetis, & per eos prænunciaſſe nobis paſſiones & glorias CHRISTI. Sed Moyſes fuit Prophetarum præſtantiſſimus, vt in extremis verbis libri Deuteronomij teſtatum eſt; cui nempe DEVS ore ad os, & facie ad faciem tanquam amicus amico loquebatur, & arcana ſua indicabat: non igitur credibile eſt, hoc tantum myſterium paſſionis & mortis CHRISTI, ſummúmque diuinæ ſapientiæ conſilium ei non aperuiſſe. *An Moyſes intellexerit myſterium illius ſerpentis.* *1. Petri 1.*

59 Illud denique lectorem hoc loco admonere non abs re fuerit, Dominum noſtrum, demonſtrando illum ſerpentem Moſaicum figuram fuiſſe paſſionis & mortis ſuæ in Cruce, indicàſſe nobis, multa quondam in populo Hebræo inſtituta & acta, imaginem

geſſiſſe

geſſiſſe aliarum rerum in populo Chriſtiano olim gerendarum. Sic etiam B. Ioannes ſignificauit, agnum illum paſchalem quem comedebant Iudæi, figuram fuiſſe CHRISTI: & Paulus ſcripſit, tranſitum Hebræorum per mare rubrum ſub ductu nubis, typum fuiſſe Baptiſmi Chriſtiani; cuius etiam Baptiſmi virtutem, per Arcam Noë præfiguratam eſſe, dixit Petrus. Sed enim, in applicando huiuſmodi figuras ad ea quorum figuræ ſunt, curioſè illud ſpectare atque obſeruare oportet, vt ſecundùm ea tantùm in quibus propriè præfigurant alia, congruè aptéque applicentur, non autem in aliis in quibus non gerunt eorum figuram: exempli gratiâ, ſerpens ille Moſaicus tribus potiſſimùm in rebus præfigurauit CHRISTVM; Primò, in exaltatione; ſicut enim ille in deſerto exaltatus eſt, ita CHRISTVS in Paſſione & morte ſua exaltatus eſt in Cruce. Deinde, in virtute ſanandi; ſicut enim ille ſanauit morſus ſerpentum; ita CHRISTVS ſanaturus erat omnia peccata hominum. Ad hæc, in modo ſanandi; ſicut enim tunc percuſſi à ſerpentibus non ſanabantur niſi adſpicientes & intuentes in illum ſerpentem; ita ſanandi erant homines à peccatis per intuitum fidei in CHRISTVM crucifixum & mortuum: in aliis verò rebus ſerpens ille non ſolùm non fuit figura CHRISTI, ſed etiam diſſimilis admodum fuit CHRISTO: ſex autem differentiæ notari poſſunt inter ſerpentem illum & CHRISTVM, quantum ad vim ſanandi. Primò, ſanabat quidem ſerpens ille, non tamen virtute ſua: CHRISTVS autem virtute ſua ſanat peccata hominum. Deinde, ille ſerpens tantùm ſanabat morſus ſerpẽtium: CHRISTVS omnia hominum mala tollit. Tum, ſerpens ille Iudæos duntaxat ſanabat: CHRISTVS omnes homines ſanandi virtutem habet. Ad hæc, ille ſerpens non niſi ſemel ſanauit Iudæos, CHRISTI autem virtus ſanandi valet in omne tempus. Præterea, ſerpens ille ſanauit tantùm plagas corporales: Virtus CHRISTI efficax ſanandi eſt omnia mala tam corporalia quàm ſpiritualia. Poſtremò, ſerpens ille dedit ſanitatem non tamen inuiolabilem, & quam Iudæi amittere non poſſent: CHRISTI autem virtus dare poteſt ſanitatem & corporalem & ſpiritualem prorſus incorruptibilem.

Ioan. 19.

1. ad Cor. 10.

1. Petri 3.

Quid curioſè obſeruandum ſit in applicãdo figuras ad res figuratas.

Serpens Moſaicus tribus potiſſimùm rebus præfigurauit Chriſtum.

Sex differentiæ inter illũ ſerpentẽ Moſaicũ & Chriſtum, quantũ ad vim ſanãdi.

DECIMA TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Sic enim DEVS dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ver. 16.

60 ILLA coniunctio, *enim*, cùm ſit cauſalis, indicat primam & principalem cauſam cur DEVS Filium de cœlo miſerit in hûc mundum, & voluerit mortem in Cruce ſubire. Ea quippe cauſa fuit amor DEI erga homines: cuius amoris magnitudinem exaggerauit CHRISTVS his verbis tripliciter: Primò, ex comparatione diligentis & dilecti, id eſt, DEI & mundi: Deinde, ex magnitudine doni quod DEVS mundo dedit, id autem fuit vnigenitus filius eius, hoc enim fuit clariſſimum & certiſſimum diuini amoris erga mundum argumentum. Ad hæc, ex magnitudine fructus ex tanto DEI dono prouenientis: Is autem fuit depulſio æternæ mortis, & ſempiternæ vitæ donatio. Ex hoc vno loco ſatis apparet, meritò prædicationem doctrinæ CHRISTI appellatam eſſe Euangelium, quæ vox ſignificat lætum & fauſtum nuncium. Quid enim lætius auditu & iucundius nunciari potuit homini, quàm adeò ipſum diligi à DEO, vt eius causâ filium ſuum vnigenitum fieri hominem, & in Cruce mori voluerit? quis enim hoc audiens, & ex animo credens, deſperet veniam peccatis ſuis, quotcunque & quantacunque fuerint, facilè impetraturum ſe eſſe à DEO? ac non potiùs ſperet, quodlibet donum ſe à DEO conſecuturum. Sic enim argumentatus eſt B. Paulus in capite octauo Epiſtolæ quam ſcripſit ad Romanos. *Qui etiam*, inquit, *proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* *Cur doctrina Christi appellata ſit Euangelium.*

61 Cæterùm, celeberrimæ huius Domini ſententiæ omnes particulæ ſigillatim excutiendæ ac penſitandæ ſunt. Prima particula *ſic*, quia nulla oratio ſufficiens eſt declarando, vt par eſt, DEI erga hominem amoti, vſus eſt CHRISTVS hac particula *ſic*, quodam-

modo ſignificans, id eſſe inenarrabile, atque incomprehenſibile: valet autem *ſic*, idem atque *adeò*, & *intantum*. Nam licèt amor DEI, vt in DEO eſt, quia eſt ipſemet DEVS, ſit infinitus, nec maior vnquam aut minor eſſe queat; ratione tamen effectus & doni, alius dicitur eſſe maior alio. Quoniam autem nihil poteſt eſſe maius, vel etiam par CHRISTO DEI filio quem nobis dedit, propterea amor quo voluit filium ſuum nobis dare, maximus atque inenarrabilis dicitur. Secunda particula DEVS. Hac voce DEI, multa hoc loco inſinuantur, ex quibus magnitudo diuini amoris enoreſcit. Eſt enim DEVS res quædam infinitæ perfectionis, nullius indigens, nulli debitor, ſed ad omnia ſibi ipſe ſufficientiſſimus; quo indigent omnia, à quo vniuerſa pendent, ſicut enim Dauid dixit: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione: dante te illis, colligent, & omnia replebuntur bonitate.* DEVS eſt, cuius æterna eſt maieſtas, immenſa bonitas, incomprehenſibilis ſapientia, infinita poteſtas, inæſtimabilis pulchritudo; atque hic talis & tantus DEVS, prior dilexit hominem, & ab æterno dilexit, & perſeueranter dilexit, & diligendo, maximum ei bonum contulit.

Quomodo amor Dei dicatur vel maior, vel minor, vel maximus.

Pſal. 103.

Voluntas Dei eſt prima cauſa omnium.

Tertia particula *Dilexit*, dilectio DEI eſt prima cauſa omnium 62
bonorum. Cùm enim in DEO ſit potentia & voluntas, illa per ſe eſt indeterminata, vtpote per quam quodlibet, & quantumlibet, & quomodolibet poteſt à DEO effici. Voluntas autem diuina potentiam determinat & ad ſpeciem operis faciendi, & ad magnitudinem eius, & ad modum faciendi, & ad locũ, & ad tempus, aliáſque circumſtantias omnes, quibus comitatum eſt opus quod efficiendum eſt. Prima itaque ac ſumma cauſa omnium quæ fiunt à DEO, eſt voluntas eius: quæ quidem ſemper cum ſumma ratione, conſilio, ſapientia, & rectitudine coniuncta eſt, licèt hoc in particulari ſæpe mortales lateat. Primus porrò motus & affectus voluntatis humanæ amor eſt: hinc cæteri omnes affectus oriuntur, & pendent, vt ſpes, timor, gaudium, triſtitia, & odium. Quocirca, primum omnium donorum, quæ homini dantur eſt amor, ex quo deinceps cetera dona, ordine & gradu ſuo, proueniunt. Sed inter humanum amorem atque diuinum quinque ſunt differentiæ. Primò, humanus amor excitatur à bonitate obiecti quod amatur;

Quinque differentiæ humani amoris atque diuini.

amamus

amamus enim aliquid, quia eſt amabile, id eſt, bonum vel re ipſa, vel in opinione & æſtimatione amantis. Contrà, diuinus amor amando aliquid facit ipſum bonum & amabile. Deinde, humanus amor eſt inefficax & ſterilis boni, non enim per ſe vllum bonum facere poteſt in eo qui amatur: diuinus amor eſt fœcundiſſimus, & fertiliſſimus bonorum omnium. Tum, DEVS nunquam amat quemquam, cui non tribuat aliquid boni; nec aliud DEO eſt amare, quàm benefacere. Ad hæc, fieri non poteſt vt DEVS amet aliquid amore concupiſcentiæ, id eſt, cupiditate ſibi acquirendi aliquid boni ex eo quod amat: ſed ſemper amat vt aliis bonum tribuat. At verò, quia bonum quod eſt in rebus mouet homines ad eas res amandas; plerique hominum, quæ amant, ea non propter ſe ipſa amant, ſed ſua cauſa, qui eſt amor concupiſcentiæ: Pauciſſimorum enim eſt, nullo ſuæ vtilitatis reſpectu aliquid diligere, ſed ob id tantùm, quod illud per ſe ſit amabile. Et quamquam DEVS quæcunque amat extra ſe, non propter illa, ſed propter ſe ipſum amat ea, quia ſic verè, ordinatéque ſunt amabilia, cùm ipſe ſit primum principium & vltimus finis omnium: nihil tamen amat DEVS ſuæ vtilitatis causâ, quaſi ex re amata poſſit ei aliquid boni accedere, cùm ipſe ſit bonorum omnium cauſa. Poſtremò, amor DEI non ſolùm eſt cauſa bonorum omnium, ſed etiam menſura. *Dei amor menſura omnium bonorum.* Itaque verè æſtimantibus, tantus quiſque eſt in bonis, quanto eum DEVS amore dignatus eſt; tantúmque boni cuique tribuitur, quantum amoris ſui DEVS ad ipſum ex æternitate voluit applicare.

63 Quarta particula *mundum*, nomine mundi ſignificatur homo habitans in terra, quæ eſt infimus mundi locus. Quid autem eſt homo? bonorum omnium inops, malorum autem prædiues, peccatis ſordidus, innumeris ærumnis atque miſeriis obnoxius, indignus DEI amore & beneuolentia, quin etiam ingratus & inimicus DEI, extremáque ac ſempiterna meritus ſupplicia. *Quid nomine mundi ſignificetur hoc loco.* *Quid eſt homo* (ait Dauid) *quod memor es eius, aut filius hominis, quia viſitas eum.* *Pſal. 8.* Magna profectò atque inſignis fuit clemētia Dauidis erga Semei, qui eum fœdiſſimis cōuitiis & maledictis lacerauerat; maior etiam aduerſus filium ſuum Abſalonem, qui eum regno & vita deturbare conatus fuerat; verùm hæc nihilo æſtimanda ſunt, præ vt fuit

D E I erga homines clementia & charitas. Atque hoc exaggetans

Ad Rom.5.

Paulus, *Commēdat*, inquit, *charitatem ſuam* D E V S *in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus* C H R I S T V S *pro nobis mortuus eſt.* Et paulò infrà: *Si cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus* D E O *per mortem filij eius; multò magis recōciliati, ſalui erimus in vita ipſius.* Vel nomine *mundi* ſignificantur omnes homines per omnes mundi plagas, regionéſque ſparſi; & non vna tantùm Hebræorum gens, exiguo quodam terræ angulo incluſa: vt ſignificetur, hunc D E I amorem non ad vnam tantùm gentem, ſed ad omnes homines qui fuerunt, & qui ſunt, & qui futuri ſunt pertinere. Vel mundum dicere voluit potiùs quàm hominem, quòd hæc D E I erga hominem dilectio, non ipſum tantummodo decorauerit & clarificauerit, ſed vniuerſum etiam mundum: clarificato enim homine, totus penè mundus, qui continetur in homine tanquam in quodam compendio, clarificatus eſt. Etenim futura mundi poſt conſummationem ſæculi renouatio & glorificatio pendet ab hominis renouatione & glorificatione, vt præclarè in capite octauo Epiſtolæ ad Romanos diſputat Apoſtolus. Hac igitur hominis renouatione ſublata, & mundum tanto decore, tantáque gloria, quam per hominem habiturus eſt, carere neceſſum fuiſſet. Patet igitur cur Dominus hoc loco mūdū dicere voluerit potiùs quàm hominem.

Beneficium Dei tributum homini ad mundi etiam decorem & gloriam pertinere.

Verùm, quæſtio minimè in præteritis relinquenda, exiſtit hoc loco: Quomodo D E V S tantopere dilexit mundum, cùm Sacra 63 ſcriptura iubeat nos fugere & odiſſe mūdum? Audiat lector Ioannem in ſecundo capite primæ Epiſtolæ ſuæ. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Et Iacobus in quarto capite Epiſtolæ ſuæ ſic ait, *Si quis voluerit amicus huius mundi fieri, inimicus* D E I *cōſtituitur.* Ad hanc quæſtionem ita reſpondendum eſt, vocabulum *mundi* vt ſignificat hominem, tripliciter in Sacris litteris vſurpari. Primò pro vitioſis, & omnino mundanarum rerum amatoribus, & maximè pro reprobis: de quo mundo loquēs Ioannes in capite quarto Epiſtolæ ſuæ, *Ipſi*, inquit, *de mundo ſunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Et Dominus noſter dixit, ſe non rogare patrem pro mundo, & nec ſe, nec Apoſtolos ſuos eſſe de mundo. Et hunc mundum, quâ talis eſt, non diligit D E V S, quin etiam odit, & ad

Quæſtio quomodo Deus diligat mundum, quem iubet nos odiſſe.

Locus 1. Ioan. 3. & Iacob. 4.

Triplex in Sacris litteris ſignificatio & vſurpatio huius vocis mūdus.

Ioan. 17.

eum

eum deſtruendum miſit in terram filium ſuum: quod & ipſe præſtitit, ſicut ipſe dixit: *Confidite, ego vici mundum.* Atque huius mundi princeps & DEVS vocatur in ſcriptura Diabolus; & ex hoc mundo eiectus eſt à CHRISTO Diabolus, ſicut ipſe dixit: *Princeps huius mundi eÿcietur foras.* Deinde, accipitur vox *mundi* nonnunquam pro hominibus prædeſtinatis, in hoc mundo peregrinantibus: atque huius mundi præcipuè Saluator dicitur CHRISTVS: de quo mundo loquens Paulus in cap. 5. poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios, ſic ait: *Deus erat in* CHRISTO *mundũ reconcilians ſibi.* Ad hæc, ponitur vocabulum mundi pro quibuſcunque hominibus in terra degentibus ſiue bonis, ſiue malis, ſiue reprobis, ſiue prædeſtinatis, prout tamen ex natura ſua, & ex ſufficientia diuinæ gratiæ, capaces ſunt æternæ ſalutis. De hoc mundo intelligitur illud quod in hoc ipſo tertio capite paulò infrà ſcriptum eſt: *Non enim miſit* DEVS *filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* De hoc autem mundo præcipuè intelligitur quod hoc loco dixit Dominus, *Sic* DEVS *dilexit mundum.* Pro ſalute enim omnium Filius DEI & homo factus eſt, & mortuus eſt: videlicet quod attinet ad ſufficientiam virtutis mortis ſuæ: nam quod attinet ad efficaciam, & conſecutum fructum, pro electis tantùm mortuus eſt: ideóque CHRISTVS dixit Patri ſuo, *non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Atque huiuſmodi diſtinctio & explicatio triplicis ſignificationis huius vocabuli, *mundus*, complures tollit difficultates ſæpe obuias legentibus ſacras litteras.

Ioan. 16. *Ioan. 12.* *Ioan. 17.*

64 Quinta particula: *Vt filium ſuum vnigenitum.* Perpendat lector, quantum animo & cogitatione valet, nam pro dignitate ac merito rei æſtimare non poterit, magnitudinem huius doni. Nihil profectò æquè carum DEO & pretioſum eſt, atque filius eius vnigenitus; quippe cui non minus quàm ipſe ſibi carus & pretioſus eſt. Septem res faciunt, vt inter homines, pater ardentiſſimè diligat filium ſuum. Primò, ſimilitudo eiuſdem ſubſtantiæ, cum hoc prætera quod eam filius habet ab ipſo patre ſuo tanquam principali cauſa. Secundò, quia filius eſt hæres, & generis, & familiæ, & bonorum omnium patris; Tertiò, quia per filium & nomen, & familia, & nobilitas patris propaganda & perpetuanda eſt. Quartò, ſi

Septem res quæ faciunt ardentiſſimũ patris amorẽ erga filium eius.

fuerit vnigenitus, & in quo vno tota domus inclinata recumbat. Quintò, ſi etiam filius per ſe ſit amabilis propter multa & magna eius dona vel naturalia, vel eius acquiſita ſtudio & induſtria, vel ſupernaturalia diuinitus ei data. Sextò, ſi patrem ipſe filius viciſſim ſummè redamet, & reuerenter colat eiuſque voluntati & iuſſis obſequentiſſimus ſit. Septimò, ſi talis fuerit filius, vt per eum pater quidquid vult, & prout vult, perficere queat. Hæc porrò omnia, excellentiùs quàm cogitari poſſit, ſunt in filio DEI: & præter hæc, ſunt alia ipſius propria, nec cum vllo aliorum filiorum communicabilia. Primò, quia ipſe eſt coæternus Patri ſuo: Deinde; quia eſt eiuſdem omnino ſubſtantiæ, non ſecundùm ſpeciem tantùm, ſed etiam numero: tum, quia eſt prorſus eiuſdem voluntatis, & potentiæ, & bonitatis, & ſapientiæ cum Patre ſuo; ita vt idem omnino & ſemper vterque ſentiat, velit, & faciat.

Magnitudo alicuius doni ſex modis æſtimanda eſt.

Sexta particula *daret*, ratio & æſtimatio doni tantò maior eſt, 65
quātò donum ipſum per ſe maius eſt; vel quantò eſt carius & pretioſius danti; vel quantò eſt vtilius accipienti; vel quantò maiori beneuolentia & amore datur; vel quantò minori commodo dantis tribuitur aliis, vel quantò magis immerenti datur. Atque hæc omnia cumulatiſſimè ac perfectiſſimè in hoc DEI dono reperire ac cernere licet. Sunt autem tres gradus donorum DEI: in primo atque infimo gradu ſunt dona naturalia & humana: in ſecundo & medio gradu ſunt dona ſupernaturalia: in tertio & ſupremo gradu eſt hoc de quo nunc loquimur, DEI donum, quo Pater dedit eum, qui eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum ipſo; quapropter dando eum, dedit bona omnia quæ ipſe Pater habet: & filius factus homo dedit naturæ humanæ quam aſſumpſit, perſonalem ſuam vnitatem, & ſubſiſtentiam: & Spiritus ſanctus in CHRISTO homine, & per ipſum in alios electos effudit omnem plenitudinem gratiarum.

Tres gradus donorum Dei.

Duodecim res, ad quas Deus Filium ſuum dedit homini.

Cæterùm, quærat fortaſſe quiſpiam, ad quem finem, & in quod 66
bonum hominis DEVS Filium ſuum dedit homini? Sanè, duodecim ob res Pater Filium ſuum dedit homini. Primò, vt naturali etiam cognatione, propter humanæ naturæ communionem, frater eſſet hominis. Secundò, vt propter ipſam naturæ ſimilitudinem, amabilior ipſe & ſociabilior fieret homini. Tertiò, dedit in

magi

magiſtrum doctrinæ neceſſariæ ad æternā ſalutem hominis comparandam. Quartò, dedit in exemplum vitæ, quo & inſtrueretur, & incenderetur ad bene agendum. Quintò, dedit in ducem viæ, vt eum ſequens homo, ſine vllo errore perueniret ad vitam æternam, ſicut ipſe dixit: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Ioan.8. Sextò, dedit in Principem & Imperatorem inſuperabilem ſpiritualis militiæ aduersùs Dæmones. Septimò, dedit in cibum & potum animæ noſtræ ad nutrimentûm æternæ vitæ. Octauò, dedit in pretium redemptionis humani generis. Nonò, dedit in hoſtiam & ſacrificium placationis & propitiationis DEI erga hominem. Decimò, dedit in mediatorem DEI atque hominum. Vndecimò, dedit in argumentum certiſſimum futuræ reſurrectionis hominum. Duodecimò, dedit in ſpecimen promiſſæ nobis aſſcenſionis in cœlum, & conſummatæ felicitatis humanæ ſecundùm animam & corpus.

67 Septima particula: *Vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Illud *omnis* indicat, diuini huius doni fructum eſſe generalem, & ad omne genus hominum, non ad vnam tantùm Hebræorum gentem, vt dona in veteri teſtamento Iudæis data, pertinere. Illud *Qui credit in eum*, indicat modum conſequendi fructum huius doni, dignè credendo videlicet in CHRISTVM: quo ſignificatur, quanta ſit facilitas adipiſcendi tantùm bonum; & differentia legis Moſaicæ atque Chriſtianæ. Illa enim Actorum 15. fuit admodum onerosa, & quodammodo importabilis, exigens, ſub interminatione mortis, plurimorum præceptorum obſeruantiam: Lex autem CHRISTI eſt onus leue, & iugum ſuaue, requirens fidem & amorem, quæ nullus hominum eſt, qui diuina Matth.11. præuentus & adiutus gratia, præſtare non poſſit. Illud *non pereat*, ſignificat interitum æternæ mortis, qui continet damnum non adeptæ felicitatis æternæ, & ſenſum atque perpeſſionem ſuppliciorum æternorum. *Sed habeat vitam æternam*, quæ eſt bonorum omnium cumulata æternáque poſſeſſio.

DECI

DECIMA QVARTA DISPVTATIO.

Quomodo CHRISTVS *Dominus illis verbis*, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, *ſoli fidei aſſignauerit virtutem depellendi æternam mortem, & obtinendi vitam æternam.*

ILLVD hoc loco quæſtionē habet, quomodo CHRISTVS Dominus rationem & vim conſequendi æternam vitam ſoli fidei attribuat: nā & paulò ſuprà dixit: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Idémque repetiit in hoc loco: & paulò infrà ait: *Qui credit in eum, non iudicatur:* & in hoc extremo tertio capite ita ſcriptum eſt: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam:* Cùm tamen nec ſola fides ſufficiat iuſtificando & ſeruando homine; & in hoc negotio iuſtificationis hominis potiores atque principaliores ſint partes charitatis quàm fidei; quod multis & manifeſtis Sacræ ſcripturæ teſtimoniis Doctores Catholici, aduersùs Hæreticos noſtri temporis validiſſimè argumentantur atque confirmant. 68

Quadruplex ſolutio propoſitæ quæſtionis.

Sed quatuor modis quæſtionem hanc enodare poſſumus. Primò, dici poteſt, Dominum noſtrum loqui hoc loco de fide formata & viua & perfecta, quæ per charitatem operatur; quam B. Paulus in capite quinto Epiſtolæ ad Galatas valere plurimum dixit apud DEVM: in CHRISTO enim IESV, ait Paulus, *neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Idémque Paulus in capite decimo tertio prioris Epiſtolæ ad Corinthios: *Si habuero,* inquit, *omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Fides porrò quæ per charitatem operatur, aliis omnibus comitata eſt virtutibus. Deinde, poteſt illud etiam reſponderi, Dominum loqui de fide ſimpliciter & præcisè; ei verò aſſignare tanta bona, non quòd eorum illa ſit vel ſola vel princeps cauſa; ſed quòd ea ſit primum principium & fundamentum, & radix omnium bonorum ſpiritualium & diuinorum, ſicut interpretatus eſt B. Auguſtinus in ſermone 38. 69

de

de Tempore, & ex ipſo Auguſtino interpretati ſunt Patres Concilij Tridentini in capite octauo Decreti de iuſtificatione. Illud quoq; dici poteſt, fidem CHRISTI, ſemel admiſſam receptámque animis noſtris, demonſtrando fœditatem & grauitatem peccatorum, & iuſtitiam DEI æternis peccata ſuppliciis punientis, & clementiam eius atque miſericordiam erga peccatorũ ſuorum dignè pœnitentes, & bona æterna, iuſtè viuentibus in cœlo præparata; fidem, inquam, hæc omnia demonſtrando, facilè inducere hominem ad agendam pœnitentiam per quam iuſtificationis gratiam percipiat, & per eam æternam mortem effugiat, & ius acquirat capeſſendæ hæreditatis æternæ. Illud denique reſponderi poteſt, quod ad eiuſmodi quæſtionem reſpondet Auguſtinus in capite ſeptimo libri de Prædeſtinatione ſanctorum; Omnia, inquit, tribuuntur fidei, quia hæc prima nobis datur, qua impetrentur cetera: & in Epiſtola centeſima quinta & centeſima ſexta diſertis verbis ait, ideo Paulum dixiſſe, iuſtificari hominem per fidem, quia per fidem homo impetrat, & quodammodo meretur iuſtitiam. Verùm ſuper hac re à nobis copiosè diſputatum eſt in ſecundo Tomo ſelectarum Diſputationum ſuper Epiſtolam B. Pauli ad Romanos, in Diſputationibus quas tractauimus ſuper capite tertio eius Epiſtolæ.

Auguſtinus. *Concilium Tridentinum.* *Auguſtinus.*

DECIMA QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi: hoc ergo gaudium meum, impletum eſt. VER. 29. & 30.

70 PVLCHERRIMA eſt metaphora hæc ſponſi & ſpõſæ, multa & ſublimia opertè includẽs CHRISTI myſteria. CHRISTVM eſſe ſponſum Eccleſiæ ſuæ tam militantis quàm triumphantis, docet nos pluribus locis diuina ſcriptura, vt in Pſalm. 18.

Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Et in capite nono Matthæi de Apoſtolis ſuis dixit: *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere quandiu cum illis eſt ſponſus? venient dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* Hoc indicauit illa parabola Euangelica de Rege faciente nuptias filio ſuo, & illa de decem virginibus expectantibus ſponſum, apud Matthæum cap. 22. & 25. Hoc etiam declarant illa Pauli verba quæ ſunt in capite quinto Epiſtolæ ad Epheſios: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & CHRISTVS dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, &c.* Et paulò infrà commemoratis verbis in matrimonij inſtitutione à DEO dictis ſubdit: *Sacramentũ hoc magnũ eſt; ego autem dico in CHRISTO & in Eccleſia.* & in libro Apocalypſis cap. 19. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam DEO, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe: & datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendente, & candido; byſſinum enim, iuſtificationes ſunt ſanctorum.* Denique liber, qui inſcribitur, Cantica Canticorum, in mutuo huius ſponſi & ſponſæ amore declarando totus verſatur atque conſumitur.

Geneſ. 2.

Decem rebus Chriſtum declaraſſe ſe ſpõſum eſſe Eccleſiæ.

Sunt autem decem res quibus CHRISTVS declarauit, ſe 71
ſponſum eſſe Eccleſiæ. Primò, ſummus amor quo eam dilexit, qualis nimirũ eſſe ſolet inter ſponſum & ſponſam; quem CHRISTI amorem Paulus, cuius verba paulò ſuprà retulimus, propoſuit quaſi normam amoris quo viri diligere debent vxores ſuas. Et cùm hæc ſponſa CHRISTI pauper eſſet, & vilis, & morboſa, & captiua ſub Diabolo; eam ipſe ſanguine ſuo redemit, ſanauit, mundauit, locupletauit, & honorauit. Secundò, inter ſponſum & ſponſam intercedunt promiſſa & pacta mutuæ fidelitatis. Tertiò, inter ſponſum & ſponſam eſt inſolubilis coniunctio. Quartò, perpetua ſocietas atque conuictus. Quintò, communicatio bonorum omnium pariter atque malorum. Sextò, cooptatio ſponſæ ad participationem nobilitatis & dignitatis & honorum atque opum ſponſi. Septimò, fœcundatio, & prolis generatio. Octauò, liberorum educatio, & familiæ domeſticæ adminiſtratio. Nonò, diſceſſurus ſponſus ad longum tempus ab ſponſa, ne capiat eam obliuio ſponſi ſui, ſingulare aliquid, eximiúmque relinquit ei ſponſus, tanquam ſui monimentum, ad conſeruandam in animo eius memoriam & amorem, ſuíque reditus deſiderium, ſubinde in

animo ſponſæ renouandum. Decimò, primò fit deſponſatio, & contrahitur matrimonium; deinde conſummatur, & ſic fit perfecta, & impoſterum prorſus inſolubilis copulatio ſponſi & ſponſæ atque hæc omnia ſigillatim perpōdenti facile fuerit, ea ad CHRISTVM & Eccleſiam accommodare.

72 Figura fuit huius inter CHRISTVM & Eccleſiam ſponſalitij Iſaac accipiens ſibi vxorem ex terra longinqua gentilium per ſeruum ſuum Eliezer; & Iacob Patriarcha profectus in Meſopotamiam, laborioſoque viginti annorum ſeruitio dari ſibi promeritus vxores Liam & Rachelem; hanc, ſynagogæ; illam, gentilitatis, figuram gerenrem: Et in Rege Aſſuero & in Regina Eſther. CHRISTVS igitur ſponſus eſt, ſancti verò appellantur vel filij ſponſi ſicut Apoſtolos ſuos appellauit CHRISTVS; vel amici ſponſi, quemadmodum Ioannes Baptiſta appellauit ſe ipſum: qui tres amicorum ſponſi proprietates indicauit, cùm dixit: ***Amicus autem ſponſi ſtat, & audit, & gaudet propter vocem ſponſi.***

Tres figuræ in veteri Teſtamento ſponſalitij Christi & Eccleſiæ.

Gen. 24. Infra 29.

Matth. 9.

73 Sed cur Ioannes qui tantopere gaudebat voce ſponſi, non eſt ſecutus CHRISTVM, eique perpetuo conuictu & diſcipulatu adhæſit? nempe, quia intellexit, aliter velle DEVM & ipſum CHRISTVM; priuatóque commodo & ſolatio ſuo prætulit obſequium diuinæ voluntatis, & publicam hominum vtilitatem. Si enim CHRISTI ſodalis & diſcipulus fuiſſet, non tantam habuiſſet apud Iudæos auctoritatem, nec tanti fuiſſent ponderis teſtimonia, quæ de CHRISTO dixiſſet; exiſtimantibus Iudæis, eum amoris cauſâ, ſupra verum, prædicare CHRISTI dignitatem & laudes. Illud præterea dignum hoc loco eſt conſideratione, quomodo Ioannes Baptiſta appellet ſe hoc loco amicum CHRISTI, cùm antea indignum ſe eſſe dixerit, qui etiam viliſſimum obſequium & famulatum CHRISTO exhiberet? Verùm tunc Baptiſta loquebatur turbæ Iudæorum, cui CHRISTVS eo tempore obſcurus atque ignotus erat; ideóque CHRISTI dignitatem & præſtantiam indicare & prædicare oportebat. Nunc autem loquebatur diſcipulis ſuis, indignationem & odium Ioannis aduerſus CHRISTVM quodammodo excitare tētantibus; quibus cōueniens erat declarare ſummum amorem & obſeruantiam Ioannis erga CHRISTVM: vt intelligerent illi, Ioannem celebritate

Cur Ioannes Baptiſta non ſit Chriſtum ſecutus.

Cur Ioannes nunc appellet ſe amicum Chriſti qui ante dixit ſe indignum eſſe vt ſeruus eſſet Chriſti.

nominis & famæ CHRISTI nullatenus dolere aut triſtari, ſed maiorem in modum lætari & gaudere debere.

DECIMA SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 21. Non enim ad menſuram dat DEVS ſpiritum.

Duplex interpretatio, quomodo Deus non det ſpiritum ad menſuram.

74 DVPLEX horum verborum eſt interpretatio. Altera eſt, iſtud eſſe dictum à B. Ioanne non tantùm de CHRISTO, ſed abſolutè atque in vniuerſum eſſe dictum ab eo, in hanc ſententiam: Non habet DEVS vnam tantùm, & certam menſuram, qua dona ſua metiatur hominibus; vt ſi vni dedit multum, non poſſit etiam aliis plus dare. Licèt igitur mihi DEVS multa & magna tribuerit munera, illi tamen CHRISTO multò plura & maiora donauit; non itaque vos diſcipuli mei mirari, nedum indignari æquum eſt, ſi qui maior eſt apud DEVM quàm ego ſum, maior quoque apud homines habeatur, & illius nomen atque fama clarior in dies & celebrior euadat, quàm mea.

75 Altera interpretatio eſt, quam ferè ſequuntur huius Euangelij explanatores, & Theologi ſcholaſtici approbarunt. Iſti ſententiam hanc Ioannis Baptiſtæ ad CHRISTVM propriè pertinere arbitrantur, & in ea ſententia ſubintelligendum putant pronomen *huic*, vel *ipſi*, ſcilicet CHRISTO, hoc modo, (non enim dat CHRISTO DEVS ſpiritum ad menſuram.) Significatur itaque iſtis verbis, CHRISTVM infinitis partibus maiorem ac præſtantiorem eſſe aliis omnibus ſanctis: His nàmque ſpiritus gratiæ in parte & cum menſura datus eſt; CHRISTO autem ſine termino & menſura. Quòd autem ſancti gratiam DEI habeant cùm certa quadam menſura & modo, apertè docet nos Apoſtolus in capite duodecimo Epiſtolæ ad Romanos illis verbis: *Vnicuique ſicut* DEVS *diuiſit menſuram fidei.* & in quarto capite Epiſtolæ ad Epheſios: *Vnicuique*, inquit, *noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis* CHRISTI. At CHRISTO, vt dixit hoc loco Ioannes Baptiſta, non ad menſuram dedit DEVS ſpiritum; quod perinde eſt quaſi dictum eſſet, datam ei eſſe gratiam infinitam.

Omnes

Omnes itaque ſancti, quaſi catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Domini ſui; CHRISTVS autē ſedet æqualiter cum DEO patre ad menſam, eiſdem pariter epulis veſcens, eiſdémque deliciis gaudens, eiſdem diuitiis atque opibus affluens, eadem pollens omnipotentia, eadem honoris & dignitatis gloria fulgens, eodem imperio & dominatione cuncta regens, eadem permanens ſemper æternitate, eadem fruens fœlicitate.

76 Verùm, huic interpretationi aduerſari videtur, quòd cùm gratia CHRISTI ſit res quædam à DEO creata, neceſſe eſt eam eſſe finitam, teſtante ſcriptura in capite vndecimo libri ſapientiæ, DEVM omnia fecisse & diſpoſuiſſe in numero, & pōdere, & menſura; certus autem numerus, & certum pondus, & certa menſura, repugnant infinitati. Et anima CHRISTI cùm ſit finitæ capacitatis ſicut etiam naturæ, non videtur poſſe capax eſſe infinitæ virtutis & gratiæ. Hanc quæſtionem ſubtiliter & copioſè & accuratè tractant ſcholaſtici Theologi in tertio libro ſententiarum diſtinctione decima tertia, & B. Thomas in tertia parte quæſtione ſeptima; & ex hoc loco B. Ioannis, & verbis illis, *Non dat* DEVS *ſpiritum ad menſuram*, diſputant & declarant, & an ſit, & quemadmodum ſit gratia CHRISTI infinita.

77 Theologorum autem de infinitate gratiæ CHRISTI ſententiæ ac doctrinæ ſumma eſt huiuſmodi. Triplicem aiunt gratiam CHRISTO, quâ homo eſt, eſſe datam, vnionis, habitualem, & capitis. Gratia vnionis, licèt finita ſit ſubiectiuè, id eſt, reſpectu naturæ humanæ cum perſona verbi diuini vnitæ; eſt tamen infinita terminatiuè, quia terminatur ad perſonam verbi quæ eſt infinita: & formaliter, quia propter diuinitatem perſonæ verbi ſubſiſtentis in illa natura humana, fuit ille homo CHRISTVS infinitè carus & gratus DEO: & effectiuè, quia propter eiuſdem perſonæ diuinæ infinitatem, quælibet actio & opus illius hominis fuit infiniti pretij & meriti apud DEVM. Gratia habitualis, cùm ſit qualitas quædam à DEO creata, & infuſa animæ CHRISTI, per ſe ac ſimpliciter finita eſt: aliquo tamen modo dicitur infinita, quòd videlicet non fuerit contracta ad aliquod genus gratiæ, vel ad certum aliquem eius gradum, vel modum eam habendi; ſed omnem rationem gratiæ, & omni modo habuerit: idque tripliciter; Primò,

Triplex gratia Christi, quomodo fuerit infinita.

Gg 3 exten

extenſiuè, quia omnia gratiarum genera continebat: deinde, intenſiuè, quia quodlibet genus gratię ſecundùm ſummum cuiuſque gradum, omnémque modum habebat: tum, ſubiectiuè, quia omnem ſubiecti capacitatem talis gratiæ explebat. Gratia capitis CHRISTI etiã prædictis modis infinita dici poteſt: nam CHRISTVS omnia genera gratiarum ſanctis impertiri poterat; & gratiam communicare poterat cum infinitis hominibus, ſi eſſent infiniti homines: & per ſe ſufficiens erat in infinitum. Et hæc quidem ſunt, quæ de infinitate gratiæ CHRISTI ſtrictim hoc loco libuit attingere.

Dare aliquid ad mẽſuram, vel cum menſura, & dare ſine menſura, eſſe in Sacris litteris prouerbiales locutiones, & quid propriè ſignificet vtraque locutio.

78 Illud porrò neſcire lectorem nolumus, has duas locutiones: *Dare aliquid ad menſuram*, vel *cum menſura*, & *dare aliquid non ad menſuram*, vel *ſine menſura*, eſſe in Sacra ſcriptura quaſi prouerbiales. Et illud, *Dare ad menſuram*, vel *cum menſura*, ſignificat modicè & parcè dare; nam quod ſubtiliter metiendo, vel numerando, vel ponderando damus, non largè, ſed parcè dare volumus. Huius locutionis exemplum eſt apud Ezechielem cap. 4. *Aquam*, inquit, *bibes in menſura*. Et in capite ſeptimo libri Iudith ſcriptum eſt, propter penuriam aquæ, datam fuiſſe populo aquam ad menſuram. Altera verò illa locutio, *Dare aliquid non ad menſuram*, vel *ſine menſura*, ſignificat dare illud largè, prolixè, copioſè; cuius locutionis duo hîc ponam exempla, alterum eſt apud Oſeam: *Erit*, inquit, *numerus filiorum Iſraël, ſicut arena maris, quæ eſt ſine menſura*. (*Oſea 1.*) Alterum exemplum eſt in capite ſeptimo prioris libri Eſdræ, vbi ſcriptum eſt, regem Artaxerſem iuſſiſſe dari Iudæis vinum & oleum, & quædam alia cum certa menſura; at verò ſal dari eis ſine menſura.

CAPVT

CAPVT QVARTVM
EVANGELII IOANNIS.

VT ergo cognouit IESVS quia audie- VERS. 1.
runt Phariſæi quòd IESVS plures
diſcipulos facit, & baptizat, quàm
Ioannes,* (quamquam IESVS non 2
baptizaret, ſed diſcipuli eius)* reliquit 3
Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.
* Oportebat autem eum tranſire per 4
Samariam.* Venit ergo in ciuitatem 5
Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob
Ioſeph filio ſuo.* Erat autem ibi fons Iacob. IESVS ergo fatiga- 6
tus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Hora erat quaſi ſexta.
* Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei IESVS: Da 7
mihi bibere.* (Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem vt cibos 8
emerent.) * Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu 9
Iudæus cùm ſis, bibere à me poſſis, quæ ſum mulier Samaritana?
non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Reſpondit IESVS, & 10
dixit ei: ſi ſcires donum DEI, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi
bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.
* Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & pu- 11
teus altus eſt: vnde ergo habes aquam viuam?* Nunquid tu 12
maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo
bibit, & filij eius, & pecora eius?* Reſpondit IESVS, & dixit 13
ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit

ex

14 ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: * Sed aqua,
quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquę ſalientis in vitam æternam.
15 * Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non
16 ſitiam: neque veniam huc haurire. * Dicit ei IESVS: Vade, voca
17 virum tuum, & veni huc. * Reſpondit mulier, & dixit: Non
habeo virum. Dicit ei IESVS: Bene dixiſti, quia non habes vi-
18 rum: * quinque enim viros habuiſti, & nunc, quem habes, non eſt
19 tuus vir: hoc verè dixiſti. * Dicit ei mulier: Domine, video quia
20 Propheta es tu. * Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos
21 dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet. * Dicit ei
IESVS: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in
22 monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem. * Vos ado-
ratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iu-
23 dæis eſt. * Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores
adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. nam & Pater tales
24 quærit, qui adorent eum. * Spiritus eſt DEVS: & eos, qui ado-
25 rant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. * Dicit ei mu-
lier: Scio quia Meſſias venit, (qui dicitur CHRISTVS) cùm
26 ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. * Dicit ei IESVS:
27 Ego ſum, qui loquor tecum. * Et continuò venerunt diſcipuli eius:
& mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit:
28 Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? * Reliquit ergo hydriam
29 ſuam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: * Ve-
nite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci:
30 nunquid ipſe eſt CHRISTVS? * Exierunt ergo de ciuitate, &
31 veniebant ad eum. * Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes:
32 Rabbi, manduca. * Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo mandu-
33 care, quem vos neſcitis. * Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem:
34 Nunquid aliquis attulit ei manducare? * Dicit eis IESVS: Meus
cibus eſt vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam
35 opus eius: * Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt,
& meſſis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos veſtros, & videte

regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. * *Et qui metit, mercedem* 36
accipit,& congregat fructum in vitā æternam:vt, & qui ſeminat,
ſimul gaudeat,& qui metit. * *In hoc enim eſt verbū verum: quia* 37
alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. * *Ego miſi vos metere* 38
quod vos non laboraſtis:alij laborauerunt,& vos in labores eorum
introiſtis. * *Ex ciuitate autē illa multi crediderunt in eum Samari-* 39
tanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia
dixit mihi omnia quæcunque feci. * *Cùm veniſſent ergo ad illum* 40
Samaritani,rogauerunt eū vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies.
* *Et multò plures crediderunt in eum propter ſermonem eius.* * *&* 41. 42
mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus:
ipſi enim audiuimus, & ſcimus quia hic eſt verè Saluator mundi.
* *Poſt duos autē dies exijt inde: & abijt in Galilæam.* * *Ipſe enim* 43. 44
IESVS *teſtimonium perhibuit quia Propheta in ſua patria hono-*
rem non habet. * *Cùm ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum* 45
Galilæi,cùm omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto:
& ipſi enim venerant ad diem feſtum. * *Venit ergo iterū in Cana* 46
Galilææ vbi fecit aquam vinum. Et erat quidā regulus,cuius filius
infirmabatur Capharnaum. * *Hic cùm audiſſet quia* IESVS *ad-* 47
ueniret à Iudæa in Galilæam,abijt ad eum,& rogabat eum vt de-
ſcenderet,& ſanaret filiū eius:incipiebat enim mori. * *Dixit ergo* 48
IESVS *ad eū:niſi ſigna,& prodigia videritis,nō creditis.* * *Dicit* 49
ad eum regulus:Domine,deſcēde priuſquàm moriatur filius meus.
* *Dicit ei* IESVS:*Vade,filius tuus viuit. Credidit homo ſermoni,* 50
quem dixit ei IESVS, *& ibat.* * *Iam autem eo deſcendente,ſerui* 51
occurrerunt ei,& nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret.
* *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et di-* 52
xerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. * *Cognouit* 53
ergo pater,quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS: *Filius tuus*
viuit:& credidit ipſe,& domus eius tota. * *Hoc iterum ſecundum* 54
ſignum fecit IESVS, *cùm veniſſet à Iudæa in Galilæam.*

IN CAPVT QVARTVM DISPVTATIONES SEXDECIM.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 2. Quamquam IESVS non baptizaret, ſed diſcipuli eius.

IN proximo ſuperiori capite Ioannes 1
Euangeliſta dixit, IESVM veniſſe in Iudæam, & ibi baptizâſſe: hoc autem quemadmodum intelligi deberet, videtur idem Ioannes declarare voluiſſe hoc loco, cùm dixit, IESVM non baptizâſſe, ſed diſcipulos eius: ergo IESVS baptizabat & non baptizabat; baptizabat quidē per diſcipulos; non baptizabat autem per ſe ac manibus ſuis. *Auguſtinus.* Hâc ratione B. Auguſtinus in Tractatu 5. in Ioannem declarat quomodo dictum ſit CHRISTVM & baptizâſſe & non baptizâſſe: baptizabat, inquit, quia ipſe mundabat: non baptizabat, quia non ipſe tingebat. Præbebant diſcipuli miniſterium corporale; præbebat ille adiutorium maieſtatis. Nunquam ceſſat IESVS à Baptizando, quia nunquam ceſſat à mundando: *Ioan. 1.* De IESV enim dixit Baptiſta: *Hic eſt qui baptizat.* Idem Auguſtinus ſimilia horum ſcribit in Epiſtola centeſima

ma octaua quam ſcripſit ad Seleucianam, intelligere, inquit, debemus, IESVM quidem baptizâſſe præſentia maieſtatis, non autem baptizâſſe manibus ſuis: ipſius enim erat baptiſmi ſacramentum, ad diſcipulos autem pertinebat baptizandi miniſterium. Sic Auguſtinus.

2 Verùm, nonnullam habet quæſtionem, An CHRISTVS per ſe ac manibus ſuis aliquos baptizauerit, an verò prorſus nullos: ſuper hac enim re duas reperio doctorum ſententias. Arbitrantur quidam, CHRISTVM manibus ſuis nullos baptizâſſe, ſed propterea dici CHRISTVM baptizâſſe, quia eius diſcipuli, voluntate & iuſſu ipſius baptizabant alios, ipſo CHRISTO principalem Baptiſmi effectum baptizatis conferente: nam quod noſtra voluntate ac iuſſu fit ab iis qui à noſtra poteſtate & gubernatione pendêt, id à nobis fieri vulgo dicitur. B. certè Chryſoſtomus, quem ſequitur hoc loco Theophylactus, in homilia 28. in Ioannem, & in homilia tertia ſuper Acta Apoſtolorum ait, neminem fuiſſe à CHRISTO baptizatum; Apoſtolos autem baptiſmo Ioannis eſſe baptizatos, eodémque baptiſmo baptizâſſe alios, non autem baptiſmo CHRISTI: Argumenta quibus vtrunque probat, & ſolutiones eorum, nec non & refutationem ſententiæ eius, videat lector apud Lyranum ſuper hoc loco. Sanè, Ianſennius hoc in loco putat, Chryſoſtomi & Theophylacti ſententiam eſſe probabilem: idémque pluribus verbis perſuadere contendit Melchior Canus in libro octauo de locis Theologicis in capite quinto. Simile quid Chryſoſtomo tradit Rupertus in libro tertio commentariorum in Ioannem ſuper illis verbis tertij capitis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.* & ſuper illis verbis eiuſdem capitis: *Venit* IESVS *in Iudæam, & morabatur ibi cum diſcipulis ſuis, & baptizabat.*

An Chriſtus per ſe ac manibus ſuis aliquos baptizauerit.

Chryſoſt.

Theophylact.

Lyranus.

Ianſennius.

Mel. Canus.

Rupertus.

3 Altera huic planè contraria eſt ſententia, CHRISTVM per ſe ac manibus ſuis baptizâſſe aliquos, & præcipuè ipſos Apoſtolos. Nicephorus in capite tertio libri ſecundi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euodium Apoſtolorum diſcipulum laudat auctorem, à quo proditum ſit, CHRISTVM ſuis manibus baptizâſſe B. Petrum; à Petro baptizatum eſſe Andream & filios Zebedæi, qui baptizauerunt alios Apoſtolos, à quibus baptizati ſunt ſeptuaginta duo diſcipuli

Nicephorus.

Euodius.

A quo baptizati ſint Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti.

Petrus Caniſius. puli CHRISTI. Petrus Caniſius, vir noſtræ ſocietatis doctus pariter ac religioſus, quinque libros ſcripſit de Beata MARIA, ſanè quàm eruditos & pios, in primi libri eorum quinque capite nono non temerè affirmat, Beatam virginem fuiſſe baptizatã à CHRISTO, vel certè ab Apoſtolis baptiſmo CHRISTI; & huius ſententiæ adſtipulatorem, & probatorem nominat Albertum Magnum, *Albertus Magnus.* qui in libro de laudibus Beatæ MARIÆ virginis in capite octogeſimo primo tradit, Beatam virginem omnia ſacramenta nouæ legis, præter ſacramentum ordinis, accepiſſe.

Hæc ſententia validè firmari hac ratione poteſt, ſacramentum 4
Baptiſmi conditum fuiſſe à CHRISTO cùm ipſe baptizatus eſt in Iordane, *Nazianzenus.* ait Nazianzenus in oratione in ſancta luminaria Epiphaniorum, *Auguſtinus.* & Auguſtinus in Tractatu quinto & decimo tertio in Ioannem, in Epiſtola centeſima octaua ad Seleucianam, & in ſermone *Magiſter ſententiarum.* trigeſimo ſexto de tempore, qui eſt primus de Dominica infra octauam Epiphaniæ; de hoc etiam concors eſt Scholaſticorum *Theologi Scholaſtici.* Theologorum ſententia in diſtinctione tertia libri quarti ſententiarum, vbi hoc tradidit magiſter ſententiarum; idémque ſenſit & docuit nos B. Thomas *S. Thomas.* in tertia parte in quæſtione ſexageſima ſexta in Articulo ſecundo. Si ſacramẽtum baptiſmi à CHRISTO inſtitutum eſt ab initio & ante vocationem Apoſtolorum, non vtique fruſtrà inſtitutum eſt, ſed vt prædicaretur & miniſtraretur hominibus, & ſalutifer eius fructus illis tribueretur. Et Apoſtolos, qui, vt Ioannes ait hoc loco, baptizabant, non alio quàm CHRISTI baptiſmo baptizâſſe putandum eſt: nec ipſi baptizâſſent alios, niſi priùs ipſi baptizati fuiſſent; quomodo enim tantum Baptiſmi CHRISTI fructum non ipſi expetiuiſſent, & accipere voluiſſent? Si autem baptizati ſunt, non ſanè ab alio quàm à CHRISTO: CHRISTVS igitur aliquos baptizauit. Et hoc probare licet *Auguſtinus.* auctoritate B. Auguſtini hoc ipſum in ſuprà dicta Epiſtola centeſima octaua perſpicuè diſertéque docentis: Non omnia, inquit, quæ circa CHRISTVM & Apoſtolos geſta ſunt, in Sacris litteris ſcripta ſunt. *Actorum 9.* Scriptum eſt, quando Apoſtolus Paulus baptizatus eſt; quando autem baptizati ſint alij Apoſtoli, ſcriptum non eſt; verumtamen etiam ipſos baptizatos eſſe, intelligere debemus, vel Baptiſmo Ioannis, ſicut nonnulli arbitrantur, vel,

vel, quod magis credibile eſt, baptiſmo CHRISTI. Neque enim miniſterio baptizandi eos defuit Dominus, vt haberet ipſe baptizatos ſeruos, per quos cæteros baptizaret. Sicut nec defuit ipſe memorabilis illius humilitatis miniſterio, quando eis lauit pedes; & petenti Petro, vt non tantùm pedes, verùm etiam manus & caput ei lauaret, reſpondit: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* (*Ioan. 13.*) Vbi intelligitur, quòd iam Petrus baptizatus fuerat. Hactenus ex Auguſtino.

5 Reſtant duæ hoc loco quæſtiunculæ, paucis expediendæ. Altera eſt hæc: Si CHRISTVS baptizauit Apoſtolos, quomodo Ioannes præcisè dixit, ipſum non baptizâſſe, ſed diſcipulos eius? An quia tantùm ab initio baptizare cœpit, poſtea deſiit baptizare? An quia pauciſſimos tantùm, ſuos videlicet domeſticos baptizauit, non autem externos & quoſlibet ad Baptiſmum venientes? An quia munus hoc baptizandi ſuis diſcipulis iniunxerat, & ipſe prædicationi verbi vacabat? Altera quæſtio eſt, Cur CHRISTVS frequentare noluit munus baptizandi? duas eius rei ſatis idoneas & probabiles cauſas reddere licet. Primò, id fecit Dominus vt exemplo ſuo doceret Eccleſiæ prælatos, debere potiùs eos inſiſtere prædicationi verbi diuini, quàm frequenti adminiſtrationi Baptiſmi occupatos à prædicatione impediri: Baptiſmus enim per quemlibet exhiberi poteſt; at verbum DEI non à quolibet condignè atque vtiliter tractari poteſt. Quocirca Paulus in primo capite prioris Epiſtolæ ad Corinthios ſcripſit: *Non miſit me Dominus*, inquit, *baptizare, ſed euangelizare.* Deinde, ne quis putaret, ſolum Baptiſmum à CHRISTO traditum, efficacem & ſalutiferum eſſe; vel Baptiſmum à meliori datum, eſſe meliorem. Fuêre quondam in hoc errore Corinthij, alij ſe aliis præferentes, quòd vel à Petro, vel à Paulo eſſent baptizati, quos eo in loco grauiter increpat Paulus.

Si Chriſtus baptizauit Apoſtolos, quomodo dicatur ſimpliciter nõ baptizâſſe.

Cur Chriſtus noluerit per ſe munus baptizandi exercere.

Locus 1. ad Cor. cap. 1.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 7. & 8. Venit mulier de Samaria haurire aquam: dicit ei
IESVS, da mihi bibere. Diſcipuli enim
eius abierant in ciuitatem, vt
cibos emerent.

MVLIER illa Samaritana typum geſſit gentilitatis 6
ante CHRISTI aduentum. Gentilis enim po-
pulus ad puteos Philoſophorum currebat, vt hau-
riret aquam veritatis & ſapientiæ: Philoſophi enim
profitebantur habere ſe puteos aquæ viuæ, id eſt,
tradere poſſe hominibus rerum omnium ſcientiam, certámque
rationem bene, ac tranquillè, beatéque viuendi: ſed profectò
mentiebantur, maiora ipſo effectu, & facultate ſua profitentes at-
Putei Philoſophorum. que promittentes. Habebat quidem Epicurus puteum, ſed impu-
Epicurus. ræ voluptatis. Habebat Plato & Platonici puteum, ſed adumbra-
Plato. *Zeno.* tæ diuinitatis atque pietatis. Habebat Zeno & Stoici puteum, ſed
ſimulatæ honeſtatis, & commentitiæ virtutis; talem enim profite-
bantur & iactabant virtutis perfectionem, qualem nec habebant
ipſi, nec mortalium quiſquam, ſine ſpeciali auxilio DEI, habere
Pythagoras. poterat. Habebat Pythagoras puteum, ſed ſuperſtitioſæ religionis,
& magicarum vanitatum atque fallaciarum. Habebat denique
Ariſtoteles. Ariſtoteles puteum, ſed eius duntaxat doctrinæ quæ ſenſuum mi-
niſterio & adminiculo comparari poſſet; in principali autem ſa-
pientiæ parte quæ ad DEVM & res diuinas, & humanum ani-
mum pertinent, ſatis iejunus, & obſcurus, atque perplexus fuit.
Ieremiæ 2. Erant itaque Philoſophorum ciſternæ diſſipatæ, vt Hieremiæ ſimi-
litudine vtar, quæ non valebant continere aquas bonas & ſalu-
bres, ſed aquas peſtilentes bibentibus, vel certè bibentium ſitim
nequaquam explentes.

Neceſſitas & vis gratiæ Dei præuenientis hominem. Huic mulieri Samaritanæ non quærenti, imò prorſus ignoranti 7
CHRISTVM, vltro ipſe occurrit, multáque myſteria, & ſe ipſum
manifeſtauit, in quo agnoſcimus neceſſitatem & vim gratiæ DEI
præue-

præuenientis hominem,nihil de ſalute ſua, vel etiam contraria ſaluti ſuæ cogitantem vocantis ad ſe, & vt venire queat adiuuantis. Et hoc non ſolùm cernere licet in gratia DEI iuſtificante ac ſanctificante hominem, ſed etiam in aliis DEI gratiis, quas vocant gratis datas. Apoſtolos ipſe in mari piſcantes, Matthæum in Telonio ſedentem, Saulum Eccleſiam CHRISTI hoſtiliter inſectantem vocauit ad Apoſtolatum. Saulem aſinas patris ſui quærentem, Dauidem patris ſui gregem paſcentem ad regiæ dignitatis & potentiæ faſtigium euexit. Natiuitatem CHRISTI ante omnes nunciarunt Angeli paſtoribus aliud agentibus, nec de ea re cogitantibus.

Matth. 4. & 9. *Act. 9.* *1. Reg. 9. & 16.* *Luc. 2.*

8 Sequuntur illa verba, *dicit ei* IESVS, *Da mihi bibere.* Sermocinandi cum illa muliere Samaritana initium fecit CHRISTVS à petitione potus; petiit autem potum, poſtquam illa mulier hauſerat aquam ex puteo. Sed cur CHRISTVS tam durè cum muliere Chananæa, tam blandè verò cum hac muliere Samaritana egit? An quòd illa figuraret ſtatum gentilitatis ante CHRISTI aduentum, quam tunc deſpexiſſe DEVS videbatur; hæc autem Samaritana referret ſtatum populi gentilis poſt CHRISTI aduentum, quo tempore magnam DEVS erga illum benignitatem & miſericordiam exhibuit? An potiùs vt illius maximam fidem & conſtantiam magis declararet in confuſionem & condemnationem infidelitatis Iudæorum: Samaritanam verò blandè & affabiliter tractauit, vt eam, & per eam plures Samaritanos ad fidem alliceret? Petiit CHRISTVS potum ab illa muliere, vt hinc occaſionem cum ea loquendi caperet; ipſa enim, & quia mulier erat, & quia Samaritana, non eſſet auſa prior & vltro CHRISTVM alloqui: vnde nactus loquendi opportunitatem CHRISTVS, non curauit poſtea potum ab ea petere. Non ſum neſcius, CHRISTVM fatigatum itineris labore, & ardore ſolis meridiani, ſitibundum indiguiſſe potu: ſed etiam ſcio, non ei fuiſſe opus miniſterio illius mulieris ad bibendum: Cui enim Angeli eſurienti miniſtrabant cibos in deſerto, cur non etiam ſitienti potum præbuiſſent? Cur qui pauxillum panis ad ſatietatem multorum millium hominum multiplicauit; non itidem vel vnam aquæ guttam quo non ſuo tantùm, ſed multorum quoque potui ſufficeret, multiplicare poſſet?

Matth. 15. *Cur Chriſtus tã durus erga Chananæam fuerit, erga Samaritanam verò tã blandus & affabilis.* *Cur Chriſtus potum petierit à muliere Samaritana.* *Matth. 4.* *Ibid. 14. & 15.*

Numero. 21. Iudicum 14. 3.Reg.19. 4.Ibid.6.

poſſet? nimirum, ipſe de petra Hebræis, ex maxilla aſini Sampſoni, per Angelum Eliæ potum dedit. Poterat CHRISTVS ſua diuina potencia facere, vt aqua illius putei ex imo vſque ad ſummum putei adſcenderet; ſicut Eliſeus ferrum aquis demerſum, ſupra aquas fecit adſcendere. *Cur Deus multa à nobis petat.* Petiit igitur CHRISTVS ab illa muliere potum, magis propter ipſius vtilitatem quàm ſuam: qua etiam de cauſa multa DEVS à nobis exigit, non ſuæ, ſed noſtræ vtilitatis cauſâ; quo ſcilicet nobis bene agendi, benéque merendi amplam ſuppeditet materiam. Petit à nobis, quæ prior ipſe dedit nobis; Scriptum enim eſt in priori libro Paralipomenon: *Quæ de tua manu accepimus, ea reddimus tibi.* Et quaſi non ſua eſſent dona, ſed omnino noſtra opera, ea rependit, & ſempiterna mercede remuneratur.

Cur Chriſtus remāſit ſolus. Reſtant illa verba: *Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.* Solus remanſit CHRISTVS, quò poſſet commodius, & ſine pudore atque infamia illius mulieris, ſecreta eius vitia ei aperire: nec ſanè præſentibus diſcipulis occaſionem habuiſſet petendi ab illa muliere potum; nec tam longum cum ea miſcendi ſermonem. *Paupertas Chriſti & diſcipulorū eius.* Conſideret hoc loco lector paupertatem CHRISTI & diſcipulorum, & incuriam, neglectúmque rerum corporalium, etiam quibus humano victui opus eſt: videlicet, iter facturi per gentem Samaritanam Iudæis inhoſpitalem atque infeſtam, non tulerant ſecum viaticum perficiendo itineri ſufficiens: & alio loco (*Matth.13.*) ſcriptum eſt, diſcipulos CHRISTI præ fame, ex cibi inopia, vellendo ſpicas comediſſe. *Vnde Chriſtus & diſcipuli neceſſaria victui haberent.* Hinc quoque apparet, CHRISTVM & diſcipulos eius non eſſe ſolitos victum oſtiatim mendicatò quærere; ſed habuiſſe in commune pecunias ad victum comparandum, ex eleemoſynis tamen religioſarum mulierum quæ CHRISTVM ſequebantur (*Luc.8.*), & neceſſaria illi ex ſuis facultatibus ſubminiſtrabant: nam & legimus, Iudam habuiſſe loculos, curámque emendi (*Ioan.13.*) ad communem CHRISTI & diſcipulorum victum pertinentia. 9

Sed in quam ciuitatem diſcipuli abierant, vt cibos quærerent? verisimile eſt iuiſſe eos in ciuitatem Sichem, propinquam ei loco vbi remanſerat CHRISTVS, quatuor nempe, vel quinque horarum itinere diſtantem; ea verò ciuitas poſtea denuò ædificata & 10

ampli

amplificata, & magnis, pulchríſque ornata eſt ædificiis ab Herode rege in honorem Auguſti Cæſaris, atque eius nomine appellata, dicta enim eſt Sebaſtè, quod Latinè ſonat, *Auguſta*. Hæc olim vocabatur Samaria, & caput fuit regni Iſraël, ac decem tribuum. Verùm, cùm CHRISTVS vetuerit diſcipulos ſuos intrare in ciuitates Samaritanorum, dixit enim illis, vt narrat Matthæus, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*, quomodo tunc eos ad ciuitatem Samaritanorum ire paſſus eſt? Sed ſcire conuenit, CHRISTVM tunc non omnem prohibuiſſe ingreſſum ad Samaritanos, præſertim verò neceſſarium victus quærendi cauſa: ſed vetuiſſe ingreſſum ad eos ad conuerſandum cum ipſis familiariter & commercia tractanda; præcipuè verò ad prædicandum Euangelium, hoc enim reſeruauerat ad tempus poſt Paſſionem ſuam. Similiter Theologi Eccleſiaſticæ legi quæ vetat agere cum excommunicatis, excipiunt aliquot cauſas, ob quas id, citra violationem legis, & ſine crimine fieri licitum ſit.

Locus Matth. cap. 10.

Quomodo diſcipuli inerint in ciuitatem Samaritanorum, quibus ingreſſum ad eos Chriſtus interdixerat.

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. VERS. 9.

Explicantur octo cauſæ mutui Judæorum & Samaritanorum diſſidij atque odij.

11 NONNVLLA de regione ac gente Samaritanorum hoc in loco paulò altiùs repetenda ſunt, quo cauſæ tanti diſſidij & odij, quantum fuiſſe olim inter Iudæos atque Samaritanos legimus, planiùs, pleniúſque cognoſcantur. Regio Samariæ quondam habitabatur à tribu Effrahim & à dimidia tribu Manaſſe. Dicta eſt Samaria à monte Somer, in quo monte Rex Iſraël Amri pater Regis Achab ædificauit ciuitatem, quam nominauit Samariam, Hebraicè Schomeron, vel ex nomine montis illius, vel ex nomine Domini à quo montem illum rex emerat: quæ ciuitas caput regni Iſraël & decem tribuum fuit,

qua de te ſcriptum eſt in libro tertio Regum cap. 16. Qui eam regionem colebant ante captiuitatem decem tribuum, communi vocabulo Iſraëlitæ appellabantur: ſed Rex Aſſyriorum abductis in captiuitatem decem tribubus, pro illis miſit ex variis ciuitatibus Mœdiæ, maximè verò ex Cuta colonos eius regionis; quamobrem longo poſtea tempore dicti ſunt Cutæi, deinde Samaritani. Verùm, quia propter earum gentium idololatriam vehementer ea regio infeſtabatur à leonibus, miſſi ſunt à Rege ſacerdotes Iudæi, qui eos cæremoniis & ritibus Iudaicis imbuerent & erudirent, & ea ratione ceſſauit illa plaga. Sed poſtea illi miſcentes cultum veri DEI cum ſuperſtitionibus gentium, ſimul DEVM Iudæorum, deóſque aliarum gentium colebant: & conſequentibus tempo-
Doſitheus. ribus variis corrupti ſunt erroribus à quodam Doſitheo transfuga
Epiphanius. Iudæorum, & propriæ ſectæ conditore, quem Epiphanius tractans Hæreſim decimam tertiam ait fuiſſe ante CHRISTI ad-
Egeſippus. uentum; Egeſippus verò ſcribit eum fuiſſe poſt CHRISTI tempora, imperante Romanis Nerone. Seducti etiam poſtea ſunt à Simone Mago, vt in capite octauo libri de Actis Apoſtolorum refert Lucas.

Iudæi porrò ſimiliter oderant & execrabantur Samaritanos, vt 12
nos Catholici Hæreticos, & magnæ contumeliæ loco CHRI-
Ioan. 8. STVM Dominum appellârunt Samaritanum, dicentes. *Quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes*, quemadmodum ſi nos appella-
Octo cauſæ ob quas Iudæi abominarentur Samaritanos. remus aliquem Lutheranum vel Vgonotum; Cur autem Iudæi tantopere oderint, & abominati ſint Samaritanos, octo cauſas reddere licèt: Prima cauſa; quia Samaritani erant oriundi ex Aſſyriis, à quibus Iudæi maximis fuerant calamitatibus contriti, & abſtractis in ſeruitutem decem tribubus, potentiam & amplitudinem Iudæorum maiorem in modum illi diminuerant & debilitauerant. Secunda cauſa: quia Samaritani poſſidebant regionem quæ pertinebat ad hæreditatem Iudæorum, quam ſcilicet Tribus Effhraim & dimidia Tribus Manaſſe tenuerant. Tertia cauſa: quia illi verum DEVM Iudæorum, & falſos gentium deos pariter colebant, miſcebántque Iudaicas cæremonias cum ſuperſtitionibus Gentilium. Quarta cauſa: quia Samaritani pro ſacris libris ſolos quinque libros Moyſi recipiebant, cæteros autem omnes & hiſtori

hiſtoricos,& propheticos,& ſapiẽtiales libros abiiciebant. Quinta cauſa: quia Iudæos poſt reuerſionẽ eorũ ex captiuitate Babylonica tẽplum Domini ædificare aggreſſos, quoquomodo illi ab ædificatione deterrere & remouere conati ſunt, ſicut in capite quarto prioris libri Eſdræ ſcripum eſt. Sexta cauſa: Erant Samaritani inconſtanti admodum, & ſimulata fide ac beneuolentia erga Iudæos: nam ſecundis Iudæorum rebus, iactabant ſe Iudæorum eſſe gentiles, ſicut Alexandro magno fautori & benefactori Iudæorum, Samaritæ Iudæorum ſe cognatos eſſe profeſſi ſunt. At verò, aduerſis Iudæorum rebus, vt in perſecutione Antiochi Epiphanis, non modò ſe vt alienos, verùm etiam vt inimicos atque infeſtos Iudæis gerebant, negantes, ſe oriundos ex Iudæis eſſe, ſed partim ex Aſſyriis, partim ex Sidoniis ortos dicebant, ſicut Ioſephus libro vndecimo & duodecimo antiquitatum copioſè ſcribit. *Alexander Magnus.* *Ioſephus.*

13 Septima cauſa, eáque grauiſſima, fuit huiuſmodi: ædificârunt Samaritani templum in monte Garizim ad æmulationem templi Hieroſolymitani, cui præfecerunt ſacerdotes, & inſtituêre ſacrificia. Hinc extitit inter vtranque gentem de præſtantia templi vehemens altercatio; in tantum prouecta, vt ad regem Ægypti Philometorem, quaſi arbitrum & iudicem delata ſit. Rex cognitis vtriuſque gentis, diiudicatíſque rationibus, ſententiam Iudæis adiudicauit: ſed nihilominus tamen perdurauit ea altercatio vſque ad tempora huius mulieris Samaritanæ; id enim intelligere licet ex illis eius mulieris verbis: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, vos dicitis quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.* Octaua cauſa: Samaritani magno, & pernitioſo erant Iudæis ſcandalo: etenim quicunque Iudæorum propter violationem legis, vel ob alia ſcelera non poterant impunè ac tutò in Iudæa verſari, transfugiebant ad Samaritanos: cuius perfugij fiducia, audaciores ad quæcunque flagitia patranda reddebat plurimos, vt in libro vndecimo antiquitatum narrat Ioſephus. Ob has itaque octo cauſas Iudæi vehementer oderant & deteſtabantur Samaritanos. *Rex Ægypti Ptolemeus Philometor.* *Ioſephus.*

14 At enim verò, in tempore CHRISTI Domini & Apoſtolorum fuiſſe Samaritanos ad pietatem propenſiores, & dociliores diſciplinæ Euangelicæ, & ad fidem CHRISTI accipiendam paratiores, ſatis manifeſtum fit exemplo huius mulieris, & Samaritanorum, *Samaritanos tẽpore Chriſti & Apoſtolorũ fuiſſe propenſos ad pietatem, & ad fidẽ Chriſtianam.*

norum, quorum multos, biduo tantùm cum illis verſatus CHRISTVS ad fidem ſuam adduxit, vt in hoc ipſo capite quarto narratur. Et inter decem leproſos à CHRISTO ſanatos, vnus duntaxat, qui erat Samaritanus, ad agendas ipſi gratias regreſſus eſt, ob idque præconio Domini commendatus. Ille quoque infelix homo Hieroſolymis profectus in vrbem Hierico, & in itinere ſpoliatus à latronibus, grauitérque vulneratus, cùm à Leuita & à Sacerdote illac prætereuntibus eſſet neglectus, à ſolo Samaritano benignè acceptus & curatus eſt. Denique, in primo anno poſt Domini paſſionem, Samaritana gens, prædicante Euangelium ei Philippo, verbum DEI recepit: cuius gentis ad CHRISTVM conuerſionem tanti fecêre Apoſtoli, vt ad eam magis erudiendam & confirmandam duo primarij Apoſtoli, Petrus & Ioannes profecti ſint.

Luc. 17. *Ibid. 10.* *Act. 8.*

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 10. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

Exponuntur quindecim cauſæ, ob quas gratia DEI *ſæpe in Sacra ſcriptura vocabulo & ſimilitudine aquæ denotatur.*

SVPER hiſce verbis duæ quæſtiones diligenter explicandæ ſunt: prior quidem, quæ tractabitur in hac quarta diſputatione, Cur gratia DEI & hìc, & multifariam alibi in Sacris litteris vocabulo & ſimilitudine aquæ denotari ſoleat? poſterior autem quæſtio, quæ diſcutietur in proximè ſequenti diſputatione, hæc eſt, quomodo intelligendum ſit, eum qui biberit aquam CHRISTI, id eſt, gratiam eius acceperit, non ſitire in æternum? 15

Sex effectus gratiæ Dei ſimiles effectibus aquæ.

Cur autem gratia CHRISTI vocabulo & ſimilitudine aquæ frequentèr in Sacris litteris declaretur, complures, ſatiſque probabiles cauſæ & rationes afferri poſſunt. Prima cauſa: gratia DEI ſex habet ſpirituales effectus, perquàm ſimiles corporalibus effectibus

ctibus aquæ. Gratia enim DEI mundat animam, eluens ſordes peccatorum: gratia DEI reſtinguit ardorem concupiſcentiæ: gratia DEI tollit ſitim & cupiditatem rerum terrenarum: gratia DEI per affectum amoris conglutinat hominem cum DEO & cum proximo: gratia DEI fœcundat animum, reddens eum fertilem bonorum operum: Et quemadmodum aqua, cùm vnius ſit naturæ, varios tamen in rebus variis effectus, & interdum contrarios gignit, vt in lilio colorem candidum, in Narciſſo nigrum, in roſa rubrum, in viola purpureum; & in ficu producit dulcedinem, in abſynthio amaritudinem: ita DEI gratia quibuſdam præcipuè tribuit ſpiritum humilitatis & timoris; aliis ſpiritum fiduciæ & magnanimitatis; in quibuſdam ſuſcitat ſpiritum mœroris & triſtitiæ; in aliis lætitiæ atque hilaritatis: nonnullos fugere facit conſortia hominum, & ſolitudines petere; alios ad tractandos iuuandóſque homines incitat: Nonnullos erigit ad contemplationem, & in ea detinet; alios incendit ſtudio colendi vitam actiuam, externáque virtutum officia exercendi.

16 Secunda cauſa: Aquarum partim de cœlo defluunt, partim ſcaturiunt è terra, partim ex mari per occultos terræ meatus permanant: Similiter gratia à ſolo DEO infunditur homini, & ex corde eius ſcaturiens exit foras edendo bonas actiones & præmio vitæ æternæ dignas: atque ex immenſo illo mari gratiæ CHRISTI per occultos quaſi meatus & canales Sacramentorum ad animos hominum deriuatur. Tertia cauſa: gratia DEI in Sacris litteris vocatur fons, ob perennitatem atque indeficientiam: nominatur flumen propter abundantiam, perpetuúmque curſum: dicitur puteus propter occultam gratiæ præſentiam, & quia laborem requirit hauriendi: appellatur mare, quia ſæpe coniuncta ſit cum multarum rerum aſperitate & tanquam amaritudine, & quia per eam nauigamus, portum cœleſtis gratiæ petentes. Quarta cauſa: diuina ſcriptura duplices facit aquas, alteras quidem cœleſtes ſiue ſupercœleſtes, alteras verò terreſtres; & illas quidem potiſſimùm inuitat ad laudandum DEVM, vt cernere licet in Pſal. 148. & in Cantico trium puerorum: Sic etiam duplex eſt gratia vna conſummata & beatifica, quam habent cœlites, quorum perpetua occupatio eſt, ſine intermiſſione laudare DEVM: vt in eos veriſſimè

Cur gratia Dei in Sacris litteris vocetur nomine fontis, & fluminis, & putei, & maris.

Pſal.83. illud Dauidis dici queat, ***Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.***

Quinta cauſa: Sicut Philiſtæi omnes puteos quos foderat Iſaac & ſerui eius, obſtruxerunt, præter vnum puteũ, ſicut narratur in lib. Gen. cap. 26. Sic putei bonorum temporaliũ obſtrui poſſunt, quia poſſunt ea bona nobis auferri, diuitias dico, honores, ſanitatem, amicitias; at puteus diuinæ gratiæ nullo modo, nobis nolentibus, obſtrui poteſt, gratia quippe DEI nulla vi poteſt inuito homini auferri.

Sacramenta eſſe tanquam aquæ ductus diuinæ gratiæ. Sexta cauſa: Holophernes videns Bethulienſes, niſi aqua eos 17
deficeret, inexpugnabiles fore; conatus eſt aquam ab illis auertere, aquæ ductus intercidendo: ita Diabolus per Hæreticos conatur Eccleſiæ auferre legitimum vſum & cultum Sacramentorum, quæ ſunt tanquam aquæ ductus diuinæ gratiæ ad hominem.

Septima cauſa: legitur in lib. tertio Regum cap. 17. longo tempore non pluiſſe ſuper terram Iſraël; orante autem Elia, nubecula quædam è mari aſſcendens, paulatim adeò eſt dilatata, vt cœlum vſquequaque obtegens largiſſimos funderet imbres: ſimiliter DEVS ſuper gentilem populum, vſque ad CHRISTI aduentum, non effuderat gratiæ ſuæ imbres; ſed CHRISTO è mari paſſionis cœlos aſſcendente, effuſa eſt ingens copia diuinæ gratiæ, & ſinguli Apoſtolorum facti ſunt tanquam flumina ad omnes terræ partes irrigandas ac fœcundandas: & ad hoc non ineptè applicari poſſet illud quod in Pſalmo ſexageſimo quarto ſcriptum eſt: ***Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam: flumen*** DEI ***repletum eſt aquis.*** Huc etiam ſpectat illud Eſaiæ vaticinium quod eſt in capite 43. *Locus Eſaiæ cap. 43.* ***Ecce***, inquit, ***ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam, & in inuio flumina: glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones; quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo: populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.*** Huc etiam accommodari poteſt illud Mardochæi ſomnium quod narratur in capite decimo libri Eſther: *Locus Eſther cap. 10. Somnium Mardochæi.* Mardochæo viſus eſt in quiete primò fons quidam paruus, mox in magnum flumen amplificatus, & redundans in aquas plurimas; poſtea mutatus in lucem & ſolem. Hac enim viſione præfigurata eſt gratia Euãgelij, continens aquam diuinæ

diuinæ gratiæ, qua lauãtur peccata & bona cœleſtia comparantur; & ſolem diuinæ ſapientiæ tenebras errorum in toto mundo diſcutientis.

18 Octaua cauſa: dicitur aqua viua, quæ continuato cum ſua origine curſu perenniter fluit; & quàm altè oritur aqua, tam altè etiam poteſt aſſcendere. Sic ſe habet gratia, proueniens à Deo & ab ipſo ſemper pendens & ſaliens ad vitam æternam: nam vt dixit Paulus: *Gratia* Dei *vita æterna*, neque enim aliud eſt gloria æterna, quàm ipſa gratia vſquequaque conſummata; gratia eſt quaſi ſemen, gloria eſt tanquàm fructus eius. *Ad Rom. 6.*

Nona cauſa: quẽadmodũ ſi quis haberet fontẽ aquę intra viſcera ſua perpetuò interiora eius humectantẽ ac refrigetantem, nunquã ille ſitiret: ſimiliter affectus eſt qui gratiã Dei habet in corde ſuo; & hæc gratia dicitur ſalire in vitam æternam, quia producit opera bona, per quæ eleuatur homo ad merendum & comparandum præmium æternæ vitæ.

19 Decima cauſa: Maior eſt in hyeme aquarum copia quàm in æſtate; & aqua ſalſa maris multò plures & grandiores fert piſces quàm aqua dulcis; & in aqua ſalſa faciliùs & tutiùs quàm in dulci nauigatur & natatur. Conſimili ratione, gratia Dei rebus aduerſis magis quàm ſecundis augeſcit, & roboratur, & perficitur, vt luculentè Paulus in Epiſtola ad Romanos cap. 5. & in ſua Catholica Epiſtola Iacobus demonſtrârunt. Huius rei manifeſtum eſt illud argumentum, quòd Primitiua Eccleſia quò pluribus eſt agitata & conflictata perſecutionibus, eò maioribus locupletata eſt diuinæ gratiæ diuitiis, maioribuſque firmata præſidiis; nimirum in tolerandis malis fortior, & in bene agendo feruentior atque fœcundior.

Gratia illuſtrior & fortior & perfectior eſt in rebus aduerſis quàm ſecundis.

20 Vndecima cauſa: licèt homini ſano & robuſto aqua ſufficit ad potum, plurimis tamen, propter infirmitatem valetudinis, ſalubrior eſt potus ex aqua & vino temperatus: Sic etiam, licèt ſola gratia per ſe ſufficiens homini ſit ad conſequendam ſalutem animæ; gratiæ tamen adiungenda eſt doctrina, quò meliùs Eccleſia gubernetur, fideles erudiantur, & in fide confirmentur, & aduerſarij Chriſtianæ diſciplinæ validiùs profligentur. Huiuſmodi potum miſcet in Christi Eccleſia diuina ſapientia, & offert omnibus

Temperamẽtum aquæ & vini ſignificãs coniunctionem gratiæ cũ doctrina, quàm ſalubre ſit homini.

Locus libri Prouerbior. cap. 9.

omnibus ad bibendum; de quo ſcriptum eſt in capite nono libri Prouerbiorum: *Sapientia ædificauit ſibi domum, poſuit menſam ſuam; miſcuit vinum, omnéſque inuitans ait: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Sola aqua non corroborat debilem ſtomachum; ſolum vinum inebriat, & cõturbat vſum rationis, pluréſque parit morbos: vtriuſque autem, vini & aquæ inuicem mixtio & temperatio, ſalubrem pariter facit atque iucundum potum.

Locus Ezech. cap. 47.

Viſio Ezechielis magnam gratiæ Dei vim præfigurans.

Duodecima cauſa: Propheta Ezechiel, vt narrat ipſe in capite 21
quadrageſimo ſeptimo, vidit in ſpiritu torrentem aquæ ex templo Dei egredientis; qui, quaſcunque alias aquas, priùs noxias, attingebat, continuò ſanabat, & ſalubres ad potandum reddebat; gignebat præterea ingentes atque optimos piſces, & vtrinque in ripis ſuis pulcherrimas & fructuum optimorum feraciſſimas arbores procreabat: huiuſmodi ferme eſt gratia Dei, quæ coniuncta cum diuitiis terrenis, & cum honoribus & dignitatibus humanis, & cum externis & profanis doctrinis, quæ res pleriſque hominibus magnum animæ detrimentum afferre ſolent; eas res ipſa gratia reddit vtiles, pluriúmque bonorum fertiles. Decima tertia cauſa: In fontibus minor eſt aqua, & magis particularis; in fluminibus copioſior eſt atque vniuerſalior; in mari Mediterraneo multò plus eſt aquæ quàm in fontibus vel fluminibus; in Oceano autem, qui eſt quaſi matrix & origo aquarum, inæſtimabilis aquæ copia eſt. Similiter gratia Dei in minoribus ſanctis, ſuæ tantùm vel paucorum ſaluti ſtudentibus, eſt ſicut aqua in fontibus: at in Apoſtolis, aliiſque maximis ſanctis plurimorum vtilitati deſeruientibus, eſt gratia tanquam in fluminibus: in Beata autem Virgine eſt tanquam in mari; in Christo autem tanquam in ipſo Oceano.

Quomodo gratia Chriſti, ad ſimilitudinẽ aquæ, aliter ſit in minoribus atque in maioribus ſanctis, & aliter in B. virgine, & in ipſo Chriſto.

Quomodo aqua cũ terra cõmixtio deſignet coniunctionẽ gratiæ cum libero Arbitrio.

1. ad Cor. 15.

Decima quarta cauſa: nec aqua ſine terra, nec terra ſine aqua 22
ſeparatim conſiſtere poſſent, ſed vtraque indiget alterius admixtione & adminiculo: aqua enim indiget terra vt fundamento ad ſubſiſtendum: terra indiget aqua tanquam glutine, ne diſſipetur, & in puluerem reſoluatur, & vt per aquam fœcundetur; terra enim penitus expers aquæ non modò ſterileſceret, ſed in puluerem tota reſolueretur. Ad eundem ferme modum ſe habet gratia Dei & liberum hominis Arbitrium: nam nec liberum Arbitrium quidquam valeret ſine gratia; neque gratia ſine libero Arbitrio faceret

opera

opera quibus homo verè diceretur mereri vitam æternam. Vnde Paulus dixit: *Non ego autem, ſed gratia* DEI *mecum*. Decima quinta cauſa: quemadmodum omnia flumina exeunt ex mari, & denique reuertuntur ad mare, vt ſcriptum eſt in principio libri Eccleſiaſte: ita gratiæ omnium Sanctorum CHRISTVS principium & finis eſt: nam vt ſuprà ſcripſit Ioannes, *De plenitudine eius nos* *Ioan.1.*
omnes accepimus, gratiam pro gratia. Et finis omnium ſanctorum eſt, cõformes fieri imaginis filij DEI, vt Paulus dixit: vt CHRISTVS *Ad Rom.8.*
videlicet, qui caput eſt omnium electorum, habeat membra ſimilia ſibi, id autem eſt, ſancta, ſicut ipſe ſanctus eſt: vnde ipſe dixit in Apocalypſi: *Ego ſum principium & finis; &, qui eſt principium creaturæ* DEI. *Apoc.1. Ibid.2.*

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis eiſdem verbis:

Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. VER.10.

Declaratur, quomodo intelligendum ſit, qui biberit aquam CHRISTI, *eum non ſitire in æternum.*

23 SEQVITVR altera quæſtio, quam ſuprà diximus eſſe in hac diſputatione tractandam, Quomodo intelligendum ſit, qui ſemel biberit aquam CHRISTI, id autem eſt, gratiam eius acceperit, eum non ſitire in æternum: cùm ſæpe contingat, vt qui gratiam CHRISTI accepit, diúque tenuit, poſtea eam amittat, neque vnquam deinceps recuperet; & qui CHRISTI gratiam habet, etiam tunc cùm eam habet, magis ſitiat, teſtante hoc Domino: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* *Matth.5.* Et de diuina ſapientia ſcriptum eſt: Qui edunt & bibunt eam, adhuc eſurire & ſitire eam. *Eccl.24.*

Verùm, quò diſtinctiùs, & enucleatiùs quæſtio hæc tractetur, duo lectorem prænoſſe conuenit. *Sex res in ſiti corporali inueniri.* Primò ſciendum eſt, in ſiti corporali ſex res inueniri: Prima eſt, defectus humidi & frigidi naturalis per caloris naturalis vim & actionem conſumpti: Secunda

res, pœna corporalis, quæ ex illo defectu accidit homini cum cruciaus, ſi diu potus differatur; Tertia res, eſt ariditas & ſiccitas corporis humani, & niſi ſubueniatur, defectio virium & vitæ, ac denique interitus; & in ipſa terra defectus aquæ, quaſi potus, facit eam ſterileſcere, atque in puluerem reſolui: Quarta res, eſt ardens deſiderium potus, hoc autem eſt, appetitus frigidi & humidi, quo nimirum reficiatur id quod perditum fuerat: quinta res, in ſitiente, cùm bibit, & dum bibit, ſimul eſt & deſiderium amplius bibendi, & voluptas ex eo quod bibit. Sexta res, extincta iam ſiti accidit ſacietas potus, & faſtidium amplius tunc bibendi; itaque ſi amplius biberet, qui ſitim bene iam expleuit ſuam, non ſolùm non biberet cum voluptate, verùm etiam magno biberet cum faſtidio.

Duplex ſitis humani animi, altera tēporalium, altera æternorū bonorum: & illa triplex, hæc autem quintuplex eſt.

Deinde, intelligendum eſt, duplicem eſſe ſitim humani animi: 24
alteram quidem eſſe bonorum temporalium; alteram verò bonorum cœleſtium & æternorum. Sitis bonorum temporalium triplex eſt: illa enim ſitis & cupido bonorum temporalium eſt triplex; vel habendi bonum temporale quod non habetur; vel quod iam habetur, magis indies augendi; vel id conſeruandi, &, quoad eius fieri queat, perpetuandi. Sitis autem & deſiderium bonorum ſpiritualium & cœleſtium, quintuplex eſt. Vna eſt, vt habeatur DEI gratia quæ non habetur, quam ſitim habet peccator pœnitens, & ad iuſtificationem tendens. Altera ſitis eſt, vt accepta iam gratia magis indies augeatur & conſeruetur vſque ad finem. Tertia eſt, vt gratia conſummetur per clarā & beatificam DEI viſionem atque fruitionem. Quartam ſitim Beati habent in cœlis glorificationis ſuorum corporum; quæ tamen ſitis eſt in illis ſine pœna, quia certiſſimam habent illius ſpem, & quia illius dilatio facit ad maiorem DEI gloriam & cœleſtis curiæ gaudium: de quo ſcriptum eſt in ſexto capite libri Apocalypſis, & à nobis ſuper eo ipſo loco in tertio Tomo ſelectarum diſputationum noſtrarum in Apocalypſim, copioſè diſputatum. Quinta quoque ſitis in ipſis eſt beatis; qui ſemper videntes DEVM, ſemper videre eum deſiderant; ſecundùm illud B. Petri dictum: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* & illud diuinæ ſapientiæ, quod eſt in vigeſimo quarto capite libri Eccleſiaſtici: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Illud enim beatorum deſiderium nec pœnam habet,

1. Pet. 1.

bet, & omne penitus excludit faſtidium.

25 Duabus hiſce rebus prænotatis, ad propoſitam ſuprà quæſtionem reſpondendum eſt hoc modo. Gratia DEI dicitur tollere ſitim hominis multas ob cauſas. Primò, quia DEI gratia, quantum in ipſa eſt, vim habet tollendi, & ſitim & omnes defectus corporales; non quidem in hac vita, ſed in futura vita poſt corporum reſurrectionem, cùm Beati, etiam corpore immortales atque impaſſibiles erunt: de illis enim ſcriptum eſt: *Non eſurient neque ſitient &c.* Si enim Moyſes & Elias, etiam dum erant in corpore mortali & paſſibili, gratia DEI eos ſuſtentante, totos quadraginta dies, ſine fame, ſitíque perdurârunt; quantò magis id in beatis præſtare poterit gratia conſummata & beatifica? tollit prætera DEI gratia ſitim hominis, quia immoderatam cupiditatem bonorum temporalium ei aufert; interiùs demonſtrando ei breuitatem & inſtabilitatem, atque inanitatem eorum bonorum; quorum ſcilicet poſſeſſione non modò non extinguitur ſitis humani appetitus, ſed magis etiam incenditur. Contrà verò, gratia oſtendit homini dignitatem & iucunditatem, æternitatémque bonorum cœleſtium, quæ non ſolùm omnem animi humani ſitim & cupiditatem explere & ſatiare, ſed etiã ſempiterno æuo vſquequaque beatum facere eum poſſunt.

Quibus modis gratia Dei auferat ſitim homini.

Apoc. 7.

Exod. 24. & 34.

3. Reg. 19.

26 Ad hæc, gratia tollit ſitim ſpiritualem hominis, quia tollit peccatum, quod ſecum habet quadruplicem cauſam ſitis. Etenim peccatum affert defectum frigidi & humidi, id autem eſt, beneuolentiæ ac fauoris diuini, quo refrigeratur, & recreatur, & ſuſtentatur humanns animus. Peccatum item ſuſcitat inordinatum atque immoderatum deſiderium bonorum temporalium, quod deſiderium præſentia diuinæ gratiæ vel extinguitur, vel ſatis mitigatur & corrigitur: Huc ſpectat illa Salomonis in decimo tertio capite libri Prouerbiorum ſententia: *Iuſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum, inſatiabilis:* iuxta quam ſententiam & illa eſt Dauidis: *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas.* Peccatum prætereà perpetuo ſpirituali angore & mœrore cruciat animum hominis; ſicut vehemens ſitis corporalis ipſum corpus, propter pudorem videlicet atque pœnitentiam malorum quæ homo admiſit, & ob metum diuini iudicij ac vindictæ. Denique pec-

Peccatũ habere in ſe quadruplicẽ cauſam ſpiritualis ſitis hominis.

Locus Prouerb. cap. 13.

Pſal. 33.

catum facit perpetuam quandam animi ariditatem & ſterilitatem; de quo nempe licet dicere illud Dauidis: *Aruit tanquam teſta virtus mea.* & illud, *Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Quaſi diceret, quemadmodum herba ſolis ardore percuſſa, aut falce demeſſa, continuò exareſcit: ita animus meus, propter admiſſum peccatum, diuinæ gratiæ humore defectus, areſcit, & ſterileſcit, vt verè dici queat illud Dauidis: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Quoniam igitur gratia DEI tollit omne peccatum mortale, ideo ſimul etiam tollit ſitim ſpiritualem, vt dictum eſt, quadruplicem, quæ oritur ex peccato.

Pſal. 21. *Pſal. 101.* *Pſal. 142.*

Quomodo gratia Dei ſitim tollat in æternum.

27 Reſtat illud explicandum, quomodo gratia DEI ſitim hominis tollat in æternum; cùm ſatis conſtet, multos qui gratiam DEI acceperunt, poſtea eam amittere, & denuò ad priſtinam ſitim peccati redire. Dicendum itaque eſt, gratiam DEI, quantum in ipſa eſt, vim habere non modò ſemel auferendi homini peccatum, ſed etiam perpetuò eum ab omni peccato ſeruandi: ex infirmitate tamen ac fragilitate naturæ noſtræ, & ex volubilitate noſtri liberi Arbitrij accidere, vt ex peccato ad gratiam, & ex gratia ad peccatum ſubinde mutemur. Quemadmodum, cùm medici aiunt, hoc vel illud medicamentum habere virtutem ſanandi hunc vel illum morbum, vel tuendæ ac ſeruandæ bonæ valetudinis, intelligi debet, habere medicamentum eam vim ex naturali ſua facultate ac poteſtate, ac ſi eo medicamento ægrotus in loco, & in tempore, & quomodo oportet, vtatur. Conſimili etiam ratione intelligendum eſt illud, quod Dominum dixiſſe Iudæis, infrà in cap. 6. huius Euangelij ſcriptum eſt: *Patres*, inquit, *veſtri manducauerunt Manna, & mortui ſunt*, quia illud Manna virtutem habebat arcendi famem atque mortem, non in perpetuum, ſed ad breue aliquod tempus. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Panis CHRISTI videlicet per ſe ſufficiens eſt dare immortalitatem homini, niſi eius homo ipſe impediat effectum. Ad eundem igitur modum intelligere oportet quod in hoc loco dictum eſt à Domino: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.*

Quid in hac diſputatione ſæpius vſurpatum gratiæ vocabulum ſignificet.

28 Sciat porrò lector, nos in hac diſputatione ſæpius vſurpâſſe vocabulum *gratiæ*, non tantùm pro gratia habituali, qua ex iniuſto fit homo iuſtus, vel etiam fit magis iuſtus: verùm etiam pro omni

auxilio

auxilio D E I, quo reuocatur homo vel præſeruatur à malo, & firmatur in bono: iſtiuſmodi enim auxiliis D E I, etiam præter gratiam iuſtificantem, opus eſt homini ad grauiſſimas tentationes vincendas,& ad bona opera quæ ſunt ardua & heroica aggredienda & perficienda; præſertim verò ad perſeuerandum in bono vſque ad finem.

29 Ergo, per ſitim de qua in hoc loco Dominus locutus eſt,intelligere oportet vel immoderatam cupiditatem bonorum temporalium,vel ſpirituales defectus,quos fert ſecum peccatum, ſimiles nimirum ſex illis defectibus, quos in corporali ſiti reperiri, ſuprà oſtendimus;quod etiam in hac vita pręſtat D E I gratia.Sitim verò, cõſummatæ gratiæ & beatificæ D E I viſionis, tollit in futura vitæ omnem verò penitus ſitim, etiam corporalem, tollet omnino poſt corporum reſurrectionem; at ſitim quam habent Beati,deſiderantes videre ſemper D E V M quem vident, non tollit gratia; quia ſitis illa ſine vlla pœna eſt, imò ſumma cum voluptate,& vocatur ſitis, quia excludit omne faſtidium eius quod habetur; & ideo nunquam tollitur, & cum ſumma iucunditate permanet in omnem æternitatem.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. VER. 23.

30 VERBVM *adorandi*, in hoc loco omnem D E I cultum complectitur, licèt propriè adorare ſignificet reuerentiam quæ alicui exhibetur demittendo caput, vel genua flectendo, vel incuruando corpus, vel exoſculando manus aut pedes. Nam quia hoc, in teſtimonium animi colentis & venerantis D E V M, in publicis templis & locis & in precationibus fieri ſolet, propterea omnis D E I cultus vocabulo adorationis deſignatur. Neque enim Iudæi dicentes, non licere D E V M adorare extra templum Hieroſoly- *Quid ſignificet adorare & adoratio.*

 mitanum,

mitanum, intelligebant, non licere alibi vſpiam, eum vel laudibus prædicare, vel precibus rogare, vel demiſſione corporis, externiſque ſignis venerari: ſed intelligebant, non licere cultum Moſaica lege præſcriptum, externis ſacrificiis, & cæremoniis contentum, alibi quàm in illo templo, DEO adhibere. Et cùm Dominus dixit, adeſſe iam tempus in quo tempore DEVS neque in monte Samaritanorum, neque in templo Hieroſolymitano eſſet adorandus, non aliud ſignificauit, quàm externum illum & Moſaicum DEI cultum, vno illo tantùm loco circumſcriptum, breui fore abolendum. Sanè, permagni refert ſcire, quænam ſit vera DEI adoratio, ipſi grata, & homini ſalutaris: idcirco enim tanto pretio

Luc. 1. ſui ſanguinis redemit nos Filius DEI, vt ſicut ſcriptum eſt: *Sine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris:* & nonnunquam euenit, vt quo quis putat ſe honorare ſibique propitiare DEVM, ea ipſa re ipſum offendat, ſibiq; redat infenſum; quod bis Regi Sauli

Cap. 13. & 15. accidiſſe, proditum eſt in primo libro Regum. Etenim diabolus diuini honoris æmulus, & humanæ inuidens ſalutis, vſque ab exordio mundi verum DEI cultum corrumpere, impiis ſuperſtitionibus admixtis, quoquo modo conatus eſt.

Cæterùm, veros adoratores appellat Dominus hoc loco, non 31
ſolùm qui vero cultu DEVM verum colunt, vt ea re Paganos falſorum deorum cultores excludamus; ſed eos quoque qui perfecto cultu DEVM adorant, interiori nempe cultu fidei, ſpei, amoris, timoris, & laudis; vt hac re Iudæos etiam excludamus, & diſtinguamus Iudaiſmum à Chriſtianiſmo. Nam etſi Chriſtianiſmus non ſolùm interiori cultu ſed exteriori quoque conſtat: & Iudaiſmus non tantùm exteriorem cultum, ſed etiam interiorem habebat; legimus enim multifariã in ſacris libris veteris Teſtamenti, DEVM requiſiuiſſe à Iudæis vt in ipſum crederent, & in ipſo ſperarent, ipſúmque diligerent; nec ſolam circumciſionem carnis, ſed multò magis circumciſionem cordis exegiſſe ab illis; Quin etiam abominatum eſſe omnes illorum cæremonias, quòd prorſus inanes & vacuæ interioris DEI cultus eſſent. Attamen inter cultum Iudaicum & Chriſtianum quatuor fuiſſe differentias animaduertere licet: Prima differentia eſt, hæc lex vetus frequentiùs inculcabat,

Quadruplex differentia inter Iudaiſmũ & Chriſtianiſmum circa Dei cultum.

& ex

& expreſſiùs præſcribebat exteriorem DEI cultum in externis cæremoniis poſitum, quàm interiorem & ſpiritualem; quoniam Iudæi homines ſcilicet rudes admodum & carnales, illius exterioris modi DEVM colendi, quàm interioris, dociliores & capaciores erant. Secunda differentia: Cultus DEI Moſaicus in externis poſitus cæremoniis, erat valde numeroſus atque oneroſus, & per ſe, parum fructuoſus: Contrà verò, lex Euangelica præcipuè cultum interiorem & ſpiritualem præſcribit; externum verò, ſatis modicum, & vt ad promouendum ſpiritualem cultum apprime idoneum & vtilem. Tertia differentia: externus ille cultus DEI erat Iudæis lege diuina conſtitutus, ob idque nulla ratione mutabilis: CHRISTVS autẽ pauciſſimas præſcripſit cæremonias externas; nam quibus poſtea opus futurum erat, eas reliquit Apoſtolorum & Eccleſiæ iudicio condendas, pro varietate videlicet temporum, & locorum, & perſonarum, varias, atque variabiles. Quarta differentia: Datæ ſunt Iudæis externæ circa cultum DEI cæremoniæ in tãto numero ac varietate, duas ob cauſas: tum, vt eſſent quaſi vmbræ & imagines maiorum & præſtantiorum rerum, quæ tunc illis occultæ erant, poſtea verò, ſuo tempore, manifeſtandæ & gerendæ erant. Tum etiam, vt illiuſmodi cæremoniis populus ille carnalis, in cultu DEI veri detineretur atque cohiberetur, ne delaberetur ad idololatriam, ad quam & ſuopte ipſe ingenio, & diutina cum gentibus idololatris conſuetudine, propenſus erat. At externæ cæremoniæ Chriſtianæ Eccleſiæ circa cultum DEI, neutram ob cauſam ſupradictam datæ ſunt, ſed tres alias ob cauſas. Primò, vt animus hominis, qui rebus ſenſibilibus excitatur & inducitur ad cognitionem & amorem rerum diuinarum; externis illis cæremoniis exhibendis ad ſpiritualem DEO cultum adhibendum faciliùs adduceretur. Deinde, vt illæ cæremoniæ, quaſi quædam eſſent ſymbola atque inſignia omnibus conſpicua, quibus & Chriſtianus populus ab aliis populis diſcerneretur, & ipſa Chriſtianorum multitudo in vnam & vniformem colendi DEVM ſocietatem & communionem adunaretur. Et, vt quia corpore & ſpiritu conſtat homo, vtroque etiam DEVM laudaret & coleret, corporalem ei, ſimúlque ſpiritualem exhibens ſeruitutem.

Duæ cauſæ, cur tot & tã variæ datæ ſint Iudæis circa cultum Dei cæremoniæ externæ.

Tres cauſæ externarum cæremoniarum in Eccleſia Chriſti circa cultum Dei.

Sed

Quid ſit adorare Deum vt patrem.

Sed perpendamus illa verba: *Adorabunt patrem in ſpiritu & veritate.* Proprium eſt adorationis Euangelicæ, vt DEVS adoretur tanquam Pater. Etenim in lege veteri ferè adorabatur, vt DEVS vltionum Dominus, & vt terribilis ſuper omnes deos, ſpiritu videlicet timoris ſeruilis. At in lege Euangelica miſit DEVS in corda noſtra ſpiritum Filij ſui clamantem: *Abba pater.* Itaque adorare patrem, eſt colere DEVM vt pater eſt, filiali nimirum timore, fiducia, amore, ac religione. Vel ſignificatur, impoſterum Euangelicos adoratores adoraturos DEVM, non tantùm more Iudæorum, vti DEVS vnus eſt ſecundùm deitatis ſubſtantiam, verùm etiam vt trinus eſt ſecundùm diuinarum perſonarum diſtinctionem, quæ in hoc loco ſignificatur illis tribus vocabulis: *Patrem, in ſpiritu, & veritate:* nam veritas nomen eſt filio appropriatum; vt ſit ſenſus: Adorabunt Patrem per Filium & Spiritum ſanctum: ſicut enim ad Patrem nemo venit niſi per Filium, nec ipſum cognoſcit; ita nec Filium verè quiſquam cognoſcit niſi per Spiritum ſanctum illuſtratus, edoctúſque: Paulus enim in capite duodecimo prioris Epiſtolæ ad Corinthios affirmat, neminem poſſe dicere Dominum IESVM, niſi in Spiritu ſancto. Quin etiam vera DEI adoratio, & oratio ad DEVM, ſingulari quadam ratione donum vocatur Spiritus ſancti, teſtante hoc Apoſtolo in capite octauo Epiſtolæ ad Romanos illis verbis: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 32

Ad Rom. 8.

Quid ſit adorare Deum in ſpiritu & veritate, plures ponuntur interpretationes.

Sed quid eſt illud, in *ſpiritu & veritate?* illud *in ſpiritu*, excludit cultum DEI tantummodo corporalem, qualis ferè Iudæorum erat; illud, *in veritate*, excludit ſuperſtitioſum, & commentitium cultum falſorum deorum, qui vigebat apud gentes idolorum cultrices. Vel *in ſpiritu*, ſignificat interiorem animi cultum, qui poteſt eſſe vitioſus, vel detrahendo, vel addendo aliquid veritati, neque enim indiget vel gaudet DEVS mendaciter coli, etiamſi videatur mendacium ad magnificandam eius gloriam conferre, & ideo adiunctum eſt illud: *in veritate.* Vel illud *in ſpiritu* dictũ eſt quia *corde creditur ad iuſtitiam*, & additur *in veritate*, quia *ore confeſſio fit ad ſalutem*, vt ſcripſit Paulus in cap. decimo Epiſtolę ad Romanos. Vel *in ſpiritu*, per vitam contemplatiuam ſolius DEI & diuinarum rerũ contemplationi vacando: 33

Cap. 3.

In

In veritate per vitam actiuã inſeruiendo ſaluti & vtilitatibus proximi, non lingua tantùm & verbo, (vt dixit Ioannes in prima ſua Epiſtola) ſed opere & veritate ipſum diligendo. Vel implendo legem à DEO datam non ſecundùm litteram & carnaliter tantùm, vt Iudæi, ſed ſpiritualiter; circumcidentes non carnem ſed cor, lauantes animam à peccatis, non exteriorem carnem à legalibus immunditiis: & intelligentes, cæremonias illas corporales legis Moſaicæ, vmbras & imagines fuiſſe legis Euangelicæ; ideóque corpus vmbræ, & figuræ veritatem eſſe præferendam.

34 Sequuntur illa verba: *Nam & pater tales quærit, qui adorent eum.* Videlicet, propter Iudæorum ruditatem & cor admodum carnale, præſcripſit eis DEVS illum cultum, pleráque externum & corporalem, vſque ad Meſſiæ aduentum: ſed poſt CHRISTI aduentu m, cùm terra repleta eſt ſcientia & gratia DEI, quid mirum, ſi perfectiorem cultum DEVS ab hominibus requirat & exigat? Sane, honos & veneratio exterior non eſt planè verus honos ſi interiori honore careat: eum quippe nonnullis interdum exhibemus, quos odimus & contemnimus; & ideo eum DEVS aſpernatur dicens: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Deinde, differentia temporis Euangelij atque legis Moſaicæ, facit etiam differentiam adorationis in veteri atque in nouo Teſtamento. Quandiu enim ſub lege erant homines, erant tanquam paruuli ſub elementis mundi huius ſeruientes: Poſtquàm autem venit plenitudo temporis, perfectiora DEVS ab homine obſequia & virtutum officia poſtulat: *cùm eſſem paruulus*, Apoſtolus inquit in capite decimo-tertio prioris Epiſtolæ ad Corinthios, *loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem factus ſum vir; euacuaui quæ erant paruuli.* Licet autem plerique Iudæorum carnaliter DEVM colerent, non pauci tamen ſpirituali eum cultu venerabantur, vt Prophetæ, aliique inſignes virtute ac pietate viri: vt ſcitè dici poſſit, & olim in Iudaiſmo fuiſſe aliquos, vt ita loquar, chriſtianizantes circa DEI cultum: & nunc in Chriſtianiſmo nonnullos eſſe iudaizantes, ſine interiori & ſpirituali cultu, & corporalibus tantùm externiſque cæremoniis, more Iudaico, DEVM adorantes & colentes.

Cur Iudæis data ſit ratio colẽdi Deum tã multis externis & corporalibus cõſtans cæremoniis.

Iſaiæ 29.

Ad Galat. 4.

35 Reliqua ſunt illa verba, in extrema huius diſputationis parte à

Cur Deus ſpirituali potiùs quàm corporali gaudeat cultu.

nobis explicanda: *Spiritus eſt* D e v s *& eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Redditur iſtis verbis ratio, cur adorantes D e v m in ſpiritu & veritate, ſint veri adoratores, & grati, acceptique D e o. Nam ſi D e v s eſt ſpiritus, & ſimile gaudet ſimili; liquet profectò, ipſum delectari ſpirituali adoratione potiùs quàm corporali: non ergo mirum, ſi requirat ab homine ſpirituales hoſtias potiùs quàm pecudum victimas. Quocirca per Dauidem dixit ipſe: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* & mox ſubdit: *Immola* D e o *ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.* Huc item ſpectat illud Pſalmi trigeſimi noni commemoratum à Paulo in capite decimo Epiſtolæ ad Hebræos: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt.* Deinde, ſi D e v s eſſet corporatus, delectaretur vtique templorum amplitudine & magnificentia, altarium opulentia, crebritate hoſtiarum, luminum ſplendore, cantus modulatione, odoramentorum ſuauitate: ſed quia ſpiritus eſt, hæc ipſa ſibi vult ſpiritualiter magis quàm corporaliter exhiberi. Templum D e o gratiſſimum, eſt animus ipſe hominis; altare, cor contritum & humiliatum; victima, corporis mortificatio, ſuique abnegatio; lumina, fidei & ſcientiæ D e i rerúmque diuinarum claritas; cantica, diuinæ laudes, mente pura celebratæ; odoramenta, piæ ac feruidæ precationes. Nec tamen illa corporalia & externa reſpuit & aſpernatur D e v s, imò cõplacita ei ſunt, ſi conſociata fuerint cum interno cultu, & ad eũ hominẽ excitent atque promoueant: & hac ratione ſapienter inſtituta ſunt in Eccleſia Catholica, & vtiliter à fidelibus obſeruantur.

Locus Pſal. 49.

In Hæreticos externarum Eccleſiæ cæremoniarũ contemptores & oppugnatores.

36 Nam quòd Hæretici noſtri temporis ex hoc loco Ioannis, & ex hoc C h r i s t i ſermone argumentantur, vſum templorum & externarum cæremoniarum, eſſe Iudaicum magis quàm Chriſtianum; ſanè quàm inſcitè argumentantur, & in eo falluntur ipſi hoc ſentientes, fallúntque alios, id ipſum eis credentes. Etenim, C h r i s t v s non dixit, D e v m non eſſe adorandum in templis; ſed indicauit, fore breui vt adoratio D e i, cultúſque, non vno tantùm templo Hieroſolymitano, vt antea, circumſcriberetur; ſed per omnes mundi regiones atque gentes celebraretur: de quo nempe extabat illud Malachiæ illuſtriſſimum vaticinium:

Locus Malachiæ 1.

Ab

Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Cyrillus certè Hieroſolymitanus auctor eſt, domum illam, in qua CHRISTVS nouiſſimam cœnam egerat cum diſcipulis, & vbi Spiritum ſanctum illi acceperant, quæ domus erat in monte Sion, Apoſtolos conſecràſſe in Eccleſiam, primam ſcilicet tempore omnium Eccleſiarum. Nec verò dicens CHRISTVS, adorandum eſſe DEVM in ſpiritu, propterea damnauit adorationem quæ corporalibus fit cæremoniis; ſed Iudaicam tantùm adorationem, internæ ac ſpiritualis adorationis penitus expertem. Et verò, ipſe CHRISTVS non rarò in faciendis miraculis vſus eſt externis quibuſdam cæremoniis erga DEVM, vt patet in miraculo multiplicationis panum, & ſuſcitationis Lazari mortui, & illuminationis cœci nati, & in oratione quam in horto fecit ad Patrem.

Cyrillus Hieroſolymitanus.

Primum templum ab Apoſtolis cõſecratum, quodnã fuerit.

Matth. 14. & Ioan. 6.
Ibid. 11.
Ibid. 9.
Matth. 26.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dicit ei mulier: ſcio, quia Meſſias venit, (qui dicitur CHRISTVS:) cùm ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei IESVS, Ego ſum qui loquor tecum. VER. 25. 26. 27.

37 MAGNA erat illo tempore expectatio Meſſiæ: peruulgatum enim apud Iudæos tunc erat, inſtare iam aduentum Meſſiæ. Hoc autem facilè Iudæi coniectare potuerunt ex illo vaticinio Patriarchæ Iacob, quod in quadrageſimo nono capite libri Geneſis ſcriptum eſt his verbis: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fæmore eius, donec veniat qui mittẽdus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Quibus verbis ſignificatum eſt, principatum & dominationem populi Iudaici manſuram penès eam ipſam gentem, nec tranſituram ad alienigenas, quoad Meſſias adueniret. Hoc autem vaticinium Iudæi videbant tunc impletum eſſe; primus enim alienige-

Quo tempore venit Chriſtus, magnam eo tempore fuiſſe apud Iudæos, Meſſiæ aduentus vt iam inſtãtis expectationem.

Vaticiniũ Iacob de tempore aduentus Meſſiæ.

narum regnum Iudaicum tunc obtinuerat Herodes, quo regnante natus eſt CHRISTVS. Atque hæc de proximo iam tunc Meſſiæ aduentu opinio percrebuerat etiam apud Samaritanos; quam illi hauſerant, vel ex vulgatis Iudæorum ſermonibus; vel ex libris Moyſi, in quibus erat illud vaticinium Iacob, quos libros de diuinis libris ſolos ipſi recipiebant. Verbum illud, *venit*, præſentis temporis eſt, ſignificans, in proximo eſſe, iámque inſtare Meſſiæ aduentum. Quod autem adiungitur: *Cùm venerit, annunciabit nobis omnia*, ſatis indicat, Meſſiam allaturum hominibus ampliſſimam & clariſſimam ſcientiam rerum diuinarum, & earum quæ homini conduceret ad æternam ſalutem, fœlicitatémque comparandam.

Cur Dominus tã apertè indicauit Samaritanæ & cæco nato ſe Meſſiã eſſe, & non itidẽ Iudæis.

Dixit ei IESVS, *Ego ſum qui loquor tecum.* Soli huic mulieri Samaritanæ ac peccatrici, & illi cæco nato quem Dominus illuminauit, & quem Phariſæi maledictis onuſtum ex ſynagoga eiecerunt, Dominus diſtinctè & expreſsè indicauit ſe Filium DEI & Meſſiam eſſe. Nam cùm Samaritana mulier dixiſſet, cùm Meſſias veniſſet, annunciaturum fore eis omnia; Dominus dixit: *Ego ſum qui loquor tecum*, & cùm illi cæco nato dixiſſet Dominus: *Tu credis in Filium* DEI? & reſpondiſſet ille; *Quis eſt Domine vt credam in eum?* Dixit ei IESVS: *Et vidiſti eum; & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* At verò Iudæis vehementer Dominum vrgentibus, atque inſtantibus vt palam eis diceret, an ipſe eſſet CHRISTVS, dicebant enim, *quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es* CHRISTVS, *dic nobis palam.* Noluit Dominus hoc tam apertè & explicatè manifeſtare, quàm Samaritanæ & cæco. Nimirum, hi ſimplici & ſincero & religioſo animo id credituri erant: illi verò malitioſè ac perfidioſè id ipſum interrogabant; qualicunque Domini reſponſo abuſuri ad eum calumniandum, & quocunque poſſent modo perdendum.

Ioan. 9. *Ioan. 10.*

38

OCTA

OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. VER. 34.

CONSIDERET cum animo ſuo lector morem & ſtudium CHRISTI Domini, quibuſcum ſermocinabatur, traducendi eos à cogitatione, ſenſúque, atque cura rerum corporalium & temporalium, ad meditationem & amorem rerum ſpiritualium & æternarum. Sicut igitur Samaritanam à ſiti & cupiditate aquæ corporalis auocauit ad deſiderium aquæ ſpiritualis: ita deinde diſcipulis ſuis ad cibum corporalem inuitantibus eum, ſermonem inſeruit de cibo ſpirituali.

39 Vocabulum porrò *cibi* variè admodũ in diuina ſcriptura vſurpatur ad ſignificandas res ſpirituales & diuinas. Primò cibi nomine ſignificatur Regni cœleſtis, æternæque felicitatis poſſeſſio: qua ſignificatione vſus eſt Dominus cùm dixit diſcipulis ſuis, *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo.* Huc etiam illud pertinet quod Angelus Raphael dixit Tobiæ: *Ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* Secundò, cibi vocabulo ſignificatur caro CHRISTI infra cap. 6. in illis verbis Domini, *caro mea verè eſt cibus.* Tertiò, ſignificatur fides, ſiue credere in CHRISTVM ſicut ipſe dixit Iudæis: *Operamini cibum qui non perit, ſed permanet in vitam æternam: hoc eſt opus* DEI, *vt credatis in eum quem ille miſit.* Quartò, deſignatur etiam nonnunquam cibi vocabulo profundior quædam, exactiórque rerum ſpiritualium & diuinarum cognitio, & ſpiritualis quædam perſpicacia diſcernendi in omnibus rebus bonum à malo; ſecundùm illud Pauli ad Hebræos cap. 5. *Perfectorum eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Quintò ſignificatur nomine cibi gratia internæ conpunctionis, atque deuotionis erga DEVM, vt in Pſalmo quadrageſimo primo: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt* DEVS *tuus?* Sextò, Verbum

Vocabulum cibi ad ſignificãdas res ſpirituales, per metaphoram vſurpatur decem modis in Sacra ſcriptura.

Luc. 22.
Tob. 12.
Ioan. 6.

bum Dei, & præcipuè cœleſtis ſapientia, ſicut in capite decimo quinto libri Eccleſiaſtici ſcriptum eſt: *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Septimò, ingens afflictio & tribulatio, vt in Pſalmo ſeptuageſimo nono: *Cibabis nos pane lacrymarum & potum dabis nobis in lacrymis in menſura: Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos.* Octauò, ipſa Dei iuſtitia, complectens omnem virtutum profectum, vt apud Matthæum cap. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Nonò, obſequium voluntatis Dei & obſeruantia mandatorum eius, vt in hoc loco: *Cibus meus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me:* Et Dauid in Pſalmo decimo octauo, & centeſimo decimo octauo dixit, eloquia & mandata Dei eſſe dulciora ſibi ſuper mel & fauum. Decimò, effectio bonorum operum, prout ſunt merita vitæ æternæ, ſignificantur nomine cibi; ſecundùm quam ſignificationem intelligere oportet illud quod ſcriptum eſt in capite decimo quarto libri Eccleſiaſtici: *Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quia non eſt apud inferos inuenire cibum.* nimirum, qui ſunt apud inferos, ſiue in purgatoriis pœnis, ſiue qui olim erant in limbo, extra ſtatum ſunt & erant operandi quidquam meritoriè.

Aliter bene agere erat cibus Christo, & aliter eſt nobis.

Cæterùm animaduertere hoc loco lectorem conuenit, aliter obſequium voluntatis Dei, & mandatorum eius obſeruantiam dici cibum eſſe nobis, & aliter fuiſſe cibum Christo. Etenim, cibus quatuor præſtat in nobis: reſarcit enim & reficit humorem conſumptum à calore naturali, debilitatē ſubleuat, roboratq́;, vires auget; & comedentem recreat & delectat: & ob has quatuor proprietates obſeruātia diuinæ voluntatis & perfectio bonorum operum appellatur in nobis cibus. In Christo autem eadem iſta res vocatur cibus non niſi propter vltimam de ſupradictis quatuor proprietatem: Christus etenim nullam gratiæ vel amiſſionem vel diminutionem, vel etiam accretionem vnquam habuit; quippe qui ab initio ſuæ conceptionis conſummata & immutabili præditus fuit gratia; & ſecundùm partem ſuperiorem animæ ſuæ, comprehenſor fuit atque beatus. 40

Quid ſit hoc loco opus Dei, quatuor interpretationes.

Quod autem proximè adiecit Dominus *Et perficiam opus eius*, ita quidam interpretantur, vt diuerſum quid eſſe putent ab eo quod 41

dixerat, *Vt faciam volũtatem eius qui miſit me*,& Theophylactus quidem atque Euthymius per opus DEI ſignificari putant legem DEI, quæ ſine CHRISTI gratia & infirma,& inanis, & imperfecta, &, vt oportet, inobſeruabilis eſt; CHRISTVS autem & legem impleuit, & implendi eam nobis quoque virtutem dedit. Quocirca Paulus profitetur, ſe prædicando fidem ſupra legem, non deſtruere legem,ſed eam magis ſtatuere ac firmare. Alij opus DEI interpretantur ipſum hominem, qui ſingulari quadam eximiáque ratione nominari ſolet in ſacra ſcriptura opus manuum DEI: Homo autem propter peccatum remanſerat admodum imperfectus;ad quem vſquequaque perficiendum CHRISTVS venit in mundum. Nonnulli opus DEI intelligunt ipſum mundum, qui per Incarnationem CHRISTI deificato homine, qui eſt paruus quidam mundus, totus etiam ipſe mundus perfectus eſt; & renouatio mundi conſequens glorificationem hominũ quæ poſt reſurrectionem futura eſt, effectus eſt ipſius gratiæ CHRISTI. *Theophylact.* *Euthymius.* *Ad Rom.3.*

42 Sed vero ſimilius fit, eandem rem eſſe ſignificatam per illud, *vt faciam voluntatem eius qui miſit me*, atque hoc, *& perficiam opus eius.* Hæc enim fuit voluntas DEI, vt CHRISTVS perficeret opus, quod DEVS Pater ei dederat ab ipſo perficiendum. Hoc autem opus fuit, manifeſtare ac teſtificari mundo veritatem DEI; & per mortem ſuam ſaluare genus humanum, à ſeruitute peccati, poteſtateque Diaboli, ac reatu mortis æternæ vindicans ipſum. De illo dixit CHRISTVS Pilato: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* De hoc autem etiam ipſe dixit: *venit filius hominis ſaluum facere quod perierat.* Et alio loco dixit, ſe non veniſſe vt iudicet mundum, ſed vt mundus ſaluetur per ipſum. De hoc opere loquebatur CHRISTVS, cùm orans Patrem dixit: *Opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.* Et in Cruce iam moribundus dixit: *conſummatum eſt.* Diſcant itaque prædicatores Euangelici & CHRISTI ſectatores, hoc vnum eſſe debere opus eorum, hoc præcipuum negotium, in hoc vno gerendo, tractando, conficiendóque, omni ſtudio & cura; omniq́; corporis pariter atque animi contentione occupari & verſari eos oportere, vt veritatem doctrinæ Euãgelicæ, CHRISTI & Apoſtolorum modo, prædicent hominibus, eorúmque pro- *Quodnã fuit opus Dei, quod perfecturus erat Christus.* *Ioan.18.* *Luc.19.* *Ioan.3.* *Ioan.17.* *Ioan.19.* *Documẽtum pertinens ad prædicatores Euangelicos.*

curandæ ſalutis, ſtudioſiſſimè, & diligentiſſimè inſiſtant; ea re, non ſecus delectati, ac cibo ipſis ſuauiſſimo, maximéque ſalutari, atque neceſſario.

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 35. Nónne vos dicitis quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? ecce dico vobis, leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem.

Hunc ſermonem Chriſti cum Samaritana, circa menſem Ianuarij eſſe habitum.

EX hoc loco coniecturam minimè dubiam facere licet, quo anni tempore CHRISTVS ſermonem hunc habuerit cum illa muliere Samaritana; nimirum circa menſem Ianuarij. Significatur enim verbis ſuprà commemoratis, ab eo tempore, quatuor menſibus abfuiſſe tempus meſſis: in Palæſtina verò regione ſcilicet calidiore quàm eſt Italia, meſſis fiebat inter Paſcha & Pentecoſtem, id autem eſt, circa menſem Maij, vt ex vigeſimo tertio capite Leuitici, & trigeſimo quarto Exodi facile eſt cognoſcere. 43

Quid ſignificet nomẽ meſſis in Sacra ſcriptura.

Nomine porrò meſſis ſignificatur hoc loco Fidelium collectio & congregatio in Eccleſiam DEI; cuius meſſores fuêre Apoſtoli, aliique prædicatores Euangelici, eorúmque omnium princeps CHRISTVS Dominus: qui falce prædicationis promptos hominum animos, ab infidelitate in qua nati & nutriti fuerant, reſecantes, in horreum DEI congregauerunt: ídque paruo ſæpe negotio, vt manifeſtum fuit in conuerſione horum Samaritanorum, & in duabus primis Petri concionibus, ab eo ſtatim poſt Spiritus ſancti aduentum habitis. Secundùm eandem quoque ſignificationem vocabulo meſſis vſus eſt CHRISTVS cùm dixit: *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci: rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.* At verò idem apud Matthæum cap. 13. eodem vocabulo meſſis vſus eſt ad ſignificandam collectionem electorum futuram in conſummatione ſæculi, & ab Angelis congregan- 44

Act. 2. & 4. *Matth. 9.* *Et Lucæ 10.*

gregandam, & in horreum regni cœleſtis inferendam, cuius meſſis Angeli futuri ſunt meſſores. Rectè profectò tempus vtriuſque aduentus Domini, ſimilitudine meſſis deſignatur: meſſis enim in conſummatione frugum & fructuū fieri ſolet: & vterque CHRISTI aduentus in conſummatione temporis factus eſt; prior quidem, in conſummatione temporis à DEO præfiniti, ſecundùm illud Pauli; *Vbi venit plenitudo temporis, miſit* DEVS *Filium ſuum, &c.* *Ad Galat. 4.* vt præparati homines per imperfectiorem Moſaicæ legis doctrinam, facilè per Euangelicam prædicationem colligerentur in horreū Domini, quæ eſt Eccleſia CHRISTI. Poſterior autem aduētus CHRISTI fiet in conſummatione ſæculi: & ſicut idoneum meſſi faciendæ tempus contingit ob præſentiam ſolis feruidè calefacientis terram; ita meſſis ſpiritualis ex præſentia ſolis iuſtitiæ, qui eſt CHRISTVS Dominus, fieri debebat.

45 Illis autem verbis, *Videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem*: demonſtrauit Dominus exemplo Samaritanorum, qui propter vnius mulierculæ de CHRISTO teſtimoniū, & biduanam duntaxat Domini apud eos manſionem, tanta facilitate & alacritate, tantóque numero ad DEVM conuerſi ſunt; demonſtrauit, inquam, Dominus eorum exemplo promptiſſimos fuiſſe id temporis hominum animos, & paratiſſimos ad percipiendam doctrinæ Euangelicæ veritatem; vt paruo labore prædicantium ad veritatis & ſalutis perceptionē adduci poſſent. Hanc igitur gentium promptitudinem, & quaſi maturitatem quādam accipiendæ fidei Euangelicæ, qui nouit omnia, cognoſcens Dominus, propterea dixit, fuiſſe tunc regiones albas ad meſſem. Sed illa maior tunc in gentibus præparatio & habilitas ad Fidem non proueniebat ex ipſarum virtutibus & meritis, quaſi tunc meliores fuiſſent homines quàm vnquam fuerant antea; ſed ex æterna DEI prædeſtinatione, qui multos tunc per omnes gentes habebat electos, quos deinceps vocaturus erat ad fidem, tam abundantem illis gratiam conuerſionis impertiens, vt maxima facilitate ad veritatem fidei & doctrinæ Euangelicæ amplexandam eſſent perducendi. Triplicem verò meſſorum huius meſſis fore fructum, indicauit hoc loco Dominus. Primum, quia illi ſibi mercedem in metendo acquirent magnam: alterum, quia fructum cōgregabunt in vitam æternam,

Tēpore Chriſti & Apoſtolorum erant gentes magis paratæ ad fidē & ſalutē percipiēdam quā fuerāt antea.

quod pertinet ad gloriam & gaudium cœleſtis ciuitatis & curiæ: tertium, quia ingens ei qui ſeminauit gaudium afferent, videnti, ſuum in ſeminando laborem, nequaquam optato fructu eſſe fruſtratum.

DECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.

Super illis etiam verbis:

Ipſe IESVS teſtimonium perhibuit, quia Propheta in Patria ſua honorem non habet.

ILLOS, qui antea laborauerant, & in quorum labores introierunt Apoſtoli, Beatus martyr Irenæus 46
Irenæus. intellexit fuiſſe ſanctos Patriarchas & Prophetas veteris Teſtamenti: ſic enim in quadrageſimo ſecundo capite libri quarti aduersùs Hæreſes ſcriptum reliquit: cùm vnus eſſet Abraham in ſemetipſo: præfigurabat tamen duo teſtamenta, in quibus alij quidem ſeminauerunt, *Ioan. 4.* alij verò meſſuerunt: in hoc enim (dixit Dominus) ſermo eſt verus, quoniam alter quidem eſt qui ſeminat populus, & alter qui metet; vnus autem DEVS præſtans vtriſque quæ ſunt apta, ſemen quidem ſeminanti, panem verò ad edendum metenti: quem- *1. Cor. 3.* admodum alter quidem eſt qui plantat, & alter qui adaquat: vnus autem qui dat incrementum DEVS. Seminauerunt ſermonem de CHRISTO Patriarchæ & Prophetæ, demeſſuit autem Eccleſia CHRISTI, hoc eſt, fructum percepit. Propter hoc & illi *Ierem. 9. Iuxta 70. Interpretes.* orabant habere cupientes tabernaculum in Eccleſia, Ieremia dicente, *Quis dabit mihi in deſerto habitationem nouiſſimam?* vt & qui ſeminat, & qui metit, ſimul gaudeant in CHRISTI regno, qui omnibus adeſt, de quibus ab initio bene ſenſit DEVS, attribuens adeſſe eis verbum ſuum. Si quis igitur intentus legat Scripturas, inueniet

inueniet in eiſdem de CHRISTO ſermonem, & nouæ vocationis præfigurationem. Hactenus verba fuêre Irenæi. Et hanc quidem interpretationem & ſententiam Irenæi, plerique huius Euangelij explanatorum ſecuti ſunt: illos, in quorum labores introierũt Apoſtoli, affirmantes fuiſſe ſanctos Prophetas veteris teſtamenti, qui Hebræo in populo diuinis rebus imbuendo atque informando vehementer laborauerunt atque deſudarunt.

Quinq; cauſa, cur Prophetæ plus laborauerint.

47 Fuit porrò laboris eorum multiplex cauſa. Prima cauſa: quòd Iudæi, ob animum rudem & carnalem, ægrè dociles & capaces erant rerum ſpiritualium & diuinarum. Secunda cauſa; quòd difficillimè contineri poterant in cultu veri DEI, quòd eſſent ad Idololatriam propenſiſſimi. Tertia cauſa: cùm eſſent duræ ceruicis, & incircumciſi cordis, vix ſub iugum diuinæ legis ſubiici, & ad virtutum, bonorúmque operum ſtudium, cultúmque adduci poterant. Quarta cauſa: laborem augere ſolet paruitas fructus, qui eo labore percipitur; Prophetæ autem perexiguum magni laboris ſui fructum capientes, ingenti triſtitia & dolore afficiebantur: contrà verò, ſpes vberioris prouentus, copioſíque fructus percipiendi, & iam percepti gaudium, maiorem in modum imminuit laborem, omnéſque moleſtias abſtergit. Quinta & vltima cauſa: quia eò maior eſt labor hominis, quò minùs DEI gratia iuuatur: DEVS autem in veteri teſtamento parcius gratiam ſuam hominibus largiebatur, abundantem eius donationem, & tanquam effuſionem reſeruans tempori noui teſtamenti & legis Euangelicæ. Quocirca tunc laborioſior erat hominum conuerſio ad DEVM: ſimilis nimirum nauigationi, quæ ſecundi venti flatu parum iuuatur, & laborioſa remigatione fieri debet. In tempore autem legis Euangelicæ copioſior gratia & prædicatoribus Euangelij ad conuertendos ad DEVM homines; & ipſis hominibus vt ſe ſe ad DEVM conuerterent, fidémque CHRISTI & religionem acciperent, data eſt: ſimiliter, vt qui & ſecundis ventis adiuti, ſimul etiam remigatione vſi, magna facilitate & velocitate, felicitatéque nauigant: Non igitur mirum eſt, Apoſtolos minùs laborantes, maiorem tuliſſe fructum. Nec verò, quia plus laborauerunt Prophetæ quàm Apoſtoli, propterea exiſtimandum eſt, maius illorum fuiſſe meritum & præmium; non enim magnitudo meriti & præmij

Nõ quia maior fuit Prophetarũ labor quã Apoſtolorũ, propterea quoque putãdum eſt, maius fuiſſe illorum meritum & præmium.

principaliter æſtimari debet ex magnitudine laboris, ſed ex magnitudine gratiæ DEI & charitatis, qua homo laborat propter DEVM.

Cur Propheta ferè honoratus non ſit in patria ſua, duæ cauſæ redduntur.

48 Super illa ſententia Domini: *Propheta in patria ſua honorem non habet:* quam ſententiam alij quoque tres Euangeliſtæ referunt, Matthæus cap. 13. Marcus 6. Lucas 4. quæri dignum eſt, vnde accidat, vt Propheta, vt plurimùm: ſic enim hoc intelligi debet, non honoretur in patria ſua? ſed huius rei duplex cauſa reddi poteſt. Altera, eſt mutua ciuium inuicem æmulatio, & inuidia, indignè ferentium, aliquem de ſuis, vel aliqua re, vel multis rebus æqualem ipſis, aut etiam inferiorem, præcellere ipſos honore, gloria, laude virtutis vel ſapientiæ, & nominis celebritate. Sanè, Nazaræi, qui ciues CHRISTI habebantur, nihil in eo niſi humile & abiectum conſiderabant, ætatem iuuenilem, paupertatem ipſius & parentum, vilitatem artis fabrilis, quam ipſe, & qui pater eius putabatur Ioſeph, exercebant, & quòd litteras non didiciſſet. Altera cauſa eſt, quòd nimia conſuetudo & familiaritas adducere ſolet homines in contemptum aliorum: vitiis, quæ priùs dum erant ignoti & abſentes latebant, enoteſcentibus, nec præſentia, vulgatæ de illis famæ reſpondente. Quo fit, vt longinqua, & externa, & priùs ignota, & rara, licèt per ſe minoris pretij ſint atque dignitatis, apud homines tamen maiorem ſæpe honorem & pretium habeant, quàm proxima, & domeſtica, & vſitata.

Cur doctor & prædicator verbi Dei, apud eos, à quibus ipſe contemnitur, docere ac prædicare nõ debeat.

49 Verùm, dicet fortaſſe quiſpiam, non propterea CHRISTVM in patriam ſuam ire prætermittere debuiſſe, quòd ſciret, ſe ibi non eſſe honorandum; non enim ipſe humanas laudes & honores aucupabatur, cùm ipſe dixerit, *ego gloriam meam non quæro.* Sed reſpondendum eſt, CHRISTVM non ſua cauſa, ſed ob dignitatem & vtilitatem verbi DEI, itione in patriam ſuam ſuperſediſſe. Etenim, ferè accidit, vt cùm doctor & prædicator verbi DEI contemnitur, etiam doctrina & prædicatio eius deſpiciatur; ad nihil profectò aliud proficiens, quàm vt ſui contemptores, maioris culpæ, grauioriſque ſupplicij reos faciat. Admonet etiam nos Sapiens, ne ſermonem effundamus, vbi non eſt auditus: & Dominus præcipit, ne ſanctum demus canibus, néue margaritas proiiciamus ante porcos.

Ioan. 8. *Eccl. 32.* *Matth. 7.*

VNDE

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. VER. 46.

50 VIDETVR Latinus interpres Græcè legiſſe *baſiliſcos*: quod Latinè ſignificat *regulum*, ſiue *paruum regem*: at Græci libri, qui nunc extant, & qui fuerunt tempore B. Hieronymi habent *baſilicos*, quòd ſonat *regium* vel *regalem*: & hanc lectionem ſequitur B. Hieronymus ſuper capite ſexageſimo quinto Eſaiæ. Sed cur iſte appellabatur regulus ſiue regius? an quòd eſſet ſtirpe & cognatione regia clarus? an quòd eſſet de præcipuis miniſtris, in ea regione, vel Cæſaris, vel Herodis? nam etſi Herodes, qui tunc erat, nomen regis non haberet, ſed Tetrarchæ, habuit tamen in Galilæa potentiam & dignitatem ſimilem, reginam & Archelaum eius fratrem ſimilíque dignitate præditum. Matthæus cap. 2. dixit regnaſſe in Iudæa. An quòd eſſet de primariis aulæ regiæ, quales nos (ait ſupradicto loco Hieronymus) appellare ſolemus Palatinos? An quòd Græci eo vocabulo interdum deſignent quiduis valde magnificum & ſplendidum, & rege dignum? & ille fortaſſe potentia, dignitate, opulentia perinſignis in ea regione erat: quibus rebus fortaſſe confiſus, non dubitauit Dominum rogare atque vrgere vt ſecum deſcenderet in ciuitatem Capharnaum, ad ſanandum filium ſuum.

Quid ſignificet nomen reguli. — *Hieronymus.* — *Hieronymus.*

51 Illud prætereà in dubium vertitur; an ille regulus fuerit gentilis, an Iudæus. Gentilem fuiſſe non obſcurè ſignificat Hieronymus in eo, quo dixi loco, & Cyrillus in libro ſecundo commentariorum in Ioannem cap. 122. Sed CHRISTVS Iudæis exprobrare ſolet idē, quod huic regulo dixit; *Niſi ſigna & prodigia videritis, nō creditis*, & Paulus ait, Iudæos ſigna petere. Caietanus putat, iſtum regulum fuiſſe proſelytum, nimirum gentilem Herodis, qui oriundus erat non ex Iudæis, ſed partim ex Idumæis, partim ex Arabibus. B. Thomas tradit, iſtum regulum interfuiſſe nuptiis in Cana Gali-

Fuerit ne regulus ille gētilis an Iudæus. — *Hieronymus.* — *Cyrillus.* — *Ad Cor. 1.* — *Caietanus.* — *B. Thomas.*

Ioan. 2. leæ factis, & ex eo miraculo, quod inibi fecit CHRISTVS, ſpem *Hiſtoria Scholaſtica.* concepiſſe, filium ſuum à CHRISTO ſanari poſſe. In hiſtoria Scholaſtica in capite quinquageſimo nono hiſtoriæ Euangelicæ, proditum eſt, hunc regulum fuiſſe Iudæum; quod mihi ad veritatis ſimilitudinem videtur eſſe propenſius.

DVODECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 48. Dixit IESVS ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.

De tribus rebus neceſſarijs ad perſuadendam hominibus Fidem CHRISTI*: quibus rebus adhibitis, qui non accipiunt fidei doctrinam, ſunt inexcuſabiles: & primò de neceſſitate interioris auxilij* DEI *ad credendum.*

ET ſi Dominus cum ſolo Regulo loquebatur, eius re- 52
ſpondens petitioni: numero tamen plurali vſus eſt, quòd ſuam hanc reprehenſionem communem eſſe volebat illi cum aliis Iudæis: præſertim autem cum ciuibus eius Capharnaitis: exaggerans nimirum incredulitatem eorum, comparatione Samaritanorum, quorum multi ſine miraculis tam facilè, támque breui tempore ad Fidem amplexandam adducti eſſent: iſti verò non vnum, ſed multa petebant ſigna: nec ſigna tantum, ſed etiam prodigia: nec audire tantum, ſed videre volebant. *An diſcrimen aliquod ſit inter ſigna & prodigia.* Inter ſigna porro & prodigia Theophylactus & Euthymius huiuſmodi ponunt diſcrimen; quod ſignum ſit miraculum non reſpectu facti, ſed reſpectu modi faciendi, vt ſanare febrim, *Theophylact. Euthymius.* alióſque morbos; nam id etiam per artem medicinæ, & naturales medicamentorum facultates efficitur; At facere id ſolo tactu, vel ſolo etiam verbo, miraculum eſt excedens & naturalem, & humanam virtutem: prodigium autem eſt miraculum tam ratione facti, quàm ratione modi faciendi, omnino exuperans omnem & hominum & naturæ virtutem: huiuſmodi fuere illa miracula ſolis curſum

ſum ſiſtere, quod fecit Ioſue, vel retrò agere, quod per Eſaiam factum eſt: & mortuos ad vitam reuocare: ſicut fecit Eliſæus; vel tonitrua & fulmina in aëre concitare, quod à Samuele: vel deuocare ignem de cœlo, quod ab Elia factum legimus. At enim, tale hoc diſcrimen inter ſigna & prodigia perpetuò in Scriptura non ſeruatur, ſed vtrunque vocabulum ſine vllo ſignificationis diſcrimine ſæpe vſurpatur: & ſigna quidem non rarò generatim ſumuntur pro quolibet & quantolibet miraculo & prodigio; & interdum ponitur vox, *ſigni*, pro maximo prodigio, vt apud Eſaiam cap. 7. maximum illud prodigium, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*: Vocabulo, *ſigni*, appellatur: & Paulus dixit, Iudæos ſigna petere; & ipſi petebant à Domino ſigna de cœlo: haud dubiè non quælibet ſigna, ſed maxima petentes prodigia.

53 Hæc Domini ſententia inuitat nos, vt quæſtionem illam tractemus, An Fides CHRISTI ſine miraculis poſſit homini ita prædicari & probari, vt ſi eam ille non accipiat, ſit planè inexcuſabilis? Principiò, illud ſcire hoc loco conuenit, tria concurrere ad Fidem animis hominum inſerendam: horum trium primum eſt interius auxilium DEI illuminantis mentem, & inclinantis voluntatem hominis ad conſentiendum prædicationi Fidei: Alterum, eſt ipſa prædicatio, & explicatio eorum, quæ homini credenda ſunt: tertio in loco ſunt miracula, quibus prædicata Fides comprobatur; quæ quidem probatio, cùm ſit ſupernaturalis, bene congruit Fidei, quæ eſt donum ſupernaturale. Harum trium rerum prima ſimpliciter neceſſaria eſt ad credendum: vt enim quiſquam ſine ſpeciali DEI auxilio ita credat, vt credere opus eſt, fieri nequaquam poteſt; quod ſatis liquet ex illis diuinæ Scripturæ ſententiis: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Huc etiam pertinent illa: *Fides donum DEI eſt: & vobis datum eſt, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini; & miſericordiam cõſecutus ſum, vt ſim fidelis.* Huius autem rei cauſa & ratio eſt huiuſmodi: obiectũ fidei Chriſtianæ omnino ſuperat captum humanæ mentis, nec ſenſuum iudicio, nec experimentorum exploratione comprehendi poteſt: multis etiam rebus, & celebratis vbique gentium doctrinis Philoſophorum aduerſatur; repugnat item naturalibus hominum appetitionibus.

Quam ſit neceſſarium homini ad credendum, Dei auxiliũ mouẽtis eum interius.

Ioan. 6.

Ad Ephoſios 2.

Ad Phil. 1.

1. ad Cor. 7.

titionibus & propenſionibus; naturales dico, non quas habuiſſet natura hominis recta & integra, ſicut à DEO creata à principio eſt, ſed quas habet natura hominis per originale peccatum vitiata. Deinde, aſſenſus fidei Chriſtianæ non qualiſcunque eſſe debet, ſed cùm Fides nitatur DEI reuelantis auctoritate, omnium certiſſimum atque firmiſſimum eſſe eum oportet; firmiorem nempe, quàm qui naſcitur ex euidentia obiecti, vel per ſenſus, vel per intellectum cogniti; & pro cuius confeſſione ac defenſione paratus eſſe debet, quiſquis ritè ac dignè credit, quiduis pati & qualemcunque mortem oppetere. Sicut igitur nec poteſt ferrum ad magnetem accedere, niſi virtute eius affectum, & tractum; nec terrenus vapor in ſublime tolli, niſi cœleſti virtute tenuatus & calefactus; nec ſolem intueri, ſine eius luce poſſumus: ita nemo Fidem, vt par eſt, accipere poteſt non antè ſpeciali auxilio DEI adiutus. Ob huius profectò auxilij, ſaltem efficacis, defectum, ea-

Act. 17. dem Pauli prædicatio Athenis facta, à pleriſque irriſa & exploſa eſt; ob eiuſdem verò auxilij diuini efficaciam, à Dionyſio Areopagita, & à muliere Damari, & quibuſdam aliis approbata & recepta eſt, nec ſolum infideli homini opus eſt auxilio DEI ad credendum, ſed etiam fidelibus & iuſtis ad explicatè credenda noua Fidei dogmata, vt manifeſtum eſt ex illis verbis, quæ ſcripta ſunt in

Locus Act. 16. Actis Apoſtolorum cap. 16. *Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria, ciuitatis Thyatirenorum, colens* DEVM, *audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere ijs quæ dicebantur à Paulo.*

Quàm ſit neceſſaria homini ad credendum prædicatio & expoſitio doctrinæ fidei.

Altera res, quæ neceſſariò requiritur ad credendum, eſt doctri- 54
næ fidei prædicatio, & eorum quæ credenda homini ſunt explicatio: & huius rei neceſſitatem ſatis indicauit Paulus illis verbis, quæ ſunt in capite decimo Epiſtolæ ad Romanos; *Fides ex auditu, auditus autem per verbum* CHRISTI: *quomodo autem audient ſine prædicante?*

Ioan. 15. & Dominus ipſe dixit de Iudæis: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Qua etiam de cauſa Dominus poſt ſuam reſurrectionem miſit diſcipulos ſuos in vniuerſum mundum, vt Euangelium prædicarent omni creaturæ, & docerent omnes gen-

Marc. vlt. tes, ſicut à Matthæo & Marco ſcriptum eſt. Nimirum, Chriſtianæ

Matth. vlt. fidei myſteria nullo alio ſenſu quàm auditu, in animos hominum

penetrare,

penetrare, atque in eorum notitiam deuenire poſſunt: eſt itaque humana prædicatio & expoſitio doctrinæ fidei ad credendum homini neceſſaria ſecundùm viam ordinariam: nonnunquam enim per extraordinariam & ſingularem quandam diuinæ prouidentiæ rationem, fides tradita eſt quibuſdam nullo prædicante & docente eos homine, ſed per diuinam reuelationem: quod quidem B. Paulus de ſe ipſo teſtatur ita ſcribens in primo capite Epiſtolæ ad Galatas: *Notum vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem* IESV CHRISTI.

DECIMA TERTIA DISPVTATIO.

De tertia re, quæ concurrit ad probandam homini fidem CHRISTI, *hoc eſt de miraculorum effectione; & an ea res ſit omninò & ſemper neceſſaria?*

55 TERTIA res, quæ concurrit ad tradendam fidem hominibus, eſt miraculorum effectio; ſanè quàm conueniens probatio perſuaſioni fidei, eiúſque perceptioni maximè conducens. Legimus in decimo quarto capite libri Exodi, Hebræos viſo miraculo tranſitus ipſorum per mare rubrum, & ſubmerſionis in eo mari Ægyptiorum, timuiſſe Dominum, & credidiſſe DEO & Moyſi famulo eius: Hæc ſunt verba Scripturæ: *Timuit populus Dominum: & crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius.* Illa quoque vidua, cuius filium Elias excitauit à mortuis, viſo eo miraculo dixit: *Nunc* 3.Reg.cap.17.
in iſto cognoui quoniam vir DEI *es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Et Iſraëlitæ, viſo miraculo, quod fecerat Elias in mõte Carmeli, crediderunt: ſic enim ait Scriptura; *Quod cùm vidiſſet omnis* 3.Reg.18.
populus, cecidit in faciem ſuam, & ait, Dominus ipſe eſt DEVS, *Dominus ipſe eſt* DEVS. Et ideò de Iudæis dixit Dominus; *Si opera non feciſ-* Ioan.15.
ſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et ante Paſſionem ſuam mittens diſcipulos ſuos ad prædicandum Euangelium in ciuitatibus Iudæorum, dedit eis poteſtatem faciendi miracula.

Mar. cap. vlt.

Et de illis ad prædicandam fidem CHRISTI per vniuerſum orbem terrarum diſperſis ſcripſit Marcus: *Illi verò profecti, prædicauerunt vbique; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

At enim, licèt ita ferè accidat, & plerique per miracula adducti 56
ſint ad credendum, & vbique terrarum hac ratione plantata ſit CHRISTI fides, Eccleſiaque fundata: attamen etiam ſine miraculis CHRISTI fides ita probari poteſt homini vt nō poſſit eam ſine culpa reiicere, atque eam reiiciens, ſit apud DEVM inexcuſabilis atque dānabilis. Quatuor enim ſunt hominū genera, quibus fides CHRISTI prędicatur; aut enim ſunt gentiles, aut Iudæi, aut Hæretici, aut Catholici. Gentiles ſine miraculis conuinci poſſunt, Chriſtianam fidē eſſe veram, euidentérq; credibilem, his quinque rationibus. Prima ratio: Demōſtrari euidenter poteſt, quarumcunque gentium leges, & religiones circa cultum diuinum eſſe vanas, & falſas, & abſurdas, & quaſdam etiam obſcœnas. Etenim, dij gentium erant vel animalia, vt apud Ægyptios; vel corpora ratione ſenſuque carentia, vt apud Chaldæos cœli & Aſtra; vel homines natiui & mortales, vt apud Græcos Saturnus, & Iuppiter, & Mercurius; vel ſimulacra ſiue hominum, ſiue animalium, aliarúmue rerum; de quibus ſimulacris lepidiſſimè ſanctus Rex & Propheta Dauid illud cecinit: *Simulacra gentium argentum & aurum; os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt; non clamabunt in gutture ſuo.* Denique dij gentium erant Dæmones, qui variis fallaciis deceptos homines ad ſui cultum adduxerant. Cultus præterea diuinus apud gentiles vel erat perobſcœnus, vt in Sacris Priapi; vel erat furibundus & inſanus, vt in Bacchanalibus & Lupercalibus; vel immaniter crudelis, vt in Sacris Saturni & aliis quibuſdam, in quibus viuus homo mactabatur, atque immolabatur. Hanc primam rationem copioſè, luculentéque tractarunt Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Euſebius, Lactantius, Cyrillus, Theodoretus, in libris, quos ſcripſerunt aduerſus Religiones gentium, & B. Auguſtinus in libris de ciuitate DEI.

Quinque rationes, quibus fides Chriſti etiā ſine miraculis, euidenter probari Gētilibus poſſit.

Quales erant dij gētium & qualis apud eas cultus ſuorum deorum.

Locus Pſalmi 113.

Qui authores antiqui ſcripſerint de vanitate & falſitate legū & Religionum, quæ erāt apud gentes.

Secunda

57 Secunda ratio: Lex & Religio ac diſciplina Chriſtiana certiſſimè & clariſſimè tradit ea omnia, quæ cuiuis homini neceſſarium eſt benè cognita & certa habere ad benè viuendum: exempli cauſâ, de ipſo DEO, de anima ipſius hominis, de vltimo eius fine, de modo eum finem aſſequendi. Docet enim hominem de DEO, ipſum eſſe virtutis ac potentiæ infinitæ, eſſe agens liberum, omnia intelligere atque infallibili prouidentia gubernare, eſſe miſericordem pariter atque iuſtum, eſſe inſpectorem omnium, quæ homines agunt, & loquuntur, & cum animis ſuis cogitant; eorúmque arbitrum eſſe ac Iudicem, cuique hominum pro eius meritis vel ſupplicia, vel præmia ſumma æquitate diſpenſantem: de anima verò rationali docet, ipſam eſſe immortalem, & ſuam cuique homini propriam, & à DEO creatam de nihilo, infuſámque corpori, libero pollentem arbitrio, capacémque æternæ beatitudinis; quam tamẽ beatitudinem ſine DEI auxilio & gratia nullus mortalium adipiſci poſſit. Vltimum denique hominis finem docet, poſt hanc vitam eſſe in clara DEI viſione ac fruitione poſitum; fore etiam in conſummatione ſæculi corporum, in iuſtis & ſanctis viris reſurrectionem ad vitam immortalem & beatam.

Quas res expreſsè tradat doctrina fidei Chriſtiana, neceſſarias cognitu cuiuis homini ad bene viuẽdum.

58 Tertia ratio: demonſtrari poteſt ſumma honeſtas, & integritas fidei & religionis Chriſtianæ, & magna eius congruentia cum recta ratione. Nihil enim illa falſi continet; & licèt quædam doceat, quæ ſuperant captum humanæ mentis, nihil tamen tradit quod ſit contrarium & repugnans rectæ rationi, nihílque præcipit, aut etiam permittit, quod vel vmbram tantùm, aut ſpeciem aliquam habeat turpitudinis, quin ſummam à ſui cultoribus exigit honeſtatem atque ſanctimoniam. Quarta ratio: Tanta eſt legis Chriſtianæ integritatis & puritatis atque ſanctitatis præſtantia, vt qui ad normam eius vitam ſuam, actionéſque conformant & dirigunt, hi euadant omnibus, etiam ipſis gentilibus, valde amabiles, & venerabiles, & admirabiles. Enim verò, in ſolo Chriſtianiſmo reperire licet opera quædam virtutum excellentiſſimá, & quæ appellantur Heroica; vt apud gentiles inſolita & propemodum inaudita, ita apud Chriſtianos omni tempore viſitata; huiuſmodi ſunt, perpetua virginitas, voluntaria paupertas, renuntiando bonis omnibus temporalibus quæ poſſidentur; voluntarium & perpetuum

Quatuor genera Heroicarum virtutũ & operum in Chriſtianiſmo.

iugum obedientiæ ſub aliorum hominum imperio, & voluntarium martyrium pro confeſſione fidei CHRISTI, ac legis eius obſeruatione, morte quamuis atrociſſima libenter ſuſcepta. Et hæc quidem in Chriſtianiſmo reperiuntur, non in vno aliquo tantum tempore, ſed in omni tempore; neque in vna tantum aliqua regione & gente, ſed per omnes mundi regiones & gentes, vbicunque viget obſeruantia Chriſtianiſmi; neque in vno aliquo genere vel ſtatu hominum, ſed in omni hominum conditione, ætate, ſexúque; neque ad breue aliquod tempus, ſed ab exordio religionis Chriſtianæ ad hodiernam vſque diem.

Quinta ratio: Quæ docet doctrina Chriſtianæ fidei de CHRISTO, ea omnia multis retrò ſæculis tum à Prophetis Iudæorum, cum à Sybillis vatibus gentium celebratiſſimis prænunciatū eſt, ita prorſus euentura fore, vt ſuo quæque tempore contigerunt. Quæcunque enim in Chriſtianiſmo geſta ſunt, & prædictum fuerat ab illis eſſe gerenda; & quæ prædixerunt illi gerenda eſſe, ea planè geſta & completa ſunt in Chriſtianiſmo. Hanc rationem ſiue argumentationem eſſe præualidam, firmari etiam poteſt auctoritate B. Auguſtini, qui non aliud eſſe putat valentius argumētum quàm hoc ad conuincendos gentiles & aduerſarios Chriſtianæ fidei, & ad eius fidei cultores in ea fide fulciendos, atque confirmandos. Auguſtini verba ex capite quadrageſimo ſeptimo libri decimi octaui de ciuitate DEI hæc ſunt: Nihil eſt firmius ad conuincendos quoſlibet alienos, ſi hac de re contenderint, noſtróſque fulciendos, ſi rectè ſapuerint; quàm, vt diuina prædicta de CHRISTO proferamus, quæ in Iudæorum ſcripta ſunt codicibus: quibus Iudæis auulſis de ſedibus propriis, & propter hoc teſtimonium toto orbe diſperſis, CHRISTI vſque quaque credit Eccleſia. Hæc Auguſtinus. His itaque quinque rationibus demonſtrari poteſt, doctrinam fidei CHRISTI etiam ſine miraculis, probari gentibus poſſe. Sanè, plurimi Samaritanorum, ſine vllis miraculis, CHRISTO apud eos biduo commorante crediderunt in eum: & Paulo Athenis prædicante, Dionyſius Areopagita, & Damaris, & quidam alij crediderunt in CHRISTVM.

Auguſtinus. *Act. 17.*

59

DECI

DECIMA QVARTA DISPVTATIO.

Quemadmodum Iudæi ſine miraculis conuinci queant, vt doctrinam fidei CHRISTI *veram eſſe fateri cogantur.*

60 IVDÆIS autem veritas doctrinæ fidei CHRISTI, ſine miraculis poteſt euidẽter his rationibus probari. Prima ratio: Probari hoc poteſt manifeſtis Sacræ ſcripturæ veteris Teſtamenti teſtimoniis, quæ Iudæi, non tantùm vt vera approbant, ſed etiã vt diuinitus ipſis data ſumma religione venerantur. Omnia autem, quæ à Prophetis de tempore aduentus Meſſiæ, de tribu & ſtirpe eius, de loco natali ipſius, de prædicatione & conuerſatione eius in terris, de miraculis, de inſtituto & ratione vitæ ab ipſo agendæ, de diſcipulis eius, de genere paſſionis & mortis, de propagatione legis & doctrinæ ipſius & Religionis, & cultorum eius, per vniuerſum terrarum orbem; hæc, inquam, omnia quæ à Prophetis de Meſſia fuerant prædicta, in Domino noſtro IESV CHRISTO omninò completa eſſe cernuntur. Neceſſum itaque eſt, Iudæos alterutrum horum confiteri; aut ſigna venturi Meſſiæ à Prophetis data ipſis, fuiſſe incerta & fallacia, vtpotè quæ in alium, qui Meſſias non erat, omnia conuenerint; aut ipſum Dominum IESVM fuiſſe verum Meſſiam, in quo prædicta omnia Prophetarum planè, perfectéque completa ſunt.

Fortiſſimum dilemma aduerſus Iudæos.

61 Secunda ratio: Quæcunque de Moſaicæ legis abrogatione, de principatus & regni Iudaici euerſione, & templi atque vrbis Hieruſalem deſolatione, populique Hebræi repudiatione & abiectione vel à Daniele, vel ab aliis veteribus Prophetis, vel ab ipſo Domino IESV, eiúſque Apoſtolis & Prophetis, multò ante quàm euenirent, apertè, expreſſeque prænunciata ſunt; & quæ de vocatione gentium, de multiplicatione Chriſtianiſmi, de legis Euangelicæ per omnes terrarũ oras promulgatione, & Eccleſiæ CHRISTI dilatatione, ab eiſdem illis prædicta fuerant, ea iam ſunt, ipſo rerum euentu prædictionibus illorum omninò reſpondente, comprobata.

62 Tertia ratio: Niſi populus Hebræus eſſet à DEO prorſus abie-

ctus & repudiatus, quid cauſæ fingi poſſet cur DEVS Iudæos per annos iam plus mille quingentos, in tot & tantis calamitatibus ac miſeriis, extra patriam à DEO illis olim aſſignatam, ſine templo, ſine ſacrificiis cæteróque ſolemni cultu DEI, ſine Prophetis, ſine principe ſuæ gentis viuere pateretur? nam, excepta Meſſiæ nece, grauiſſimum omnium ſcelerũ erat idololatria, & cædes Prophetarum, quæ tamen crimina non ampliùs quàm ſeptuaginta annorum captiuitate punita ſunt & vindicata: & populus Iudaicus poſt reuerſionem ex captiuitate Babylonica vſque ad CHRISTI aduentum, neque publico idolorum cultu, neque Prophetarum cædibus, vt quondam, ſe exoſum DEO & execrabilem fecerat. Hinc neceſſariò concluditur hanc tantam eorum calamitatem & miſeriam nõ alius pœnam eſſe criminis quàm necis Meſſiæ, quam in Domino IESV immani crudelitate perfecerunt.

Quarta ratio: Cur poſt necem Domini IESV, hoc tam diuturnum, & fœdum, & miſerandum eius gentis excidium & exilium ad hodiernũ vſq; diem perdurat? ipſi occiderunt Dominum IESVM, quòd ſe filium DEI & Meſſiam eſſe diceret: ſi autem non erat is, quem ſe ille prædicabat; eum illi necando, non modò ſe nullo obſtrinxiſſent ſcelere, ſed rem ſanctiſſimam, & DEO gratiſſimam feciſſent, eum, qui ſibi honorem DEI falsò arrogabat, de medio tollentes: quamobrem, ob id facinus, magis fuiſſent à DEO honorandi, maioribúſque beneficiis, boniſque cumulandi: cùm igitur contra omninò euenerit, vt poſt id temporis, vndique rebus maximè aduerſis & calamitoſis vexati, & acerbiſſimis malis contriti & oppreſſi fuerint; luce meridiana clarius eſt, & veriſſima fuiſſe quæ de ſe Dominus IESVS prædicauerat, & ipſos ſumma impietate & crudelitate eum necando, tanquam deicidas, grauiſſimis quidem; ſed iuſtiſſimis tamen à DEO ſuppliciis eſſe mulctatos. Multa alia in huiuſmodi tractãdo argumento ab antiquis doctoribus ſcripta ſunt, vt à Iuſtino Martyre in Dialogo, quem habuit cum Tryphone Iudæo; à Tertulliano & Cypriano in his quæ ſcripſerunt aduerſus Iudæos; à Chryſoſtomo in quinque orationibus, quas contra Iudæos ſcripſit; ab Euſebio in octo libris de demonſtratione Euangelica; ab Auguſtino in libro decimo octauo de ciuitate DEI. 63

Veteres auctores qui de veritate fidei Christi ſcripſerũt aduerſus Iudæos.

DECI

DECIMA-QVINTA DISPVTATIO.

Quomodo ſine miraculis veritas Catholicæ fidei, ac doctrinæ aduerſus Hæreticos euidenter demonſtrari, ac probari queat.

64 AD redarguendos porrò, atque peruincendos Hæreticos non eſt opus miraculis: quamuis etiam hæc, in omnibus fermè temporibus, quibus celebriores viguerũt Hæreſes, ſæpe DEVS per viros Catholicos fecerit ad perfidiam Hæreticorum publicè, euidentérque confutandam. Etenim, cum Hæreticis alia quadam ratione diſceptandum, & quaſi propriis quibuſdam pugnandum eſt armis. Fidem itaque Catholicam eſſe veram, à CHRISTO nempe & Apoſtolis conditam, & inde ad nos vſque, intemerata & incorrupta integritate cuſtoditam, probare oportet aduerſus Hæreticos his fermè rationibus. Primùm ex Canonicis & diuinis Scripturis: deinde, ex Apoſtolicis traditionibus: tum, ex antiquiſſimis & œcumenicis Conciliis, in quibus & confirmata eſt fides noſtra Catholica, & contraria Hæreticorum placita exploſa & damnata ſunt: ad hæc, ex conſenſu doctorum Eccleſiæ, qui ab eius Exordio, omnibus ſæculis, ad vſque præſens Eccleſiæ tempus floruerunt: præterea, ex plurimis miraculis olim in teſtimonium & confirmationem Fidei Catholicæ, per viros Catholicos factis. *Exponuntur rationes, quibus Catholica fides & Doctrina probãda eſt aduerſus Hæreticos.*

65 Quòd ſi nunc circa doctrinam Fidei erraret Eccleſia Catholica, in eodem quoque verſata fuiſſet errore ſuperiorum temporum Eccleſia: quippe vtriúſque fidem & doctrinam prorſus eandem eſſe conſtat. Quomodo igitur verum eſſet illud CHRISTI promiſſum: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Illud quoque: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi?* Quomodo item vera eſſet Pauli ſententia appellantis Eccleſiam CHRISTI domum DEI viui, columnam & firmamentum veritatis? *Matth. cap. 16. & vlt. 1. ad Timotheum cap. 3.*

66 Hæreticos autem vti diuinis Scripturis ad ſua dogmata probanda

da,& doctrinam Eccleſiæ Catholicæ oppugnandam, nimis profectò inſulſum,nimíſque ridiculum eſt. Has námque ſcripturas vnde obſecro acceperunt Hæretici, niſi ab Eccleſia Catholica, quæ habuit eas ante cuiuſlibet Hæreſis exortum? coguntur igitur Hæretici, velint nolint,credere,Catholicam Eccleſiam habére veram Scripturam. Nam quòd hæc Scriptura ſit Canonica,illa verò non ſit, ex ipſa ſacra Scriptura diiudicari non poteſt, cùm id expreſſum in ea non ſit. Et vt expreſſum eſſet,fidem tamen certam non faceret, quia eius rei expreſſio, diuino ſpiritu facta eſſet nécne, certè ſciri non poſſet. Ergo, certum iudicium internoſcendi Canonicas Scripturas à non Canonicis, ex Catholicæ Eccleſiæ doctrina & auctoritate petendum eſt. Aut igitur Eccleſia Catholica falli poteſt circa Scripturas Canonicas,aut non poteſt falli: ſi falli poteſt, incerta igitur eſt Scripturarum Fides: ſi autem falli non poteſt, ergo ſimiliter circa alia, quæ docet ad fidem pertinentia, falli non poterit: ſi enim in vno aliquo dixeris eam poſſe errare, nulla ratio afferri poterit, cur non in quolibet cæterorum ad fidem pertinentium ſimiliter errare queat.

Fortiſſimum dilemma aduerſus Hæreticos.

DECIMA SEXTA DISPVTATIO.

Quibus rationibus veritas Doctrinæ Fidei, ſine miraculis demonſtretur euidenter, atque probetur hominibus Catholicis.

CÆTERVM ad confirmandos homines Catholicos in Fide CHRISTI, quam acceperunt ac tenent, nullis opus eſt miraculis: ſed inſtar ingentis miraculi eſſe debet auctoritas diuinæ Scripturæ tot modis à DEO comprobatæ. Sic dixit Abraham diuiti Epuloni, vt in capite decimo ſexto hiſtoriæ ſuæ Euangelicæ narrat Lucas; *Si Moyſen & Prophetas non audiunt,neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*, nimirum, facilius eſt vera miracula ſimulare ac mentiri, quàm veritatem ſacrarum Scripturarum adulterare. Paulus etiam magis vult credi prædicationi Euangelij, quam ipſe fecerat Galatis, quàm Angelis, ſi diuerſa prædicarent, 67

Locus Lucæ cap.16.

Ad Galat.1.

rent,

carent, quia poteſt Sathanas transfigurare ſe in Angelum lucis. Deinde, maximum omnium miraculorum eſt conuerſio totius fermè mundi ad fidem CHRISTI, facta per homines, nulla re humana ſpectabiles, ſed etiam ignobiles, pauperes, & ſecundum mundanam ſapientiam idiotas: repugnantibus eorum prædicationi ſapientibus huius mundi, & imperatoribus, ipſiſque Dæmonibus. Conuerſi autem ad Fidem CHRISTI ſunt non tantùm pauperes, & ignobiles, & idiotæ, & pueri, vel mulierculæ; ſed innumerabiles potentia, nobilitate, diuitiis, prudentia ciuili, ſapientia philoſophicâ præcellentes, ætateque virili ac ſenili fortes, ac maturi & graues: & hi, propter CHRISTI Fidem, quam acceperant, libentiſſimis animis paſſi ſunt, omnibus ſe bonis temporalibus ſpoliari, & cruciabiliſſimo interitu necari.

68 Hanc ſanè tantam mundi ad fidem CHRISTI conuerſionem non potuiſſe ſine multis & magnis miraculis fieri: aut ſi facta ſine miraculis eſt, hoc ipſum eſſe maximum miraculum, & certiſſimum argumentum, CHRISTI fidem eſſe maximè credibilem, B. Auguſtinus acutè, doctè, vereque argumentatur in capite octauo libri vigeſimi ſecundi de ciuitate DEI, ita ſcribens: Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt? poſſem equidem dicere, neceſſaria tunc fuiſſe, priùs quàm crederet mundus, ad hoc vt crederet. Quiſquis verò adhuc prodigia, vt credat, inquirit; magnum profectò eſt ipſe prodigium, qui, mundo credente, non credit. Hoc autem propterea iſti dicunt, vt nec tunc illa miracula facta fuiſſe credantur. Vnde ergo tanta fide CHRISTVS cantatur, in cœlum cum carne ſublatus? vnde temporibus eruditis, & omne quod fieri non poteſt reſpuentibus, ſine illis miraculis, nimiùm mirabiliter, incredibilia credidit mundus? An fortaſſe credibilia fuiſſe, & ideò ſine miraculis credita eſſe dicturi ſunt? cur ergo & ipſi non credunt? breuis eſt itaque noſtra complexio: Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ fiebant & videbantur, (vt ſunt miracula) fecerunt fidem: aut certè res maximè credibilis, vt nullis, quibus perſuaderetur, miraculis indigeret, iſtorum nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vaniſſimos iſtos homines dixerim: nam facta eſſe multa miracula, quæ atteſtarentur illi grandi & ſalubri

Acuta & vera B. Auguſtini argumentatio.

Oo miraculo

miraculo, quo CHRISTVS in cœlum cum carne, in qua reſurrexit, aſcendit, negare non poſſumus. Hæc enim in veraciſſimis libris conſcripta ſunt; & quòd facta ſint, & propter, quod credendum facta ſint. Hæc, vt fidem facerent, innotuerunt; & per fidem, quam fecerunt, multò clariùs innoteſcunt: leguntur quippè in populis vt credantur, nec in populis tamen, niſi credita, legerentur. Nam etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, ſiue per Sacramenta eius, ſiue per orationes, vel memorias Sanctorum eius, &c. quæ deinceps perſequitur Auguſtinus, nonnulla commemorans miracula ſuo tempore facta.

Magna item eſt veritatis Fidei CHRISTI perſuaſio & confir- 69
matio, quam in homine iuſto, & ſecundùm legem DEI viuente
facit interius teſtimonium Spiritus ſancti, hoc ipſum eis perſua-
Ad Rom. 8. dentis; ſecundùm illud Pauli: *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiri-
tui noſtro, quòd Filij* DEI *ſumus.* Et hoc planè indicant verba illa
Ioan. 7. Domini: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctri-
na, vtrùm ex* DEO *ſit, an ego à meipſo loquar.* Ad hanc quoque
Locus 1. Petri cap. 1. ſententiam licet interpretari verba illa B. Petri: *Satagite, vt per bona
opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*: quaſi
verbis iſtis ſignificetur, qui effectioni bonorum
operum ſtudioſè ac ſollicitè deditì, atque
intenti ſunt, eis fidem CHRISTI,
ad quam vocati ſunt,
veram & certam
videri.

CAPVT

CAPVT QVINTVM
EVANGELII IOANNIS.

POST *hæc erat dies feſtus Iudæorum,* VERS. I.
& aſcendit IESVS *Hieroſolymam.*
* *Eſt autem Hieroſolymis probatica* 2
piſcina, quæ cognominatur Hebraicè,
Bethſaida, quinque porticus habens.
* *In his iacebat multitudo magna* 3
languentium, cæcorum, claudorum, ari-
dorum, expectantium aquæ motum.
* *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſci-* 4
nam: & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam
poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infir-
mitate. * *Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos ha-* 5
bens in infirmitate ſua. * *Hunc cùm vidiſſet* IESVS *iacentem,* 6
& cognouiſſet quia iam multùm tempus haberet, dicit ei: Vis ſa-
nus fieri? * *Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non ha-* 7
beo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum ve-
nio enim ego, alius ante me deſcendit. * *Dicit ei* IESVS: *Surge,* 8
tolle grabatum tuum, & ambulâ: * *Et ſtatim ſanus factus eſt* 9
homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat au-
tem ſabbatum in die illo. * *Dicebant ergo Iudæi illi, qui ſanatus* 10
fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum; * *Re-* 11
ſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum

12 *tuum, & ambula.* Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille ho-*
13 *mo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?* Is au-*
tem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. IESVS *enim*
14 *declinauit à turba conſtituta in loco.* Poſtea inuenit eum* IESVS
in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne
15 *deterius tibi aliquid contingat.* Abijt ille homo, & nunciauit*
16 *Iudæis quia* IESVS *eſſet, qui fecit eum ſanum.* Propterea per-*
17 *ſequebantur Iudæi* IESVM, *quia hæc faciebat in Sabbato.** IE-
SVS *autem reſpondit eis: Pater meus vſque modò operatur, &*
18 *ego operor.* Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interfi-*
cere: quia non ſolum ſoluebat ſabbatum, ſed & patrem ſuum di-
cebat DEVM, *æqualem ſe faciens* DEO. *Reſpondit itaque* IE-
19 SVS, *& dixit eis:* Amen, amen dico vobis: non poteſt Filius*
à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæ-
20 *cunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Pater*
enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit: &
21 *maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini.* Sicut enim*
Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult,
22 *viuificat.* Neque enim Pater iudicat quemquam: ſed omne iu-*
23 *dicium dedit Filio,* vt omnes honorificent Filium, ſicut hono-*
rificant Patrem: qui non honorificat filium, non honorificat Pa-
24 *trem, qui miſit illum.* Amen, amen dico vobis, quia qui verbum*
meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, &
25 *in iudicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam.* Amen,*
amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui
26 *audient vocem Filij* DEI: *& qui audierint, viuent.* Sicut*
enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere
27 *vitam in ſemetipſo:* & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia*
28 *Filius hominis eſt.* Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua om-*
29 *nes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij* DEI: ** & pro-*
cedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala
30 *egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Non poſſum ego à meipſo*

facere

facere quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iuſtum
eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui
miſit me. * *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium* 31
meum non eſt verum. * *Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me:* 32
& ſcio quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me. * *Vos* 33
miſiſtis ad Ioannem: & teſtimonium perhibuit veritati. * *Ego* 34
autem non ab homine teſtimonium accipio: ſed hæc dico vt vos ſal-
ui ſitis. * *Ille erat lucerna ardens, & lucens: vos autem voluiſtis* 35
ad horam exultare in luce eius. * *Ego autem habeo teſtimonium* 36
maius Ioanne. Opera enim; quæ dedit mihi Pater vt perficiam
ea: ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia
Pater miſit me. * *& qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit* 37
de me: neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vi-
diſtis. * *& verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem* 38
miſit ille, huic vos non creditis. * *Scrutamini Scripturas, quia vos* 39
putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimo-
nium perhibent de me: * *& non vultis venire ad me vt vitam* 40
habeatis. * *Claritatem ab hominibus non accipio.* * *Sed cognoui vos,* 41. 42
quia dilectionem DEI *non habetis in vobis.* * *Ego veni in nomi-* 43
ne Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo,
illum accipietis. * *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab* 44
inuicem accipitis: & gloriam, quæ à ſolo DEO *eſt, non quæritis?*
* *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem. Eſt* 45
qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. * *Si enim* 46
crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de
me enim ille ſcripſit. * *Si autem illius litteris* 47
non creditis: quomodo verbis
meis credetis?

IN CAPVT QVINTVM DISPVTATIONES VIGINTI SEX.

Narratur in priori parte huius capitis inſigne miraculum hominis paralytici, iuxta Probaticam piſcinam à CHRISTO *ſanati: in poſteriori parte capitis exponitur ſermo, quem ex occaſione huius miraculi* CHRISTVS *habuit cum Iudæis.*

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 1. Poſt hæc, erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit IESVS Hieroſolymam.

Diſputatur, quis fuerit ille dies feſtus Judæorum.

ILLVD, *poſt hæc*, indicare videtur, quæ 1
narrantur in hoc quinto capite, proximè conſecuta eſſe miraculum illud filij Reguli à CHRISTO ſanati, de quo miraculo in extrema parte quarti capitis ſcripſit Ioannes. Verùm, non ita res habet: illud námq; miraculum filij Reguli, primum fuit eorum, quæ CHRISTVS in Galilæa fecit poſtquam ſecundò ad eam venerat: poſt quod Ioannes proximè ſubdit reditum CHRISTI Hieroſolymam. At cæteri tres Euangeliſtæ plurima CHRISTI acta & dicta in Galilæa, poſt ſecundum eius aduentum, commemorant, quæ ſcilicet neceſſe eſt inter miraculum filij Reguli, & miraculum Paralytici interceſſiſſe. Quæ igitur

igitur intermedio illo tempore à CHRISTO acta ſunt in Galilæa, ea poſſunt ad hæc nouem capita reduci. Primò: tunc facta eſt vltima vocatio quatuor Apoſtolorum, Petri & Andreæ & filiorum Zebedæi, Matthæi 4. Marci 1. Lucæ 4: Secundò: liberatio cuiuſdam dæmoniaci, Matthæi 8. Tertiò: curatio ſocrus Simonis, Matthæi 8. Marci 1. Lucæ 4. Quartò: ſedatio tempeſtatis, diſcipulis in mari periclitantibus, Matthæi 8. Marci 4. Lucæ 8. Quintò: liberatio duorum dæmoniacorum, qui erant in regione Geraſenorum, Matthæi 8. Marci 5. Lucæ 8. Sextò: curatio Paralytici per tegulas demiſſi, Matthæi 9. Marci 2. Lucæ 5. Septimò: vocatio Matthæi ad Apoſtolatum, & diſceptatio CHRISTI cum Phariſæis & cum diſcipulis Ioannis de Ieiunio, Matthæi 9. Marci 2. Lucæ 8. Octauò: Reſuſcitatio filiæ Archiſinagogi, & obiter ſanatio Hemorrohiſſæ, Matthæi 9. Marci 5. Lucæ 8. Nonò: Illuminatio duorum cæcorum, & dæmoniaci liberatio, Matthæi 9. His nouem ſupradictis conſequens fuit hiſtoria Paralytici iuxta Probaticam piſcinam à CHRISTO ſanati, & quæ deinceps acta & dicta narrantur in hoc quinto capite. Superiora verò illa nouem, quæ recenſuimus, conſultò prætermiſiſſe creditur Ioannes, vt qui nouiſſimus omnium Euangeliſtarum eo conſilio Euangelium ſcripſerit, vt quæ ab aliis tribus tradita fuerant, ferè omitteret; prætermiſſa verò ab illis ipſe ſuppleret. Ergo, cùm vel Ioannes, vel alij Euangeliſtæ ſcribunt, (*poſt hæc*) eſſe factum hoc, vel illud, non ſemper ſignificant proximam conſequentiam rerum geſtarum, neque continuatam rerum ſubſequentium cum antecedentibus, ſecundum ordinem temporum, connexionem: ſed illud tantùm indicare volunt, id quod, antea poſteriori loco ab ipſis narratur, euenisse poſt id, quod antea ipſi narrauerant; pòſt, inquam, vel proximè, vel aliquo temporis interuallo.

2 Sed ex illis verbis, *Erat dies feſtus Iudæorum*, non leuis quæſtio exiſtit, variis auctorum ſententiis controuerſa, quiſnam fuerit dies ille feſtus Iudæorum, quem Ioannes hoc loco ſimpliciter, ac præciſè Feſtum appellauit, An feſtum Paſcha, an Pentecoſtes, vel aliud aliquod de feſtis & ſacris diebus, quos diuina lege præſcriptos Iudæi anniuerſaria celebritate, ſolemnes agebant. Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophylact. Euthimius, Auctor Hiſtoriæ ſcholaſticæ.

Quis fuerit ille dies Feſtus Iudæorũ.

Cyrillus.
Chryſoſtom.
Theophylact.
Euthymius.

Hiſtoria Scholaſtica. B. Thomas. Lyranus. Carthuſianus.

ſticæ, Beatus Thomas, Lyranus, Carthuſianus in explanatione huius loci arbitrantur, fuiſſe feſtum Pentecoſtes, quod quinquaginta diebus poſt feſtum Paſcha agebatur. Nam cùm ſupra in ſecundo cap. cõmemoraſſet Ioannes feſtum Paſcha, quo tempore CHRISTVS eiecit de Templo vendentes & ementes, nec poſtea vſque ad hunc locum vllius feſti mentionem fecerit, ſatis credibile eſt, feſtum, quod hîc nominatur, fuiſſe proximum poſt feſtum Paſcha: nullum autem propius erat, quàm feſtum Pentecoſtes.

Non fuiſſe feſtum Pẽtecoſtes.

At enim, hæc ſententia refellitur eo argumento, quòd poſt il- 3
lud feſtum Paſcha CHRISTVS & moratus eſt in Iudæa, & inde poſtea proficiſcens in Galilæam, in tranſitu per Samariam, ſermonem habuit cum muliere Samaritana, quatuor menſibus ante tempus meſſis, vt ipſe ſignificauit illis verbis; *Nónne vos dicitis, quia adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Meſſis autem fiebat in Iudæa ante feſtum Pentecoſtes, vt patet ex trigeſimo quarto capite Exodi, & vigeſimo tertio Leuitici, & ex tertio & quarto cap. lib. Ioſue.

Caietanus & Canus.

Caietanus ſuper hoc loco, & Canus in capite quinto libri vn- 4
decimi de locis Theologicis in ſolutione ſexti argumenti putant, Feſtum, hoc loco à Ioanne commemoratum, fuiſſe feſtum hyemale, videlicet aut inſtaurationis ſecundi Templi, quod feſtum agebatur tertio die menſis Adar, qui erat vltimus menſis anni apud Iudæos, noſtro Februario reſpondens, vt in capite ſexto prioris libri Eſdræ ſcriptum eſt: aut fuiſſe Feſtum ſortium, ſiue Mardochæi, quod in eiuſdem menſis decimo quarto & decimo quinto die celebrabatur, ſicut in capite nono libri Eſther proditum eſt.

Non fuiſſe feſtum hyemale.

Verùm, nec ſententia hæc bene congruit cum illo CHRISTI 5
dicto proximè ſupra cõmemorato, quo ex tempore CHRISTVS erat in Samaria, quatuor menſibus abfuiſſe tempus meſſis: & propterea non videtur credibilis hæc ſententia, quòd illa duo feſta hyemalia, à Caietano & Cano commemorata, minoris celebritatis erant apud Iudæos, quàm feſta Paſchæ & Pentecoſtes, & Tabernaculorum, vt quæ non hominum auctoritate, ſicut illa hyemalia, ſed DEI ipſius præſcripto, & lege per Moyſen data, eſſent conſtituta: Neutri igitur illorum duorum feſtorum hyemalium conueniens erat nomen, Feſti, ſimpliciter & præciſè dicti: ſicut hîc appellatur.

Simili

6 Similior itaq; vero eſt ſentẽtia Irenæi in capite trigeſimo nono libri ſecundi,& Ruperti ſuper hoc loco, fuiſſe feſtum illud hîc nominatum à Ioanne,feſtum Paſcha: ſic enim bene cohæret hiſtoria huius quinti capitis cum hiſtoria proximè præcedentis capitis: & ſatis apparet,quo modo cùm CHRISTVS erat in Samaria, diſtaret tunc quatuor menſibus tempus meſſis, quæ in Iudæa, vt ſuprà dictum eſt,fiebat inter Paſcha & Pentecoſtem.Hæc ſententia duabus præcipuè rationibus validè firmatur: Altera ratio eſt,quòd in Euangelica hiſtoria non in vno tantùm loco legimus,Feſtum Paſcha nominari feſtum ſimpliciter, vt cernere licet apud Lucam cap.2. apud Matthæum cap.26. & apud ipſum Ioannem cap. 13. nuſquam verò ſiue in Veteris, ſiue in Noui Teſtamenti Scriptura reperire eſt, aliud vllum feſtum, niſi Paſcha, appellari feſtum ſimpliciter & præciſè. Altera ratio eſt, Ioannem ſolum ex Euangeliſtis, omnia feſta Paſcha, toto prædicationis CHRISTI tempore peracta, digeſtè, ac diſtinctè, expreſſéque notaſſe; quò ſeries prædicationis CHRISTI, & quot annos poſt Baptiſmum vſque ad Paſſionem ſuam prædicauerit, liquidiùs cognoſci poſſet; & hoc ipſum de Ioanne tradunt antiqui patres, mox à me commemorandi. Sed enim, ſi feſtum hîc nominatum à Ioanne non fuit feſtum Paſcha, Ioannes profectò non niſi tria Paſcha poſt Baptiſmum à CHRISTO acta commemoraſſet. Hoc autem eſt contra communem ſententiam Patrum, qui tradiderunt, ex Ioannis Euangelio euidenter colligi, CHRISTVM quater poſt Baptiſmum ſuum egiſſe feſtum Paſcha; id enim proditum eſt ab Euſebio in libro octauo de Demonſtratione Euangelica in Diſputatione de ſeptuaginta Hebdomadis Danielis, & ab Epiphanio contra Hæreſim quinquageſimam primam, & ab Hieronymo & Theodoreto ſuper nono capite Danielis, & ab aliis permultis. Illud præterea abſurdi habet hæc ſententia, quòd ſecundum eam efficeretur, CHRISTVM ne duos quidem annos integros prædicaſſe, nec vixiſſe ipſum, niſi vnum & triginta annos, paucis menſibus adiectis: ſiquidem tria Paſcha duos tantum annos continent, & CHRISTVS initio anni trigeſimi ſuæ ætatis baptizatus eſt.

Fuiſſe illud feſtũ Paſcha. Irenæus. Rupertus.

Feſtũ Paſcha nominari ſolere ſimpliciter, ac præciſè feſtum.

Chriſtũ quater egiſſe Paſcha poſt Baptiſmũ ſuum.

Euſebius. Epiphanius. Hieronymus. Theodoretus.

7 Sed enim, illud aduerſari videtur huic ſententiæ, quod Ioannes

Duæ obiectiones cõtra proximam ſuperiorem ſententiam, quam ſequitur auctor.

infrà in principio ſexti capitis commemorat feſtum Paſcha: ſi feſtum igitur hoc in loco nominatum fuiſſet Paſcha: ab vno Paſcha ad alterum Paſcha tranſiſſet Ioannes, omnia vnius integri anni acta & dicta CHRISTI in præteritis relinquens, exceptis paucis quibuſdam in hoc quinto capite ab eo commemoratis. Verùm facile diluitur hæc obiectio: ſæpe enim Ioannes extrema commemorat, intermedia prætermittens, vt quæ à cæteris Euangeliſtis abundè conſcripta eſſent. Illud præterea poſſet obiici, ex hac ſententia neceſſariò alterutrum duorum concludi, vel CHRISTVM vixiſſe triginta quatuor annis: quod nec pluribus viris doctis, nec nobis probatur; vel à baptiſmo CHRISTI vſque ad nuptias in Cana Galilææ factas non præteriſſe vnum annum: quod ſanè multorum aſſenſu comprobatum eſt. Sed extremum hoc nos minimè abnuimus: quin etiam vltrò concedimus; de quo, quia copiosè diſſeruimus ſuprà in Exordio ſecundi capitis huius Euangelij, nihil in præſentia dicemus.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 2. Eſt autem Hieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens.

Varia lectio. Beda. Euthymius. Theophylact.

GRÆCI Codices habent, *ſuper Probatica:* Beda & 8
Euthymius legunt: *in Probatica.* Theophylactus in textu ſuo habet, *ad Probaticam.* Significatur ſecundum iſtos vocabulo Probaticæ, locus: vbi oues, & agni congregari, & aſſeruari ſolebant propter frequentes eorum immolationes in Templo; quotidiana certè duorum agnorum erat immolatio, vnius in ſacrificio matutino, alterius in veſpertino. Itaque piſcina illa erat vel iuxta iſtum locum, vel intra, vel ſupra: in qua videlicet piſcina oues & agni, vel eorum interanea, ante immolationem lauabantur à ſordibus.

Lubet hîc adſcribere, quæ ad hunc locum pertinentia, in libro 9
de

de locis Hebraicis ſcripſit B.Hieronymus, & Rupertus ſuper hoc loco, aliíque complures. Iſti vocem illam, *Probatica*, legunt in nominatiuo, quaſi nomen adiectiuum illius vocis, *piſcina*. Vocem porrò Græcam, *Probatica*, Latinè vertens Hieronymus, appellauit pecualem; In qua, inquit, oſtenduntur gemini lacus, quorum vnus hybernis pluuiis impleri ſolet; alter mirè rubens, quaſi cruentis aquis, antiqui in ſe operis ſigna teſtatur: Nam hoſtias in eo lauari à ſacerdotibus ſolitas ferunt: vnde & nomen accepit. Sic Hieronymus. Similiter etiam vocabulum, *Probatica*, legiſſe videtur Theophylactus: licèt enim in textu eius legatur, *ad probaticam*: in commentario tamen ſumit vocem, *Probatica*, vt epithetum piſcinæ, quam ita dictam eſſe putat, quòd illuc oues ad ſacrificium cogerentur.

S. Hieronymus. *Duo lacus in Probatica.* *Theophylact.*

10 Pro illa voce Latina, *Piſcina*, vox Græca propriè ſignificat, *Natatoria*: & hanc ipſam vocem Græcam, Latinus etiam interpres infrà in capite nono tranſtulit in vocem Latinam, natatoria: Cùm inquit, *Vade, laua in Natatoria Siloë.* Piſcina verò dicta eſt, non quòd in ea viui piſces ſeruarentur: ſed quia vel piſcinæ haberet ſimilitudinem, vel per abuſum eius vocis vſitatum non ſolùm vulgo: ſed doctis etiam viris; quo magna quædam aquarum receptacula nominantur piſcinæ: Et Plinius quodam loco ingentia quædam vaſa lignea aquarum nominauit piſcinas.

Quid piſcina. *Plinius.*

11 Dignum memoratu hoc loco, & cognitu eſt, quod Brocardus diligentiſſimus locorum terræ ſanctæ explorator, & obſeruator, atq; ſculptor de hac piſcina in libro ſuo ſcriptũ reliquit: Ab arca, inquit, templi contra Aquilonem, ſpatio iactus lapidis, eſt porta vallis, quæ ducit ad vallem Ioſaphat, quæ vocatur etiam porta gregis, quòd per eam introducerentur greges, in templo immolandi. Hanc portam intrantibus, ad ſiniſtram eſt piſcina probatica, in qua Nathinæi lauabant hoſtias, quas bene lotas ſacerdotibus tradebant in templo offerendas: quæ piſcina porticus habuiſſe oſtenditur. Ad dexteram eſt alia piſcina grandis, dicta inferior, facta ab Ezechia rege. Verùm ſcire conuenit, plures fuiſſe Hieroſolymis piſcinas in Sacra ſcriptura commemoratas. Prima piſcina dicta eſt ſuperior, quæ extra ciuitatem erat in via agri fullonis, de qua Iſaias cap.7. & in libro quarto Regum, cap.18. Secunda piſci-

Brocardus. *Quinque piſcinæ Hieroſolymis.*

na eſt appellata inferior: quam conſtrúxit Rex Ezechias, cuius fit mentio in libro quarto Regum, cap. 2 0. & in libro ſecundo Paralipomenon, cap. 32. & apud Iſaiam, cap. 22. & in libro Eccleſiaſtici, cap. 48. Tertia piſcina nominata eſt (vetus) quam Iſaias cap. 22. ſcribit fuiſſe inter duos muros. Quarta piſcina fuit, cuius hoc loco meminit Ioannes, à Rege Salomone, in vſum miniſterij templi conſtructa: quæ fortaſſe ea ipſa eſt, quam Ioſephus in deſcriptione vrbis Hieroſolymitanæ vocat ſtagnum Salomonis. Quinta demum piſcina, ſiue Natatoria, dicta eſt Siloë, cuius infrà in cap. 9. huius Euangelij fit mentio: & in cap. 3. libri Nehæmiæ. Primùm igitur in piſcina Probatica, ſecundum Rupertum, & Euthimium & Theophylactum, Nathinæi lauabant hoſtias, à quibus acceptas ſacerdotes iterùm eas lauabant in decem luteribus ſeu conchis, vt traditur in capite quarto libri ſecundi Paralipomenon.

Ioſephus.

Rupertus. Euthimius. Theophylact.

Hoſtias, ſiue victimas in templo Iudaico immolandas, bis lauari ſolitas.

Ariſtæas.

De abundantia aquarum in vſus templi Hieroſolymitani.

12 Ariſtæas in ea hiſtoria, quam ipſe ſcriptam reliquit de ſua legatione in Iudæam: vnde celebres illos ſeptuaginta duos interpretes ſacræ Scripturæ ſecum duxit Alexandriam, ait, fuiſſe in Templo Hieroſolymitano magnum, & perennem fontem: & ſub terra circum ipſum Templum per quinque ſtadia fuiſſe magna & ampla aquarum receptacula, in quæ omnis aqua templi, & ſanguis victimarum defluens, per ſubterraneos deinde meatus extra vrbem eiiceretur; tanta copia & impetu, vt ingentis ſonitum fluminis ſubterlabentis referret. Cornelius Tacitus in libro quinto Hiſtoriarum, de Templo Hieroſolymitano ſcribens, Perennis, inquit, in eo fons, cauatíſque ſub terra montibus, piſcinæ, ac ciſternæ, colligendis, ſeruandíſque imbribus factæ.

Tacitus.

De vocabulo Bethſaida.

Beda.

S. Hieronymus.

Hieronymus.

13 Circa illa verba, *quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida*, ſciendum eſt ſecundum lectionem Græcam legi, & Latinè verti: (Betheſda.) Sic legit hoc loco Beda, & ſanctus Hieronymus in libro de locis Hebraicis. Dixit autem Ioannes illud, *Hebraicè*, pro eo, quod eſt (Chaldaicè.) Eo námque tempore, vulgaris Iudæorum lingua erat ferè Chaldaica: Chaldaicè autem locus alicuius rei dicitur domus eius, vt, ager vocatur domus ſeminis; & ſtabulum dicitur domus iumenti: ſignificat autem vox, (Betheſda,) domum effuſionis, id eſt, locum, in quem ex tectis, aliíſque locis editioribus; vel ex eo lacu, quem Hieronymus dixit hybernis pluuiis impleri ſolitum, aquæ

aquæ defluentes recipiebantur. Alij eam vocem interpretantur domum benignitatis: ſic appellatam, quòd eo in loco benignè acciperentur, & tractarentur pauperes ægroti, expectantes illic piſcinæ motum. Verùm Latini Codices habent (Bethſaida:) & ſic legunt ferè Latini interpretes: & Pagninus in libro de interpretatione nominum Hebraicorum ait, ea voce ſignificari domum effuſionis, id eſt, locum, in quem confluerent aquæ pluuiales. B. Hieronymus in commentariis ſuis in Oſeam, interpretatur eam vocem, domum venatorum: Rupertus interpretatur domum frugum. *Pagninus.* *Hieronymus.* *Rupertus.*

14 Cogitandum itaque eſt, circa illam piſcinam fuiſſe quinque porticus, in quibus manebant ægroti, motum illius aquæ expectantes: hos autem Ioannes appellat languentes, cæcos, & claudos, & aridos. Languentes dicuntur, quos vulgò febricitantes appellant: aridi dicuntur contracti, vel qui partem aliquam corporis habent aridam; qualem habuit manum is, quem curauit CHRISTVS, de quo Matthæus ſcripſit: *Et ecce homo manum habens aridam:* & poſt pauca; *Tunc ait homini, extende manum tuam: & extendit, & reſtituta eſt ſanitati: ſicut altera.* De Rege quoque Hieroboam ita traditum eſt in capite decimo tertio libri tertij Regum: *Et exaruit manus eius, quam extenderat contra Prophetam Domini, nec valuit eam retrahere ad ſe.* Græca vox, qua vtitur hoc loco Ioannes, ſignificat aridum & mancum, & qui manum habet eneruatam: mancus verò dicitur, quaſi manu carens. *Matth. 12.*

15 Sex autem res in illa Piſcina erant admodùm mirabiles. Prima, quòd ſanabat quoſlibet morbos. Secunda, quòd ſubitò ſanabat. Tertia, quòd non ſanabat niſi vnum ex tot ægrotis. Quarta, quòd non ſanabat niſi eum, qui ante alios omnes deſcenderat in aquam Piſcinæ. Quinta, quòd eam vim ſanandi non ſemper habebat: ſed eo dumtaxat tempore, quo aqua eius Piſcinæ agitata, & turbata erat. Sexta, quòd illa commotio & turbatio aquæ tam ſalutiferæ, fiebat ab Angelo, ſtatis temporibus, è cœlo in eam Piſcinam deſcendente. *Sex res in illa piſcina valde mirabiles.*

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in Piſcinam, & mouebatur aqua: & qui prior deſcendiſſet in Piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.

SICVT opera naturalia & ordinaria facit DEVS 16
per cauſas naturales & ordinarias; ita opera ſupernaturalia, & extraordinaria, vt ſunt miracula, facit per cauſas extraordinarias; plurimùm verò, per Angelos, principales diuinæ prouidentiæ adminiſtros: & miracula quidem opinatur B. Gregorius fieri ſolere per ordinem Angelorum ſecundæ hierarchiæ, qui appellantur Virtutes. Nec dubitandum eſt, quin Angelus ille fuerit vnus de bonis & beatis Angelis: nam & malorum quoque Angelorum miniſterio interdum vtitur DEVS; ſed vtitur tamen in malis, id eſt, vel in vltionem impiorum, vel in tentationem & probationem bonorum hominum: vt in Iob. Quæ autem ſpectant ad ſalutem hominum, ea per bonos Angelos facit DEVS. Sed quis fuit ille Angelus? Tria dumtaxat Angelorũ nomina reperiuntur expreſſa in Sacris litteris, Michaël, Gabriel, & Raphaël. Quidam itaque coniecturam faciunt, illum Angelum fuiſſe Raphaëlem, eò quòd Hebraica illa vox, Raphaël, Latinè ſignificat medicinam DEI, quaſi hic Angelus faciendis miraculis ad medicinam & ſanitatem hominum pertinentibus, à DEO fuerit deſtinatus.

Iob 1. & 2.

Quis fuerit ille Angelus.

Sed vnde compertum fuerat Iudæis, Angelum deſcendere ſolitum in piſcinam? Fortaſſe à principio cuipiam viro ſancto diuinitùs eius rei facta eſt reuelatio, quæ poſteà diuulgata, & conſecuto miraculi effectu comprobata, fidem eius rei in poſterum firmauit. An potiùs, quia perſuaſum erat Iudæis, omnes extraordinarios & prodigioſos effectus diuinitùs factos, miniſterio Angelorum fieri ſolere? 17

Vnde notus Iudæis fuerat illius Angeli deſcenſus in piſcinam.

Illud in dubio eſt, quoties, & quo anni tempore Angelus ille deſcende 18

ſcenderet in piſcinam. In hiſtoria ſcholaſtica in capite octogeſimo primo ſuper hiſtoria Euangelica traditur, id fuiſſe Iudæis incertum; & ideò ægrotos, per totum anni tempus, piſcinæ illius motum aquæ in eo loco expectare ſolitos. Cui tamen ſententiæ obſtat, quod Ioannes apertè dixit, Angelum deſcendere ſolitum ſecundum tempus: id autem eſt, ſtato & certo quodam tempore. Cyrillus, Chryſoſtomus, & Theophylactus arbitrantur, ſemel tantùm in anno, & in feſto Pentecoſtes Angelum illum deſcendere ſolitum in piſcinam. Iſti enim feſtum Iudæorum, initio huius quinti capitis à Ioanne nominatum, interpretantur feſtum Pentecoſtes, quod nos ſupra improbauimus. Coniectant alij, ter ſingulis annis deſcendiſſe Angelum in piſcinam; in tribus videlicet præcipuis Iudæorum ſolemnitatibus, Paſcha, Pentecoſtes, & tabernaculorum. Vero ſimilius fit aliis, ſemel tantùm deſcendiſſe Angelum in anno, & circa feſtum Paſcha, ſicut vnus tantùm ægrotorum, iſque primus deſcendentium in piſcinam, ſanabatur: ſanè, feſtum Paſcha primum erat anni apud Iudæos, multis in Ægypto factis prodigiis nobilitatum; quo etiam tempore CHRISTVS, cruentiſſima necandus morte, piſcinam ex ſuo ſanguine ſanandis omnibus animorum morbis facturus erat: duo certè ex ipſo verborum Ioannis contextu euidenter colliguntur: Alterum, certo anni tempore ſolitum deſcendere Angelum: Alterum verò, id fieri ſolitum circa feſtum Iudæorum: quod fuiſſe feſtum Paſcha nos ſuprà oſtendimus. Expectabant autem ægroti in eo loco, vt quiſque ante alios, deſcenſum in piſcinam anteuerteret: & ad id commodum ſibi locum anticipabant.

Quoties, & quãdo Angelus deſcendebat in piſcinã. Hiſtoria ſcholaſtica.

Cyrillus. Chryſoſt. Theophyl.

19 Cæterùm, illud hoc loco quæri poteſt, An mira illa virtus ſanandi, piſcinæ tribueretur ab Angelo. Affirmat id Theophylactus, & B. Thomas: nam turbatio aquæ accidebat piſcinæ ab Angelo: per illam autem turbationem exiſtebat virtus illa ſanandi: ergo & hæc ab Angelo proficiſcebatur, & tribuebatur piſcinæ. Addunt iſti, illam piſcinam, eò fuiſſe figuram noſtri baptiſmi, quòd vt illa vim ſanandi habebat non ex ſe, ſed ex inuiſibili operatione Angeli: ſic aqua baptiſmi non ex ſe vim habet eluendi peccata, ſed per inuiſibilem Spiritus ſancti operationem. Verùm, contra ſententiam hanc illud facere videtur, quòd Angeli nullum effectum

An illa virtus ſanandi ægrotos, indita eſſet piſcina ab Angelo.

Theophyl. S. Thomas.

ctum naturalem præſtare poſſunt immediatè:ſed per cauſas naturales inuicem applicatas : nulla eſt autem cauſa naturalis, quæ illi aquæ virtutem ſanandi quemlibet morbum tribuere potuerit. Tota igitur illa virtus ſanandi à DEO erat:ſed per Angelum, vt DEI adminiſtrum: & ſicut in ſcholis dicitur, cauſam inſtrumentalem diuinæ virtutis: atque hoc equidem cenſeo ſenſiſſe B. Thomam, cùm dixit, Angelum virtutem illam dediſſe piſcinæ:ad eum ſcilicet modum, quo dicere ſolemus ſacerdotem in Sacramento confeſſionis remittere peccata, & conferre gratiam Sacramentalem.

B. Thomas.

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis;

Et mouebatur aqua.

VERS. 4.

Cur illa virtus ſanandi nō inſit aquæ, niſi motæ, & turbatæ.

CVR DEVS admirabilem illum effectum ſanandi ægrotos, per aquam illius piſcinæ non quietam, ſed commotam, & agitatam, atque turbatam fieri voluerit, nonnullas, ſed coniecturales tamen, rationes afferre poſſumus. Prima ratio: vt ex illa tam inſigni, & notabili aquæ agitatione, tanquam ex manifeſto quodam indicio noteſceret Iudæis, quando Angelus deſcenderet in piſcinam, & vim ſanandi aquæ tribueret;ſimulque manifeſtum eſſet ægrotis, quando in piſcinam deſcendere eos oporteret. Secunda ratio: quò euidentius appareret, virtutem illam ſanandi neque caſu, & fortuitò illi aquæ contingere, neque ex illius aquæ, aut loci occulta quapiam naturali proprietate vel facultate prouenire: ſed extrinſecus omninò, & diuinitùs accedere. Tertia ratio: Vt hoc miraculum ad myſticam quoque intelligentiam referamus, illa commotio, & turbatio aquæ piſcinæ, prænuntia quodammodo fuit eius turbationis, quæ in paſſione CHRISTI accidit, cùm Dominus noſter, vt ipſe ſub perſona Dauidis prædixerat in Pſalmo ſexageſimo octauo, turbulentiſſimis atque ſæuiſſimis dolorum & cruciatuum procellis agitatus & conflictatus eſt: tunc corpus eius factum eſt quaſi piſcina ſanguinis; quo perfuſi ab 20

Turbationis illius aquæ myſtica interpretatio pertinens ad multiplicē turbationē factam in paſſione.

ab omnibus animi morbis lauaremur. Quanta verò, id temporis, facta ſit turbatio, narrat hiſtoria Euangelica: nempe facta eſt in ipſo CHRISTO, & in horto cùm Patrem oraret, & pendens in cruce: facta eſt in diſcipulis eius, deſerto magiſtro diffugientibus: facta eſt in eclypſi ſolis contra vſitatum naturæ ordinem; in tremore terræ, in ruptione lapidum, in diſciſſione veli templi, in patefactione monumentorum, in turbatione Iudæorum, qui reuertebantur percutientes pectora ſua. Et ipſa quidē prædicatio Euangelij per vniuerſum terrarum orbem quid aliud fuit, quàm commotio, & turbatio quædam omnium gentium? per quam tamen turbationem credentibus Euangelio perfecta tribuebatur animorum ſanitas. Denique, ipſum pœnitentiæ Sacramentum quid aliud eſt, quàm piſcina habens aquam turbatam? Neceſſum enim eſt, veros pœnitentes recordatione ſuorum ſcelerum ingenti pudore, doloreque affici, & metu diuinæ iuſtitiæ, intimis animi ſenſibus penitus conturbari. Audi Dauidis verè pœnitentis, lamentabiles voces, plenáſque turbationis, & timoris; *Sana, inquit, me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea; & anima mea turbata eſt valde:* Et alio loco; *Commouiſti terram, & conturbaſti eam: Sana contritiones eius; quia commota eſt.* Quæ verba aptè applicari poſſunt ad peccatorem pœnitentem; Homo enim, quia Adam poſt peccatum ſuum terra appellatus eſt à DEO, vocabulo, terræ, ſæpe in Sacris litteris appellari ſolet.

Sacramentum pœnitentiæ ſimile eſſe illi piſcinæ habēti aquam motā, & turbatam.

Pſal. 4.

Pſal. 59.

21 Quandiu porrò duraret illa motio & turbatio aquæ, incompertum eſt: fit tamen credibile, fuiſſe eam breuiſſimi temporis: ſiquidem ea vni tantùm ægrotorum, & ei, qui primus ante alios omnes deſcendebat in piſcinam, proderat: quo ſanato, ſuperuacanea profectò deinceps fuiſſet longior aquæ motio, & turbatio; quippe nulli iam profutura. Vnde verò ea commotio, & turbatio illi aquæ accideret, variè traditur. Auctor hiſtoriæ Scholaſticæ in capite octogeſimo primo ſuper hiſtoria Euangelica refert Traditionē quandā antiquam huiuſmodi; Fuiſſe in fundo illius piſcinæ lignum, quod poſteà inde extractum eſt, & ex eo Iudæi formauerunt crucem, in qua CHRISTVS crucifixus & mortuus eſt. Hoc itaque lignum, deſcendens de cœlo Angelus ex fundo piſcinæ extollebat, eóque agitabat & turbabat aquam. Alij eam turbatio-

Quandiu duraret illa motio aquæ piſcinæ.

Vnde accidebat illi aquæ turbatio eius.

Hiſtoria Scholaſtica.

Antiqua traditio.

nem referunt ad ſanguinem, & ſordes victimarum immolatarum in Templo, defluentes in illam aquam. At enim illa turbatio aquæ ſanantis ægrotos & rara erat, & nulla ex conſpicua cauſa; ſordium verò & ſanguinis victimarum defluxus erat frequens, & penè quotidianus. Propius igitur vero eſt, eam motionem & turbationem aquæ factam eſſe ab Angelo per motum localem, vel diuinitùs immiſſo aliquo vento: quemadmodum mare ventis agitari, turbaríque cernimus.

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 4. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ.

An ægri deſcenderent in piſcinam durante motione aquæ; an verò ſtatim vt ea motio finita erat.

22 ILLVD, *poſt motionem aquæ*, non ſignificat, (ceſſante iam, & finita motione aquæ.) Paulò enim ſuprà dictum eſt, ægrotos expectaſſe motum aquæ, vt deſcenderent in piſcinam: & paulò infrà ſcriptum eſt, Paralyticum dixiſſe CHRISTO; *Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Illud igitur, *poſt motionem aquæ*, idem planè ſignificat, atque ſi dictum eſſet, poſtquàm cœpta erat fieri motio, & turbatio aquæ.

Quomodo cæci cognoſcerẽt aquam moueri, ac turbari.

23 Cæterùm, quæri poſſet, quomodo qui erant cœci, poterant illam aquæ motionem cognoſcere. Poterant ſanè, vel ipſo tactu aquæ turbatæ; vel auditione ſonitus excitati propter motionem, & turbationem; vel aliorum monitu, quos ſibi ad id adiutores parauerant. An verò totum corpus ægroti deberet in aquam immergi; an vna tantùm pars aliqua corporis, non ſatis liquet; niſi quod ſit admodum credibile, debuiſſe ſaltem eam corporis partem, quæ ægra erat, in aquam immergi, ita vt cœci aqua illa perfunderent oculos; claudi crura lauarent; paralytici totũ id, quod paralyſis comprehenderat, in aquam immergerent.

An totũ corpus ægroti eſſet in aquam illam immergendum: an vna tantùm aliqua pars.

An aqua illius piſcinæ extra ipſam

24 Nec verò putet quiſpiam, cùm piſcina cõmota & turbata erat, ſi quis aquam inde acceptam ad ægrotos, qui extra piſcinam erãt,

detu

detuliſſet, fuiſſe eam illis profuturam. Si enim ita fuiſſet, non tam cupidè, ac ſollicitè expectaſſent ægroti motionem aquæ, vt deſcenderent in piſcinam. Et non ſemel in hac narratione ſcriptum eſt, deſcenſum ægrotorum in piſcinam fuiſſe neceſſariũ ad eorum ſanitatem comparandam. Et hoc apertè indicat illud, quod dixit Paralyticus, ſe hominem non habere, qui eum, cùm turbabatur aqua, mitteret in piſcinam. Sed cur hoc? quia virtus illa ſanandi non erat naturalis aquæ, nec in ea, extra illum locum, permanens: ſed eo dumtaxat tempore, quo agitabatur, & in eo ipſo loco, illa virtus aderat aquæ; fortaſſe ad eius loci commendationem. Solet enim DEVS vno potiùs in loco, quàm in alio miracula facere. Vel ob eam cauſam, quòd hac ratione laborioſior, & difficilior erat eius beneficij perceptio, plúſque ſtudij, & diligentiæ, ac curæ ab ægrotis requirebat, corúmque fidem, & ſpem, fiduciámque diuinæ opis vehementiùs acuebat. Denique, hoc etiam pertinebat ad commendationem vnitatis Eccleſiæ Catholicæ, cuius illa piſcina ceu figuram quandam præferebat, extra quam ipſa etiam ſacramenta, cæteroqui ſalutifera, nihil ea recipientibus proſint.

piſcinã ægrotis data prodeſſet illis.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. VERS. 4.

25 NON fuiſſe virtutem illam ſanandi naturalem, id eſt, neque ex vllius naturalis cauſæ potentia, neque ex hominum artificio aliquo profectam; ſed fuiſſe ſupernaturalis DEI potentiæ, inde conſtat, quòd illa virtus non niſi vnum ſanabat, nec niſi primum deſcendentium in piſcinam, & ſubitò ſanabat, & ſanabat omnem infirmitatem: hæc autem in virtutem vel naturalem, vel humanam nullo modo conueniunt. Plinius quidem in capite centeſimo tertio libri ſecundi Naturalis Hiſtoriæ plura cõmemorat aquarum miracula: ſed partim fabuloſa, partim naturalia opera, vt quæ ad cauſarum naturalium virtutes vel manifeſtas, vel occultas referri

Virtutẽ illam aquæ ſanandi non fuiſſe naturalem, vel humanæ artis, quatuor ex rebus euidenter oſtẽditur. Plinius.

ferri queant; cùm & determinatum, & certum, & vniformem vnum habeant effectum, eodémque ſemper fiat modo: ſed ea ob raritatem effectus, & ob propriarum cauſarum ignorationem vulgo exiſtimantur, & appellantur miracula.

26 Diximus paulò ſuprà, quoſdam putaſſe totam illam ſanandi virtutem datam piſcinæ ab Angelo fuiſſe: alios verò eſſe opinatos, eam virtutem proueniſſe à ligno in eam piſcinam demerſo, ex quo poſteà crux CHRISTI facta eſt. Addimus nunc id, quod refert Syluester in ſua Roſa aurea in feria ſexta primæ Dominicæ quadrageſimæ; traditum eſſe à nonnullis, eo in loco, ex tribus ſeminibus datis ipſi Seth filio Adæ ab Angelo cuſtode Paradiſi terreſtris, procreatam eſſe arborem, ex qua mira virtus illa ſanandi accidebat piſcinæ: ſed hoc, quia eſt planè apocryphum, nullam meretur fidem. Neque illud probabile eſt, proditum licèt à Theophylacto fuerit, ad commendationem legalium victimarum, quæ ibi lauabantur, virtutem illam collatam eſſe piſcinæ. Nam id conuenientius fuerat, ab initio fieri cùm data eſt lex Iudæis, quò maius & ſtudium, & religio animos eorum inceſſeret obſeruandi legalia; quàm in tempore CHRISTI, proximè iam eorum abrogatione futura; cùm ſcilicet auctoritas, & exiſtimatio eorum eleuanda potiùs, & minuenda eſſet, quàm augenda, & confirmanda. Conuenientius quoque fuiſſet, id miraculum eſſe factum cùm fabricatum eſt templum à Salomone, & in eo vno veri DEI cultus publicus eſt conſtitutus.

Traditio, quã refert Syluester, ſed apocrypha.

Theophylact.

27 Sed qualis erat mirabilis illa virtus aquæ? non erat ſanè qualitas aliqua inhærens in aqua, tanquam in ſubiecto: ſic enim fuiſſet materialis, & corporalis, & ad vnum tantummodò effectum, & ſecundum vnum operandi modum determinata; non ſecus videlicet quàm eſt ipſa aqua, & naturales eius qualitates, frigiditas & humiditas. Niſi velimus ſic fuiſſe illam virtutem in aqua, vt virtus ſacramentalis baptiſmi ponitur à Theologis in ipſa aqua baptiſmali: longè tamen probabilius eſt, DEVM immediatè miros effectus illos ſanandi operatum eſſe, cùm ab Angelo agitabatur aqua.

An illa virtus fuerit qualitas quædam inhærens in aqua, tãquam in ſubiecto.

28 Illud porrò admirationem habet, cur vnus duntaxat ægrotorum, & qui primus omnium deſcenderat in piſcinam, ſanaretur: Nimirum, voluit DEVS hoc ſuum beneficium ipſa raritate, &

Cur vnus tãtum, & primus deſcẽdẽtium in piſcinã ſanaretur.

conſe

conſequendi difficultate magis commendare, quò optabilius, & gratius homini accideret: ſimúlque vt liquidò cunctis noteſceret, illud opus non eſſe hominum, nec naturæ: ſed ſolius DEI, maximam tamen ab ægrotis cooperationem requirentis. Denique, ſecundum Cyrillum, talia fuerunt beneficia legalia ſolis tributa Iudæis: vni nempe tantùm populo inter alios innumeros terræ populos. Similiter tanto ſtudio, & contentione animi, atque corporis conari deberent Chriſtiani vitam æternam adipiſci, ac ſi vnus tantùm, & primus eò tendentium, ad eam peruenire poſſet: ideò enim dixit Dominus; *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiũt illud.* Et; *Contendite intrare per anguſtam portam, &c.* Et Paulus; *Omnes, quidem currunt: ſed vnus accipit brauium: Sic currite vt comprehendatis.*

Cyrillus. Alexand.

Matth. 11. 1. ad Cor. 9.

29 Primum verò miraculum illius piſcinæ innotuit Iudæis, vt ſuprà diximus, vel caſu aliquo, & fortuito, quopiam fortè ægroto, cùm mirè agitatam ſine manifeſta cauſa cerneret aquam, ſeipſum in ea lauare volente, & confeſtim perfectam ſanitatem accipiente: quo latè peruulgato, multis aliis experimentis eadem res confirmata eſt, & virtus illius piſcinæ cognita: vel id per reuelationem DEI alicui factam, & mox ipſo effectu comprobatam pernotuit: vel quia perturbatio illa aquæ inſolita erat, neque vlla eius in aperto eſſe cauſa cernebatur, fecit exiſtimare homines, diuinitùs id fieri, & magnum aliquid portendere; præſertim verò ægrotos, flagrantiſſima cupiditate ſanitatis, quidlibet tentandi, & experiendi cupidos.

Quemadmodũ primò innotuerit Iudæis virtus illius piſcinæ.

SEPTIMA DISPVTATIO.

De initio, & fine illius miraculi: & cur ea res tam inſignis, & memorabilis, à nullo, præter vnum Ioannem, ſcriptore prodita memoriæ fuerit.

30 QVo tempore primùm cœperit, aut deſierit mira virtus illius piſcinæ, in obſcuro eſt: fit tamen credibile, deſiiſſe poſt paſſionem Domini: quo ſcilicet tempore omnium legalium virtus extincta eſt: cœpiſſe autem vel ipſo tempore CHRISTI, vel paulò

De tempore, quo cœpit, & deſiit virtus illius piſcinæ.

lò ante ortum eius, non eſt à fide alienum; quò nimirum Iudæorum animi præpararentur ad concipiendam fidem, & amorem Chriſtiani baptiſmi: & per miraculum paralytici, mirabiliter eo in loco ſine illa piſcinæ virtute ſanati à CHRISTO, admirabilior eis, & venerabilior auctoritas, & potentia eius exiſteret.

Cur miraculum illius piſcinæ non ſit ſcriptum ab aliis Euangeliſtis.

Cæterùm, illud fortaſſe nonnullis mirandum accidet, cur hoc illius piſcinæ miraculum ab aliis Euangeliſtis non ſit commemoratum, cùm res memoratu eſſet digniſſima. Verùm illi non ſuſceperant, omnia, quæ ad CHRISTVM pertinebant, ſcriptis tradere: ſed omnes quidem principalia CHRISTI myſteria: de cæteris verò alij alia, nec omnes omnia. Voluit etiam DEVS, inſigniora quædam ab illis prætermitti, & à dilecto CHRISTI diſcipulo Ioanne ſuppleri, qui nouiſſimus omnium ſcripturus erat Euangelium. Enimuerò, alij tres Euangeliſtæ nec miraculum CHRISTI in nuptiis factum, nec illuminationis cœci nati, nec reſuſcitationis Lazari quatriduo mortui, nec Iudæorum, qui ad capiendum CHRISTVM venerant, vnico eius verbo in terram proſtratorum, ſcriptis ſuis prodiderunt. 31

Ioan. 2. Ioan 9. Infra 11. Infra 18.

Quomodo Ioſephus non fecerit mentionẽ iſtius miraculi.

Illud tamen maiorem habet admirationem, quomodo Ioſephus, eius tam inſignis miraculi, & quotquot annis fieri ſoliti, mentionem in libris ſuis fecerit nullam. Fuit enim Ioſephus æqualis propemodum Apoſtolorum: præſertim verò Beati Ioannis: & ſcripſit libros Antiquitatum Iudaicarum: in eis præcipuè referens quę inſigniora, & mirabiliora fuerant ab exordio eius gentis vſque ad ætatem ſuam: in quibus libris, ſimúlque in libris, quos fecit de bello Iudaico, ſubtiliter, copioſeque perſequitur quæ inſigniora erant, & memoratu digna & in ciuitate, & in Templo Hieroſolymitano. At enim, non omnia Ioſephus in libris, quos reliquit ſcriptos, perſecutus eſt: nam de celebri, & famoſo apud Iudæos trium Magorum aduentu, in ipſo CHRISTI ortus tempore; nec de infantium innocentium cæde, ab Herode immani crudelitate facta, cuius fama Romam vſque permanauit ad Cæſarem, mentionem fecit vllam. Et quia virtus illius piſcinæ, poſt paſſionem Domini deſierat, aliquot videlicet annis ante ortum Ioſephi, qui natus eſt Caligula imperáte Romæ: ideò nihil mirum eſt, rei iampridem exoletæ notitiam, ad Ioſephum non perueniſſe. Si enim 32

Matth. 2. Ibid.

tempore

tempore eius iſtud miraculum perduraſſet, haud dubiè mentionem eius feciſſet: quemadmodum ſimile quoddam miraculum Sabbatici fluminis non tacuit: ſed in capite vigeſimo quarto libri ſeptimi de bello Iudaico diligenter enarrauit: quamquam cui mirum videatur, id eſſe à Ioſepho prætermiſſum, quod ab aliis omnibus Euangeliſtis prætermiſſum eſt; cùm id tamen ad declarandam, & magnificandam CHRISTI potentiam, & gloriam valeret plurimùm? *Mirabilis hiſtoria Sabbatici fluminis apud Ioſephū.*

OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Erat ibi homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua, & dixit ei IESVS; Vis ſanus fieri? VERS. 5. & 6.

33 QVIDAM illud, *triginta octo annos*, iungunt cum illo, *Erat ibi quidam homo*, tanquam ſignificetur, eum hominem expectaſſe in illo loco per triginta octo annos, vt poſſet ante alios in piſcinam commotam ab Angelo deſcendere: ex quo palam fieret, miraculum illius piſcinæ, multis ante ortum CHRISTI annis cœpiſſe. Verùm, contextus verborum magis indicat, pertinere id ad tempus infirmitatis illius hominis. Atque huius Paralytici exemplo inſinuatur, nullum eſſe animi morbum tam inueteratum, & humana ratione incurabilem, quin à DEO ſanari queat, & ſoleat: nullum dico eſſe peccatum tam enorme, aut immane, aut longinquo vſu tam altè infixum animo, vt eius remiſſio non poſſit, & debeat à DEO expectari. Sed vt hoc verum eſt, ita veriſſimum & illud, magna peccata, magna pariter DEI miſericordia indigere: quam diuinæ miſericordiæ magnitudinem Dauid magni conſcius flagitij, quod admiſerat, ſupplex, & gemebundus illis verbis inuocabat, atque implorabat; *Miſerere mei*, DEVS, *ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Conſideret lector genus humanum per annorum plus quatuor millia plurimis morborum animi generibus ægrum, atq; moribun *Documētum.* *Pſal. 50.* *Myſteriū circa illum numerū triginta octo.*

ribundum iacuiſſe,quoad CHRISTVS ipſum per mortem ſuam ſanaturus aduenit. Duo illi numero triginta octo annorum deerant anni ad explendum quadrageſimum annum, qui numerus completus eſt, & ſummam malorum, &, vt loqui ſolet Scriptura, completam hominis malitiam, & perditionem inſinuat: qui duo anni ſi æquè adfuiſſent,incurabilis omninò fuiſſet eius morbus,& ſalus planè deſperata. Iſta verò duo, quæ deerant, equidem interpretor,nolle ſanari,& deſperare ſanitatem:vel morte corporis præueniri,& ad æternam DEI reprobationem pertinere.

Cur illũ præcipuè infirmũ ſanare voluerit Dominus, quatuor cauſæ.

Vis ſanus fieri? Illum præcipuè hominem infirmum ex tam mul- 34
tis,qui eodem in loco erāt infirmi, ſanare voluit Dominus:primò, quòd is eſſet infirmiſſimus, & miſerrimus: Deinde, quòd omni eſſet deſtitutus humano auxilio ad comparandam ſanitatem:tum, quò magis in eo ſanando miſericordia ſua pariter, atque potentia eluceret: adhæc, quò magis appareret perinſignis Sacerdotum, & Leuitarum inhumanitas, qui frequentes eo in loco, nullam illi miſero,in tanto tempore opem tuliſſent.

Cur Chriſtus interrogauit infirmum an vellet eſſe ſanus, plures redduntur cauſæ.

Sed cur eum interrogauit Dominus, an vellet ſanus fieri? cùm 35
& ipſe mentem, atque voluntatem eius optimè noſſet: & nulli dubium eſſe poſſet,eum, qui tandiu eo in loco, tanto cum labore, & moleſtia, vnius duntaxat recuperandæ ſanitatis cauſa, manſiſſet, non ſolùm velle, ſed flagrantiſſimè cupere, ſummiſque votis expetere ſanitatem. Interrogauit ſanè, vt eum ad ſpem erigeret conſequendæ ſanitatis: vt qui præſentes inibi aderant, eos ad expectationem miraculi excitaret: vt ſignificaret, ſe paratiſſimum eſſe ad eum ſanandum, nec aliud eſſe poſſe impedimento, aut moræ,quàm ſi ipſe non vellet fieri ſanus: vt oſtenderet,quàm certum infirmo erat,ſe id velle; tam certum, atque indubitatum haberet, id CHRISTVM velle facere, & mox præſtiturum ei: vt ex eius reſponſo eluceſceret miſerrimus illius hominis ſtatus, & in ea miſeria tanto tempore toleranda, mira patientia, & conſtantia,atque humilitas animi,pietaſque declararetur.

Illa Chriſti interrogatio velut vmbra fuit catechiſmi Chriſtiani.

Denique, huiuſmodi interrogatio CHRISTI fuit tanquam 36
exemplum quoddam, & formula interrogationum, quæ fiunt in Catechiſmo Chriſtiano. Nam velle ſanum fieri, duo continet, odium nempe infirmitatis, & deſiderium ſanitatis: ſimiliter in eo, qui

qui ad CHRISTVM conuertitur, præteritorum peccatorũ deteſtatio, atque odium, & bonæ vitæ ſemper in poſterum agendæ deſiderium, atque propoſitum, neceſſaria ſunt. Ad conſequendam igitur remiſſionem peccatorum, & DEI gratiam, nullius momenti eſt apud DEVM, nec in Eccleſia eius eſſe debet, hominis nobilitas, potentia, diuitiæ, ſapientia, ætas vel ſexus: ſed hoc vnum exigitur, hoc ſuper omnia æſtimari debet, ſi verè cupiat ille, & obnixè petat ſe ſanum fieri. Quamquam neque hoc ipſum velle fieri bonum, & iuſtum, à nobis ipſis habere poſſumus ſine ſpeciali auxilio DEI: DEVS *enim*, vt Paulus inquit, *operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et vt idem ait; *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis:* quantò igitur minus ex nobis, tanquam ex nobis, velle poſſumus bonum pertinens ad ſalutem, & vitam æternam: infirmior quippe voluntas hominis eſt ad bonum amandum, quàm intellectus ad id cognoſcendum. *Ad Philip. 2. 2. ad Cor. 3.*

37 Poſtremò, illa Domini interrogatio, *Vis ſanus fieri?* ſatis indicauit libertatem humanæ voluntatis, quæ neque à DEO, neque ab alia vlla cauſa ſiue naturali, ſiue humana vel ad malum, vel ad bonum cogitur, aut neceſſitate aliqua trahitur. Quod euidenter teſtatum eſt in capite decimo quinto libri Eccleſiaſtici; illis verbis; *Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi.* Et in capite quarto libri Geneſis; Dominus dixit Chain: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Eodem ſpectat illud Apoſtoli in capite 7. prioris Epiſtolæ ad Corinthios; *Qui ſtatuit in corde* DEO *firmus: non habens neceſſitatem: poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, ſeruare virginem ſuam, bene facit.* *Libertas humana voluntatis. Locus Eccleſiaſtici c. 15.*

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Domine, hominem non habeo. VERS. 7.

38 PERPENDAT, quæſo, Lector illius Paralytici bonitatem ingenij, & animi manſuetudinem: non inuidet, non indi- *Multiplex commẽdatio illius Paralytici.*

gnatur;non accuſat quemquam, non conuiciatur aliis, qui ipſum
præuenientes,ſanitatis fructũ ei præripiebant: ſed citra contume-
liam aliorum,miſeriam ſuæ conditionis ſimpliciter exponit.Simul
etiã apparet magna eius patientia:diu enim expectãs,& toties ex-
pectatione ſua fruſtratus, nihil agit, nihilq́; loquitur impatienter:
non ſe diris deuouet, nõ ſuum conceptũ,& ortum execratur, non
eſt querulus, nedum blaſphemus aduerſus DEVM: quæ virtus in
calamitoſis hominibus, & ingenti aliquo malo diu, multúmque
vexatis, eò admirabilior videri debet, quò rarior eſt. Extat quo-
que in iſto eius reſponſo mira longanimitas, & fiducia: non enim
pluribus annis fruſtrà expectata ſanitate, eius deſperabat conſe-
Ad Rom.4. cutionem: ſed quemadmodum de Abraham ſcripſit Paulus, *Con-
tra ſpem, in ſpem credidit.* Quid igitur mirum ſi huic vni ægroto de
vniuerſa illa ægrorum multitudine CHRISTVS Dominus largi-
ri voluerit ſanitatem?

Multiplex interpretatio myſtica illorũ verborũ, Hominẽ non habeo. Cæterùm, illud eius Paralytici reſponſum, *Hominem non habeo*, 39
ſecundum myſticam intelligentiam interpretatum, ad quemlibet
peccatorem ritè accommodari poteſt: nimirum omnis, qui iacet
in peccato, verè poteſt dicere, *Hominem non habeo:* quia omnis,qui
peccat, ignorans eſt: rationali parte animæ, propter quam eſt ho-
mo, vitioſo affectu obſcurata; quamobrem, peccans, exuit quo-
Pſal.31. dammodo hominem,& fit; *Sicut equus & mulus, in quibus non eſt in-
tellectus:* Et; *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt il-
Pſal.49. lis.* Vel, *Hominem non habeo*, id eſt, non habeo naturam humanam
ita rectam, & integram, vt eam DEVS ab initio creauit, & iuſti-
tia originali ornauit: ſed eam habeo peccatis vitiatam, deforma-
Ad Rom.7. tam, fœdatam, ac debilitatam. *Velle enim adiacet mihi: ſed perficere
non inuenio: ſentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi men-
tis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Vel, *Hominem non habeo*:
quia vſque ad CHRISTI Domini aduentum non erat data ho-
minibus poteſtas remittendi peccata: Quocirca, cùm CHRI-
Luca 5. STVS dixiſſet cuidam Paralytico; *Remittuntur tibi peccata tua*,cœ-
Matth.9. perunt, qui inibi aderant, eius dicti vel admiratione, vel indi-
gnatione cõmoti, muſſitantes dicere; *Quis poteſt remittere peccata,
niſi ſolus* DEVS? At mox viſo ſanati Paralytici tam euidẽti mira-
culo, glorificauerunt DEVM, *qui dedit poteſtatem talem hominibus.*
Vel,

40 Vel, *Hominem non habeo:* quia multi pereunt, propterea quòd non habent doctorem, à quo neceſſaria ipſis cognitu doceantur: vel paſtorem, à quo ſpiritualibus alimentis reficiantur: vel rectorem, cuius conſilio, & prudentia regantur, & ſi aberrauerint à bono, corrigantur, & ad rectam viam reducantur: vel medicum ſpiritualem, qui propulſandis animi morbis idonea, & efficacia præſtet remedia: vel tutorem, & defenſorem, cuius tutela, & præſidio aduerſus inuiſibilium hoſtium oppugnationes, aut Hæreticorum fraudes; & fallacias defendantur. Vel, *Hominem non habeo:* illum nempe hominem ſingularem, & vnicum hominem, ſimúlque DEVM, ob idque appellatum Emanuel; de quo Dauid dixit; *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos:* cuius alij homines, quicunque nominati ſunt in Sacris litteris ſaluatores, vt Ioſeph, Moyſes, Ioſue, Gedeon, Sampſon & Dauid, tanquàm vmbræ quædam, atque imagines fuerunt; nimirum hic homo ſolus verè potuit ſaluare; quia vt DEVS potuit perſoluere debitum, quod humanum genus debebat DEO; & vt homo, per paſſionem, & mortem ſuam perfectiſſimè ſatisfacere DEO potuit. Vel, *Hominem non habeo*, dicere potuit gentilitas ante CHRISTI aduentum: non enim habuit Moyſen, nec Prophetas; nec legem ſcriptam à DEO accepit, nec diuinam Scripturam, nec DEI promiſſiones, nec diuinas reuelationes, nec oracula & reſponſa DEI, nec miracula, ſicut habuit populus Iudaicus: iſta porrò ad percipiendam animi ſanitatem magna ſunt incitamenta, ſimulque adiumenta.

Pſal. 1.

DECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixit ei IESVS: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. VERS. 9.

41 CHRISTVS dicendo illi Paralytico, *Surge*, ſimul etiam perfectam dedit ſanitatem, robúrque ad ſeſe magna facilitate in pedes erigendum. Loquebatur enim CHRISTVS tanquam

poteſtatem habens, & ſermo eius operatorius, atque efficax erat cuiuſcunque rei, quam ipſe facere vellet: quo declarabat, ſe verum eſſe DEVM, qui ſolo verbo creauit vniuerſa: vt ſcriptum eſt;

Pſal. 148.

Dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt. Surgere à peccato, eſt deteſtari peccatum, & firmiſſimo animi propoſito deliberatum habere, nunquàm deinceps peccare velle.

Quid ſecundum myſticũ ſenſum ſignificet illud, Surge.

Surge, qui iacebas æger peccatis; & abiectus ad rerum terrenarum amorem, tanquàm humi reptabas: qui, vt brutum animal, prono animo, deiectóque ad infima mundi bona curuus ingrediebaris: tolle nunc vultum tuum ad ſublimia, & naturæ tuæ conuenientia, & propria bona. Sis rectus, vt ſpiritus carni, ſpiritui DEVS præſit. Suſpice cœlum, cuius & naturæ ſpectator natus es, & per DEI gratiam, habitator, atque poſſeſſor futurus es. Sic ille filius prodigus dixit;

Luca 15.

Surgam, & ibo ad Patrem meum.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Grabatum erat genus lectuli, 42
vel lecticæ, vbi languidi, & paralytici decumbebant, eóque deportabantur in illum locum.

Quid ſit grabatum.

Secundum lectionem Græcam ſcribi debet per duplex, *b*: quamobrem primum, *a*, producitur: Martialis tamen id corripuit in quodam verſu, cùm dixit; Sed ſi nec focus eſt, mundi nec ſponda grabati.

Martialis.

Propereà verò CHRISTVS iuſſit Paralyticum à ſe ſanatum tollere grabatum ſuum, quò manifeſtior eſſet perfecta illius ſanitas: neque enim Paralyticus, niſi membris omnibus perfectè ſanatis, totóque corpore firmiſſimè roborato, grabatum in humeros ſuos tollere, & portare potuiſſet.

Cur Chriſtus iuſſit Paralyticum ſanatũ tollere grabatum ſuum.

Ob eandem quoque cauſam in nuptiis vinum ex aqua factum iuſſit Architriclino guſtandum offerri; & diſcipulos multiplicatorum panum fragmenta colligere, ac ſeruare: & lepróſum à ſe ſanatum ſacerdotibus ſeſe oſtendere: atque ob eandem cauſam voluit in Sabbato iſtum Paralyticum curare, vt videntes eum Iudæi portare grabatum in Sabbato, quod ipſi putabant illicitum, cauſam ab eo requirentes, de patrato miraculo certiores fierent: non enim id fecit in contemptum legis, nempè venerat ipſe non deſtruere legem: ſed adimplere: ſed quò teſtatius, & illuſtrius faceret miraculum: niſi enim factum eſſet in die Sabbati, nemo aduertiſſet, nec miratus eſſet portari grabatum ab illo homine, nec cauſam eius rei interrogaſſet: ideóque plurimis ignotum fuiſſet miraculum.

Ioan. 2.

Infra 6. & alibi.

Matth. 8.

Matth. 5.

43 Sed age, verba iſta; *Tolle grabatum tuum, & ambula*, ſecundum myſticum ſenſum, quam reddant ſententiam, ſcrutemur, atque penſitemus. *Tolle grabatum tuum:* porta carnem tuam, quæ te priùs portabat, & ad ſua deſideria trahebat; porta, inquam, domando eam, & rectæ rationis imperio ſubiiciendo. Porta proximũ tuum; licèt tibi grauis, & moleſtus ſit: ſecundum illud Pauli; *Supportantes in charitate inuicem.* Et illud; *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem* CHRISTI. Porta peccata tua, quæ ſunt onus grauiſſimũ: ſicut Dauid dixit; *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Hoc igitur peccatorum onus porta ad Confeſſarium, qui diſſoluens colligationes iniquitatum, vt ait Scriptura, exonerabit te tam graui pondere. Porta peccata tua ſemper ante oculos tuos, quò frequentiùs & vehementiùs doleas, quò gratior DEO ſis, qui ea tibi remittit; quò ſis humilior, & in poſterum cautior. Sic Dauid; *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Porta huius mundi bona; quaſi onus quoddam: *Diuitiæ ſi affluant; noli cor apponere.* Noli eorum immoderato trahi amore, nec in illis toto animi ſtudio iacere. Porta patienter miſerias huius vitæ, & reliquias peccatorum tuorum; ſciens eas tibi relictas ad exercitationem humilitatis, & patientiæ, & maiorem pro culpis tuis ſatisfactionem, maiúſque meriti atque præmij cœleſtis incrementum.

Quid ſit ſecũdum myſticũ ſenſum tollere grabatum.

Ad Rom. 12.

Ad Galat. 6.

Pſal. 37.

Eſa. 58.

Pſal. 50.

Pſal. 61.

44 *Ambula.* Ne putes quia ſanatus es, & à peccatis liberatus, proptereà te otioſum, & deſidioſum eſſe poſſe; cùm ideò potiùs à DEO ſanatus ſis, vt in bonis operibus, Deóque accepti perpetuò verſeris. Non quia ſanatus es à peccatis, ideò putes te liberum, & immunem eſſe ab obſeruantia legis diuinæ, & humanæ: cùm ideò peccatis liberatus, & gratia DEI donatus ſis, vt, & diuinam, & humanam legem plenè, atque vt oportet, ſeruare queas: *Qui diligit me*, inquit Dominus, *ſermonem meum ſeruabit.* Ambula, ad anteriora te ſemper extendens; & quæ retrò ſunt obliuiſcens: ſicut illa myſtica Ezechielis animalia ibant, & non reuertebantur: Ambula, eundo de virtute in virtutem: Aut qui iuſtus es, iuſtificeris adhuc: Nec putes, dum in hac vita es, ad extremum te virtutum, & perfectionis perueniſſe profectum. Denique ſerua illud, quod Abrahæ dixit DEVS; *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Et quod

Quid ſit, Ambulare.

Ioan. 14.

Philip. 3.

Ezechielis 1.

Apoc. vlt.

Geneſis 17.

Dauid in Pſalmo primo ait; *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum.*

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ver. 16. 17. & 18. Propterea perſequebantur Iudæi IESVM; quia hæc faciebat in Sabbato. IESVS autem reſpondit eis: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolùm ſoluebat Sabbatum; ſed & patrem ſuum dicebat DEVM, æqualem ſe faciens DEO.

Calumniam Iudæorū aduerſus Chriſtū quòd violaret diē Sabbati, quinque modis ipſe cōfutauit.

CALVMNIAS Iudæorum propterea Dominum criminantium, quòd in Sabbato operaretur, aliàs ipſe CHRISTVS variis modis depulit, atque cōfutauit. Primùm quidem exemplo Dauidis, qui panes propoſitionis comedit, quibus veſci, niſi ſacerdotibus, fas non erat: Deinde, etiam ipſorum ſacerdotū exemplo, qui diebus Sabbati in purgando, & ornando templo, & præparandis ſacrificiis laborabant: tum ipſorum Iudæorum, qui iumenta ſua die Sabbati in foueam lapſa extrahebant, vel aquatum agebant: præterea, argumento Circumciſionis, quæ in Sabbato fiebat. Nunc autem diuina quadam ratione, Deique ipſius exemplo ſeſe defendit; ſimul etiam occupans, quod Iudæi ei poterant obiicere, ipſum eſſe contrarium DEO: quippè qui die ſeptimo ab omnibus ſuis operibus ceſſauit, atque ob eam cauſam diem ſeptimum ſanctificauit, & ab omni opere vacuum eſſe præcepit. Hanc igitur CHRISTVS præuertens obiectionem, ait, DEVM quidem ſeptimo die ceſſaſſe ab opere creationis mundi: eius námque molitio ſex diebus abſoluta, & conſummata eſt; non autem ceſſauit omninò ab operando: Non enim Moſes dixit, ipſum ceſſaſſe ab omni opere ſimpliciter; ſed ab opere, quod patrauerat, creando videlicet mundum: poſteà verò nunquam ab operando ceſſauit DEVS. 45

Geneſis 2.

Voluit

46 Voluit ſanè CHRISTVS Iudæos docere veram intelligentiam illius præcepti DEI de obſeruãdo Sabbato. Nã etſi vetitum erat ſecundum legem Moſis, eo die portare onera, aut quodcunque ſeruile opus facere: vt patet ex vigeſimo capite Exodi, & Hieremiæ decimo ſeptimo, id tamen intelligendum erat, cùm id fieret in ſeruitium hominum, & in vſus temporalis vitæ: nõ tamen cùm id poſceret ſalus animæ, vel neceſſitas proximi, & gloria DEI. Præcipua verò Sabbati obſeruatio, ad quam nempe omnis illa vacatio ſeruilium operum referebatur, in eo potiſſimùm erat, vt populus aliis curis, & laboribus ſolutus, DEI cultui & venerationi, & laudationi vacaret, & ab omni peccato, quod eſt opus maximè ſeruile, integrum ſe, purúmque ſeruaret. Atque hæc ſpiritualis obſeruatio Sabbati appellatur ab Iſaia Sabbatum delicatum; *Si auerteris*, inquit, *ab iniquitate pedem tuum, &c. vocans Sabbatum delicatum.*

Vera intelligentia diuini præcepti de obſeruando Sabbato.

Locus Iſaiæ cap. 58.

47 *Pater meus vſque modò operatur.* Eſt duplex perpetua, & inceſſabilis DEI operatio: vna quidem generalis, & ordinaria: & hæc quidem quadruplex eſt. Rerum omnium conſeruatio, earundem gubernatio, & propagatio, & generalis concurſus DEI cum cauſis ſecundis ad omnem earum operationem. Altera eſt operatio particularis circa hominem, creando animas rationales in rerum generatione, illuminando hominem, & iuſtificando, & glorificando. Eſt alia operatio DEI, ſed extraordinaria, & præter vſitatum rerum ordinem, & ſupra omnem naturæ creatæ poteſtatem: & hæc eſt miraculorum effectio. Hinc palàm eſt, quàm verè dictum Iudæis fuerit à Domino: *Pater meus vſque modò operatur.*

Quotuplex ſit operatio Dei perpetua, & vſque ad finẽ mundi duratura.

48 *Et ego operor:* Hoc ſatis indicat, ipſum eſſe verum DEI filium, æqualémque Patri, cùm ſe dicat æquè, atque Patrem quolibet tempore operari: ſimúlque cùm ait; *Pater meus:* & non, Pater noſter. Hæc autem verba dictum habent ſenſum, vel hunc; Pater operatur omni tempore, ergo operans etiam ego omni tempore, non ſum vt contrarius DEO reprehendendus: vel hunc ſenſum; Pater meus & omnia, & omni tempore operatur; & ego ſimul, pariterque cum ipſo omnia, & omni tempore operor.

49 *Propterea ergo Iudæi quærebant eum interficere: quia patrem ſuum dicebat* DEVM, *æqualem ſe faciens* DEO. Quomodò Iudæi ex proximè commemoratis Domini verbis intellexerunt, ipſum facere

cere

cere DEVM, patrem ſuum; & ſe æqualem DEO? nempe, quia vocauerat DEVM patrem ſuum proprium; quia dixerat, ſe ſimiliter quolibet tempore operari vt ipſum DEVM, quia dixerat ſe operari ſimpliciter, id autem eſt, omnia, ſicut pater operatur. Et ſanè, hoc Iudæi rectè intellexerunt: ſi enim in hoc erraſſent, aut ipſe CHRISTVS errorem eorum correxiſſet, aut Euangeliſta ipſe indicaſſet falſam eorum fuiſſe intelligentiam verborum CHRISTI: quemadmodum ſuprà, cùm Dominus dixit Iudæis; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Et alibi cùm monuit diſcipulos, vt cauerent ſibi à fermento Phariſæorum, continuò Euangeliſtæ reiecerunt falſam eorum verborum intelligentiam, & veram indicarunt. Et verò, ſi falſa fuiſſet illa Iudæorum exiſtimatio, debuit hoc Ioannes indicare, ne CHRISTVS putaretur affectaſſe diuinitatis honorem ſibi nequaquam conuenientem: præſertim verò cùm id verba CHRISTI præ ſe ferre viderentur. Oportebat igitur eam verborum CHRISTI intelligentiam, quam Iudæi habebant, emendare: ne poſteri hæc legentes in eundem impingerent errorem: rati DEVM eſſe, qui DEVS non erat. Intelligentiores igitur fuêre Iudæi iſtorum CHRISTI verborum, quàm Arriani negantes CHRISTI diuinitatem: illi enim veram eorum CHRISTI verborum ſententiam animo ſuo conceperunt, rati, verbis illis ſignificari CHRISTVM eſſe verum DEI Filium, Deóque patri æqualem: hi verò verba illa ad falſas, & impias interpretationes detorquebant: ne CHRISTVM eſſe verum DEVM fateri cogerentur. Sed in eo Iudæi errabant, quòd dicebant, CHRISTVM facere ſe æqualem DEO. Lucifer quidem voluit ſe facere æqualem DEO: at CHRISTVS ſemper in forma DEI fuit, & ab æterno DEVS ex DEO genitus; non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO, vt ait Paulus. Nempe factitius DEVS, & recens eſt, & vero DEO ſecundum ſubſtantiam alienus: talem autem pro DEO coli vetuit DEVS per Moyſen, cùm dixit; *Non erit in te DEVS recens, neque adorabis DEVM alienum.*

Ioan. 2.

In Arrianos.

Factitius Deus eſt falſus Deus, quia & recens eſt, & Deo extraneus.

Ad Phil. c. 2.

Deuter. 32.

DVODE

DVODECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Amen, amen dico vobis, non poteſt Filius à ſe facere quidquam: niſi quod viderit Patrem facientem; quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Ver. 19.

50 IN eo ſermone CHRISTI cum Iudæis, qui deinceps narratur à Ioanne, quædam ponuntur ſublimia, & diuina: quibus apertè diuinitas CHRISTI oſtenditur. Alia item dicuntur humilia, & abiecta: quibus demonſtratur natura humana ab ipſo aſſumpta, qua minor eſt Patre, & ſimilis noſtri. Hac porrò varietate CHRISTVS ſermonem ſuum temperauit, vt rudes Iudæi audientes ſublimia de ipſo nequaquam ſcandalizarentur, ipſúmque continuò auerſarentur; ſed per humilia, & abiecta, quæ de ſe dicebat, mitigarentur. At verò fideles, & intelligentes rerum æſtimatores, audiendo ſublimia, ipſum eſſe DEI filium, & DEO Patri æqualem, & coæternum; ab ipſo tamen omnia habentem, cognoſcerent, ipſúmque nihilominus aſſumpta natura humana factum eſſe hominem, & ad humanæ mortalitatis, & humilitatis, & miſeriæ participationem deſcendiſſe intelligerent.

51 Illud præterea, ne quis fallatur, aduertere oportet, etiam cùm de ſua diuinitate Dominus in hac cum Iudæis ſermocinatione loquitur, quoſdam loquendi modos vſurpare, qui in rebus creatis, & humanis cùm dicuntur, imperfectionem, & defectum ſignificant: huiuſmodi ſunt illa; *Non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: Sicut docet me pater: Omnia demonſtrat ei pater, & maiora his demonſtrabit: non poſſum à me facere quidquam: ſicut audio, & iudico.* Hæc enim omnia in CHRISTO accipienda ſunt, remota omni imperfectione, ac defectu; quatenùs videlicet ſignificant, CHRISTVM eſſe filium DEI, ob idq; & ſubſtantiam, & omnia bona habere à DEO Patre. *Notabile documentum.*

52 Illud, *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam*, triplicem habet in-

 terpre

Quid ſit filiũ nihil à ſeipſo facere triplex interpretatio. terpretationem. Primò quidem, vt id referatur ad eius humanitatem: & ſic planiſſimus eſt eorum verborum ſenſus: ſed non multùm congruens ſententiæ verborum, & contextui ſermocinationis CHRISTI: deinde, vt referatur ad diuinitatem CHRISTI, & ſignificetur origo Filij à Patre; à quo ſicut ſubſtantia, ita & omnis potentia Filij procedit. Hac certè ratione hæc verba interpre- *Hilarius. Auguſtinus.* tati ſunt Hilarius, & Auguſtinus: quæ tamen interpretatio non videtur admodùm cohærens, & conueniens ei, quod proximè adiungitur; *Niſi quod viderit Patrem facientem.* Ad hæc, ſecundum *Chryſoſt.* Chryſoſtomum, CHRISTVM nihil à ſe facere, ſignificat, nihil ipſum facere proprium, & quod Pater etiam non faciat; ſed quidquid facit, id ipſum & placitum eſſe Patri, & ab ipſo quoque fieri: ex quo ſequitur, nullum eius opus potuiſſe reprehendi à Iudæis, cùm fuerit etiam opus DEI Patris: & indidem quoque concluditur, ipſum eiuſdem omninò eſſe voluntatis, & potentiæ, ac ſubſtantiæ, atque eſt ipſe DEVS Pater. Nam quia omnis creatura diuerſam à DEO ſubſtantiam, & voluntatem habet, proptereà poteſt facere aliquid ex ſe, quod non faciat DEVS, qua tale eſt: vt deficere à rectitudine, & peccare: Sicut enim habet diuerſam naturam, ſic & diuerſam voluntatem.

Iam verò illud, quod ſequitur; *Niſi quod viderit Patrem facien-* 53
tem, explanatio eſt eius, quod proximè anteceſſit; *Non poteſt à ſe facere quidquam:* & illud, *Niſi*, poſitum eſt pro, (ſed tantùm,) vt ſit hæc ſententia: Filius non facit quidquam proprium, quod non etiam faciat Pater: ſed tantùm ea facit, quæ videt Patrem facere: vnde manifeſtum fit eandem vtriuſque naturam, potentiam, ſcientiam, voluntatem, atque operationem eſſe. Illud porrò, *quod viderit Patrem facientem*, denotat, Filium potentiam faciendi, quæ facit, habere à Patre; nec habere eam caſu, nec modo agentium naturalium: quæ ſine cognitione ex neceſſitate naturæ agunt: ſed habere eam per intellectum, per quem ſcilicet genitus ipſe eſt à Patre, à quo habet, vt eſſe: ſic ſcientiam, & viſionem omnium rerum. Non igitur ſignificatur iſtis verbis, Filium, quotieſcunque facturus aliquid eſt, reſpicere ad opus, quod tunc facit Pater, tanquam ad exemplum: ad cuius ſimilitudinem & ipſe opus ſuum faciat: Sic enim neceſſum eſſet, Patrem feciſſe alium mundum, ad cuius ſimili-

litu

litudinem CHRISTVS hunc mundum fecerit: & cùm CHRISTVS multa fecerit miracula, viuificando mortuos, illuminando cœcos, ſanando omnis generis infirmos; neceſſum fuiſſet, Patrem horum ſimilia: ſed alia tamen, & eodem tempore feciſſe: quod perſpicuè abſurdum eſt.

54 Illis autem, quæ proximè ſequuntur, verbis, *Quæcunque enim pater fecerit, ſimiliter filius facit*, ſignificatur, non modò, quæcunque facit Filius, ea quoque fieri à Patre: vnde liquet, nihil Filium facere diuerſum, nedum contrarium Patri: ſed illud etiam indicatur, quæcunque facit pater, eadem omnia facere Filium; vt intelligatur, eadem eſſe in vtroque potentia rerum effectrix. Illud denique, *ſimiliter*, non tantùm ſignificat, (quoque:) vel, (etiam:) ſed idem quod, (eodem modo:) id autem eſt, pari, eadémque potentia, ſcientia, voluntate, operatione. Dicuntur autem Pater, & Filius eodem modo operari, non ad ſe inuicem conſiderati; Pater enim à ſeipſo potentiam habet operandi: Filius autem eam accepit à Patre: ſed reſpectu ipſorum operum, quæ fiunt extra ab vtroque: quoniam eadem ratione ad ea facienda concurrunt. Nec verò Pater, & Filius ad facienda opera concurrunt vt cauſæ inuicem ſubordinatæ: quemadmodum ſolet homo generans hominem: neque vt cauſæ partiales, ſicut multi fabricantes domum: neque vt cauſa principalis, & cauſa inſtrumentalis, ſicut faber lignarius, & ſecuris, ac malleus ad faciendam menſam, vel arcam: neque vt cauſæ diuerſi generis: quemadmodum ad effectus naturales concurrunt quatuor cauſæ; materia, forma, finis, efficiens: ſed vt vna, eadémque cauſa, vnicúmque principium, vna, eadémque potentia, & ſcientia, & voluntate, eadémque actione omnia faciens, conſeruans, & gubernans. Sicut igitur ex operum æqualitate demonſtratur æqualitas potentiæ operantium: ita ex identitate modi operandi rectè concluditur identitas naturæ, potentiæ, ac voluntatis operantium.

Quid ſit ea, quæ Pater facit, ſimiliter facere Filiũ.

Quomodo Pater, & Filius ſimul concurrunt ad operandum.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 20. & 21. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit; & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & Filius, quos vult, viuificat.

HIs verbis cauſa redditur ſuperioris ſententiæ: Cur 55
Filius omnia faciat, quæ Pater facit, & quæ videt Patrem facere; quia ſcilicet Pater ſummè diligit Filium, ob idque omnia ſua ei demonſtrat: nihil eſſe volens ignotum ipſi: nam hoc etiam apud homines inter Patres & Filios ſeruari cernimus, atque eò magis, quò maior eſt Patris amor erga Filium. Cæterùm, illud expoſitionem requirit, quomodo Pater omnia demonſtret Filio. Non enim vt magiſter diſcipulo, quaſi ea vel ignoranti, vel non recordanti: id enim maximam habet imperfectionem. B. Auguſtinus refert hoc ad æternam generationem Filij ex Patre: per quam Filius vt naturam à Patre: ſic & notitiam, & viſionem accepit omnium tam præteritorum, & præſentium, quàm futurorum. Auguſtino ſimiliter ſentit Cyrillus, ita ſcribens: Pater demonſtrat Filio quæ facit, totum ſeipſum in natura Filij quaſi depingens, vt quæcunque in ſe habet ipſe, in Filio ea demonſtret. Nec illud, *Pater enim diligit Filium*, poſitum eſt tanquam cauſa huius, quod eſt, Patrem demonſtrare omnia Filio: nam ſicut paterna dilectio Filij non eſt principium generationis eius: non enim Filius generatur per voluntatem, & amorem Patris: ſed per intellectum: ita non eſt cauſa demonſtrandi omnia Filio: nam ſic demonſtrare, eſt generare: ſed ponitur, ſecundum interpretationem B. Thomæ, tanquam ſignum, quo à poſteriori cognoſcitur, Patrem omnia demonſtrare Filio.

Quomodo Pater dicatur demonſtrare omnia Filio.

Auguſtinus.

Cyrillus.

B. Thomas.

Quemadmodum verò huic interpretationi congruat, quod 56
proximè adiungitur, *Et maiora his demonſtrabit ei opera*, ſubobſcuram habet ſententiam: Si enim demonſtrare Patrem omnia Filio, non

non eſt aliud ſecundum Auguſtinum, & Cyrillum, quàm ipſum ab æterno generare; æternitas autem Dei eſt omninò inuariabilis, & tota ſimul: ſimiliter etiam demonſtratio omnium, quam Pater facit Filio, eſt æterna: ob idque tota ſciens, nec varietatem habens præteriti, præſentis, & futuri: quomodò igitur dicitur Pater demonſtrare Filio, & in futurum demonſtraturus? Sed enim hoc quatuor modis explicari poteſt. Primò ſic: licèt æternitas Dei tota ſimul ſit, quò tamen nobis innoteſcat: quoniam ipſa complectitur omne tempus, interminabilis, atque inuariabilis eius duratio, per differentias temporis præteriti, præſentis, & futuri, nobis notas, deſignari, & declarari ſolet. Sicut igitur verè dicitur Pater & generaſſe, & generare, & generaturus Filium: quia per hoc non aliud ſignificatur, quàm Filium ſemper habere eſſe à Patre: ita verè dicitur Pater omnia & demonſtraſſe, & demonſtrare, & demonſtraturus eſſe Filio: quia per hoc indicatur, Filium ſemper habere à Patre ſcientiam omnium, ſiue præterita, ſiue præſentia, ſiue futura ſint.

Quomodo Pater dicatur demonſtraturus maiora filio, quadruplex interpretatio.

57 Deinde, hoc ipſum ita Ianſennius declarat: Patrem demonſtrare omnia Filio, non aliud ſignificat, quàm Patrem omnia facere, cognoſcente ea Filio: per cognitionem eius nempè à Patre acceptam. Ac licèt Pater omnia cognoſcat, quæ Filius facit: quia tamen cognitionem eorum non habet à Filio: ſed à ſeipſo; idcircò non rectè diceretur Filius omnia, quæ facit, demonſtrare Patri. Ad hæc, ſic etiam hoc poſſet intelligi: ſicut verbum, (oſtendere:) ita & verbum, (demonſtrare,) non ſemper in Sacris litteris ſignificat indicare, vel declarare: ſed complurіes ponitur pro eo, quod eſt dare, vel exhibere; vt in Pſalmo 4. *Quis oſtendet nobis bona?* & alio in Pſalmo; *Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam:* Quid autem ſit oſtendere miſericordiam, declarat, proximè adiungens; *Et ſalutare tuum da nobis.* Clariſſimè verò apud Paulum in quarto capite poſterioris Epiſtolæ ad Timothæum, cùm ait; *Alexander ærarius multa mala oſtendit mihi.* Ergo ſenſus erit: Omnia, quæ Pater facit, & facturus eſt, dat, & dabit Filio, vt ea ſimiliter ipſe faciat. Dat, inquam, & dabit: quia potentia faciendi, quæ eſt in Filio, ſemper eſt à Patre. Poſtremò, hoc ipſum B. Thomas hunc in modum explicat: Patrem demonſtrare Filio omnia, quæ facit, ſigni-

Ianſennius.

Verborũ (oſtẽdere) quid ſæpe in Sacris litteris ſignificet.

Pſal. 84.

B. Thomas.

ficat hoc loco, DEVM manifeſtare aliis, ſe omnia, quæ fecit, & facit, & facturus eſt, per Filium feciſſe, facere, & facturum eſſe: & licèt oſtenderit, multa ſe priùs feciſſe magna, & mira per Filium: deinceps tamen demonſtraturus erat maiora, quæ per Filium facturus erat. Sed quænam erant illa maiora, quæ Pater demonſtraturus erat Filio, & per ipſum facturus? Tria nimirū, quæ CHRISTVS ipſe in conſequenti ſermone ſuo mox declarat: quorum vnum fuit particularis reſurrectio aliquot mortuorum: præſertim verò reſuſcitatio Lazari: quod miraculum ſuper omnia commouit Iudæos: alios quidem ad potentiæ eius admirationem, & venerationem, & ad eius doctrinæ approbationem, & fidem: alios verò ad inuidiam, & odium, necémque quoquomodo ei machinandam. Alterum erit in fine mundi generale iudicium omnium hominum, quod ipſe facturus eſt, & redditurus vnicuique ſecundum opera eius, vel æterna ſupplicia, vel gloriam ſempiternam. Tertium erit quoque in conſummatione ſæculi: generalis nimirum reſurrectio omnium mortuorum; aliorum quidem ad gloriam cœleſtem: aliorum verò ad æternam damnationē, & pœnam.

Obſeruādum Cyrilli documētum ſuper voce, ſicut.

58 Super extremis verò diſputationis huius verbis illis, *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult, viuificat:* doctè Cyrillus adnotauit, vocem illam, *ſicut*, aliam vim, & ſignificationem habere, cùm ea vox ponitur in perſonis diuinis inuicem relatis; & aliam, cùm ponitur in creaturis vel inter ſe, vel cum DEO comparatis. Cùm enim ponitur in creaturis inter ſe comparatis, aliquando æqualitatem denotat: vt ſi dicatur; Sicut Petrus eſt animal rationale: ita & Paulus: interdum verò ſignificat ſolam ſimilitudinis cuiuſdam participationem: vt ſi dicamus, argentum reſplendere ſicut lucem ſolis. Atque hac poſteriori ratione vox, *ſicut*, ſemper ſumitur, cùm dicitur in creaturis reſpectu DEI: vt cùm Dominus dixit; *Eſtote perfecti: ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et alibi, *Vt diligatis inuicem: ſicut ego dilexi vos.* Et alio loco, *Et ipſi vnum ſint: ſicut & nos vnum ſumus.* At verò cùm hæc vox, *ſicut*, ponitur in diuinis perſonis, perfectam earum inter ſe denotat æqualitatem: vt hoc loco dicitur, Sicut Pater ſuſcitat, & viuificat mortuos: ita Filium viuificare quoſcunque vult. Et paulò infrà dicitur; *Vt omnes honorificent Filium: ſicut honorificant Patrem.*

Matth. 5. Ioan. 15. Ioan. 17.

Illud

59 Illud prætereà ſciendum eſt, diuinam Scripturam, quaſi proprium quid DEI, prædicare, quòd ipſe ſuſcitat, & viuificat mortuos: vt in trigeſimo ſecundo capite Deuteronomij, & in 2. capite primi libri Regum; *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos & reducit.* Et in Pſal. 67. DEVS *noſter* DEVS *ſalutes faciendi: & Domini exitus mortis.* Et in alio Pſalmo; *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Et Paulus ad Romanos 4. *Qui viuificat mortuos.* Qua etiam de cauſa in primo capite libri Apocalypſis, dicitur habere claues mortis, & inferni. Illud autem, *Quos vult, viuificat*, indicat, non modò Filium omnia facere, quæcunque facit Pater: ſed facere ea omnia ſua voluntate, electione & arbitrio; non autem ſeruili obſequio, tanquam ſeruum, & miniſtrum, ab eo iuſſum, & coactum: Et hæc poteſtas CHRISTI viuificandi mortuos, eſt vnum ex illis tribus, quæ maiora prioribus demonſtraturus erat Pater Filio, & per ipſum facturus. *Propriũ Dei eſſe, viuificare mortuos.*

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Neque enim Pater iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit Filio. VER. 22.

60 DECLARATVR his verbis ſecundum opus ex tribus illis maioribus, quæ Pater demonſtraturus erat Filio: id autem eſt, generale iudicium omnium hominum: ſimúlque id valet ad probandum, quod proximè anteceſſit. Neque enim mirum videri debet, dediſſe Patrem Filio poteſtatem ſuſcitandi, & viuificandi mortuos: cùm ei dederit abſolutam poteſtatem iudiciariam in omnes homines: quam poteſtatem diuina Scriptura vt propriam DEI agnoſcit, & prædicat: vt in Pſalmo 81. *Exurge* DEVS, *& iudica terram.* Et in Pſalmo 74. DEVS *iudex eſt: hunc humiliat, & hunc exaltat.* *Quãdo Pater dederit Filio iudiciariam poteſtatem.*

61 Sed quando Pater hanc poteſtatem iudicariam dedit Filio? Secundum Chryſoſtomum, & Hilarium, & Theophylactum, dedit Filio *Chryſoſt. Hilarius. Theophylact.*

Filio eam poteſtatem, quando eum genuit: id autem eſt, ab æterno. Sed hoc rectè Auguſtinus refellit in primo libro de Trinitate: talem enim poteſtatem, quæ eſt, & vocatur poteſtas iudiciaria principalis auctoritatis, ita Filio dedit ab æterno Pater, vt eam tamen ipſe nihilominus habeat: ſicut ei dedit naturam deitatis, & ſcientiam, & potentiam omnium. At in hoc loco dicitur, Patrem non iudicare quemquam: ſed Filium tantùm. Rectiùs igitur ſecundum Auguſtinum, & Cyrillum intelligitur, poteſtatem iudicandi datam eſſe Filio ea ratione: vt homo eſt: Quò ſcilicet omnium hominum iudex viſibilis eſſet omnibus tam bonis, quàm reprobis, viſibile iudicium exercens, ſenſibilémque ſententiam proferens. De eo namque iudicio loquitur in hoc loco Ioannes: quod in conſummatione ſæculi erga omnes homines exerceri debet. Pater igitur non iudicat quemquam: videlicet vt iudex viſibilis omnibus, & per iudicium ſenſibile: alioqui Pater omnes iudicat iudicio inuiſibili: auctoritas enim primaria iudicandi continens ſcientiam omnium iudicandorum, & ſententiam iudicis decernentis præmia, vel ſupplicia, principaliter eſt ipſius DEI: executor tamen eius iudicij ſub forma viſibili erit CHRISTVS: vt homo eſt.

Auguſtinus. *Auguſtinus. Cyrillus.* *Quomodo dicatur Pater non iudicare quemquam.*

Quid ſit, omne iudicium.

In illis autem verbis; *Omne iudicium dedit Filio:* illud, *omne iudicium*, referri poteſt ad ipſum iudicium: quod eſt duplex; alterum, particulare cuiuſq; hominis: quod fit poſt mortem vniuſcuiuſque: alterum verò, generale cunctorum hominum: quod fiet in conſummatione ſæculi. CHRISTVS itaque omne iudicium facit: & nunc particulare cuiuſlibet hominis poſt mortem eius: & generale omnium hominum in fine ſæculi. Poteſt etiam, (& hoc videtur probabilius) illud, *omne iudicium*, referri ad eos, qui iudicandi ſunt: vt ſignificetur, omnes homines ſine vlla exceptione ſubiectum iri iudicio ipſius CHRISTI: *Omnes enim nos*, inquit Apoſtolus, *manifeſtari oportet ante tribunal* CHRISTI. 62

2. ad Cor. 5.

Quomodo Chriſtus dicatur iudicare omnes, & non iudicare quemquam, triplex interpretatio.

At enim, huic ſententiæ videtur eſſe contrarium, quòd infrà in capite octauo huius Euangelij ſcripſit Ioannes dixiſſe CHRISTVM Iudæis; *Ego non iudico quemquam:* nam iudicare omnes, & non iudicare quemquam, contraria inter ſe videntur eſſe: Sed non eſſe hæc contraria inter ſe, tribus modis declarari poteſt. Primò, vt 63

vt dicatur CHRISTVS non iudicare quemquam: quia in priori ſuo aduentu nõ venit ad iudicandũ, vt neque ad condemnandum homines: ſed ad ſaluandum eos: ſicut dictum eſt ſuprà in capite tertio, Filium hominis veniſſe in mundum, non vt iudicet mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Deinde, CHRISTVS dixit, ſe non iudicare quemquam; nempe ſecundum faciem, & ſecundum carnem; ſicut ipſe exprobrauerat Iudæis, quibus proximè antè dixerat; *Vos ſecundum carnem iudicatis.* Ad hæc, dicens CHRISTVS ſe non iudicare quemquam, ſignificauit ſe non iudicare ſolum; ſed ſimul etiam ſecum iudicare Patrem. Nam mox ſubdit; *quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit me, Pater: & in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt.*

64 Quod verò ſequitur, *Vt omnes honorificent Filium: ſicut honorificant Patrem*: dictum eſt, ſecundum Cyrillum propter ſuperiora, quæ dicta ſunt de æqualitate Patris, & Filij in faciendis omnibus: ſecundum autem Theophylactum, hoc dictum eſt propter proximè dictam iudicandi poteſtatem omnem, quam Pater dedit Filio. Et verò, vtroque nomine debetur CHRISTO honor diuinus, & æqualis Patri. Huiuſmodi enim æqualitatem denotat illa particula, *ſicut*: vt monet hoc loco Cyrillus: & nos de ea particula ſuprà docuimus. Et quia DEVS dixit, *gloriam meam alteri non dabo.* Et Dominus ipſe dixit Diabolo ipſum tentanti; *Dominum* DEVM *tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* In hoc autem loco dicitur Filius æquè honorandus eſſe, atque ipſe Pater. Hinc liquidò intelligitur, Filium æquè DEVM eſſe; vt eſt ipſe Pater, eíque conſubſtanlem, atque per omnia æqualem. Nec tantùm vult Pater Filium ſuum non dehonorari: ſed vult etiam ipſum honorari: non honorati Filij, quaſi ſuam æſtimans iniuriam. Hoc enim ſonat illud; *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* Duplex porrò tangitur his verbis ratio, cur ſit honorandus CHRISTVS. Altera, quia Filius DEI eſt: altera, quia DEVS, mandata eius deferens ad homines. Nimirum; moris etiam apud homines eſt, tam Filium regis, quàm primarium, & ſummum regis legatum præcipuo quodam, & ſingulari, eximióque honore proſequi.

Cyrillus.

Theophyl.

Si Chriſtus honorãdus eſt ab omnibus, ſicut honoratur Deus Pater: ergo Chriſtus eſt Deus, ſicut Pater eſt Deus.

Eſa.42.

Matth.4.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER.24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit,
& 25. & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in
iudicium non venit: ſed tranſiit à morte ad vitam.
Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc
eſt, quando mortui audient vocem Filij DEI: & qui
audierint, viuent.

DECLARAT Dominus his verbis id, quod ſuprà dixerat, datam ſibi eſſe poteſtatem viuificandi quoſcunque vellet. Loquitur autem de viuificatione animæ, ſcilicet quæ continet peccatorum remiſſionem, & diuinæ gratiæ, cœleſtiúmque donorum donationem. Illud, *qui credit ei, qui miſit me,* denotat duo præcipua Chriſtianæ fidei myſteria: Trinitatis videlicet & incarnationis. Dicitur autem credens DEO habere vitam æternam, non abſolutè: ſed inchoatè: vel non poſſeſſione: ſed ipſo iure, & ſpe poſſidendi eam: vel non in fructu: ſed in ſemine. Notanda porrò ſunt illa duo verba, *Venit & tranſijt:* nam pro, *Venit*, Græcum verbum eſt quidem præſentis temporis: ſed quod nonnunquam ponitur pro futuro: & ita quidam ipſum accipiunt hoc loco; pro, *Tranſijt*, legunt in futuro, (tranſiet:) ſed indubiè legendum eſt in præterito, (tranſiit, ſiue tranſiuit:) vt patet ex græca lectione: quamquam putant nonnulli poſitum eſſe hîc præteritum, more prophetico, pro futuro. Quocirca ex his verbis, ob prædictam lectionis varietatem, duplex ſenſus exiſtit. Si enim legatur, *tranſiit*, in præteriti temporis ſignificatione, erit hic ſenſus; Non venit, pro non eſt venturus in iudicium, id eſt, in condemnationem æternæ mortis: ſed iam, etiam ante iudicij tempus, tranſiuit à morte animæ, & à reatu æternæ mortis tam animæ, quàm corporis, ad certam ſpem, iúſque poſſidendi æternam vitam. Sin autem verbum, *tranſiit*, poſitū ſit, more prophetico, pro futuro, (tranſibit,) ſenſus eſt; Non veniet in iudicium, ſiue condemnationem æternæ mortis,

mortis,quam ſuis peccatis commeruerat:ſed ex hac vita decedens transibit à morte corporis ad poſſeſſionem æternæ vitæ.

66 Sed enim prior ſenſus, vt Auguſtino, ita mihi probatur magis: cui nimirùm maximè congruens eſt illa eiuſdem Ioannis ſententia in tertio capite primæ Epiſtolæ: *Nos ſcimus*, inquit, *quia tranſlati ſumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres.* Vbi & illud obiter conſiderandum eſt, eo in loco vitam æternam à Ioanne tribui dilectioni, quæ hîc à CHRISTO tribuitur fidei: & ſanè, vtraque ex virtute prouenit vita æterna: nam nec charitas eſſe poteſt ſine fide,& fides non prodeſt ad comparandam vitam æternam,niſi ea, quæ per dilectionem operatur. Illud quoque animaduertendum eſt, non dici hoc loco eum, qui credit DEO, non venturum ad iudicium diſcuſſionis: cùm Paulus affirmatè dixerit in capite quinto poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios, Omnes nos manifeſtari oportere ante tribunal CHRISTI: ſed intelligendum eſt, dignè credentem DEO, non venturum in iudicium: ſcilicet, condemnationis diuinæ, quam ante fidem peccatis ſuis commeruerat. AdGal. 5.

67 Quod autem ſequitur, *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij* DEI, *&c.* non pertinet ad generalem reſurrectionem mortuorum: vt indicant illa verba, *Venit hora, & nunc eſt*: quod non quadrat ad generalem reſurrectionem mortuorum: quæ futura eſt in conſummatione ſæculi. Nec dicitur hoc loco omnes mortuos audituros vocem Filij DEI: ſicut paulò infrà dicitur de generali reſurrectione mortuorum: ſed indefinitè dicitur: *Mortui audient vocem Filij* DEI. Et cùm ſubditur, *& qui audierint, viuent*, ſatis indicauit Dominus, non omnes vocem ipſius audituros: quod profectò ad generalem mortuorum reſurrectionem minimè congruit. Locutus itaque eſt Dominus de particulari aliquorum reſurrectione ad vitam rurſus mortalem, facta vel per ipſum, vel per eius diſcipulos: quæ tamen, quaſi argumentum quoddam, & ſpecimen fuit tum ſpiritualis reſurrectionis animæ à morte peccati ad vitam iuſtitiæ: tum futuræ reſurrectionis corporum in Sanctis ad vitam immortalem, & beatam. Dicuntur autem mortui audire vocem CHRISTI: quia reuiuiſcentes ſentiunt effectum vocis CHRISTI reuocantis eos ad vitam: & quia ſic obediunt voci CHRISTI reuocantis eos ad vitam, vt ſi dormientes, per eam

vocem excitati fuiſſent à ſomno. Quid autem mirum, verbo CHRISTI excitari à morte ad vitam homines: cùm eius verbo omnia ſint ex nihilo creata: *Dixit enim, & facta ſunt. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Nimirum, ipſe eſt, *qui*, vt dixit Apoſtolus, *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.*

Pſal. 148. Gen. 1. Pſal. 32. ad Rom. 4.

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 26. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo; & poteſtatem dedit ei iudicium facere: quia Filius hominis eſt.

EO quod hîc dicitur, Patrem dediſſe Filio habere vitam in ſemetipſo, tria ſignificantur: primò, diſtinctio perſonarum Patris, & Filij: deinde, origo Filij à Patre: tum vnitas, atque identitas naturæ vtriuſque perſonæ: Si enim diuerſam Patri naturam haberet Filius, non vtique haberet vitam in ſemetipſo: ſed in Patre: ſicut omnes res creatæ vitam habent in DEO. Et Paulus dixit; *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Aliud porrò eſt in diuinis perſonis habere vitam à ſemetipſo, & aliud eſt habere vitam in ſemetipſo: illud namque proprium eſt DEI Patris: quippè qui omninò eſt improductus, neque ab alio procedens, & eſt principium aliarum perſonarum diuinarum: hoc autem, habere, inquam, in ſemetipſo vitam, ex æquo tribus perſonis diuinis conuenit. 68

Actorum 17.

Habere vitã in ſemetipſo, quatuor ſignificat.

Quatuor autem denotat, *habere vitam in ſemetipſo.* Primò, habere in ſua poteſtate; vt quando vult, & quotieſcunque vult, & quomodocunque vult, & quibuſcunque vult, poſſit vitam impertiri. Deinde, eſſe primum, & perennem, atque indeficientem fontem, ac principium omnis vitæ; omnibus rebus, quæ ſunt extra DEVM, communicabilis. Sic fons dicitur habere aquam in ſemet 69

ſemetipſo: non autem flumen. Ad hæc, eſſe vitam per eſſentiam, & ſubſtantialiter; ob ídque infinitè, & inuariabiliter: non autem per participationem, & accidentaliter, & definitè, & mutabiliter. Poſtremò, non habere vitam aliunde, tanquam ab externo principio, & diuerſæ naturæ: nam licèt Filius, & Spiritus ſanctus vitam habeant à Patre; Pater tamen eſt principium internum, & conſubſtantiale tam Filio, quàm Spiritui ſancto.

70 Sed quando Pater dedit Filio habere vitam in ſemetipſo? Secundum Cyrillum, dedit per incarnationem. Sicut enim tunc dedit illi homini eſſe DEVM: ita dedit ei habere vitam in ſemetipſo; nimirum ratione diuini Verbi, quod ei tunc perſonaliter vnitum eſt: quamobrem ea donatio fuit illi homini gratuita, & per DEI gratiam ei facta. At ſecundum Auguſtinum, & Chryſoſtomum, Pater dedit Filio habere vitam in ſemetipſo per æternam generationem, per quam ſcilicet ſimul cum natura diuina Filius & hoc, quod eſt, habere vitam in ſemetipſo, accepit à Patre: illa tamen donatio non fuit gratuita: ſed naturalis.

Quando Pater dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.

Cyrillus.

Auguſt. Chryſoſt.

71 Circa illa verba; ***Dedit ei iudicium facere: quia Filius hominis eſt,*** Sciendum eſt, Paulum Samoſatenum hæreticum, qui dixit, CHRISTVM fuiſſe purum hominem, iunxiſſe hæc verba cum præcedentibus, in hanc ſententiam: Quia CHRISTVS erat tantùm Filius hominis, id eſt homo, propterea non potuit à ſe habere poteſtatem iudicandi: ſed neceſſe fuit eam ipſi à DEO dari. Chryſoſtomus odio tam nefandi erroris, etiam huiuſmodi lectionem, quaſi hæreticam damnauit, eo argumento, quòd ſi Pater dediſſet CHRISTO poteſtatem iudicandi: quia erat homo, pari ratione dediſſet eam cunctis hominibus: nam eſſe hominem, æquè omnium hominum commune eſt. At enim videtur immeritò ea lectio, (remoto Pauli errore) damnata à Chryſoſtomo; quam Auguſtiuus, & Cyrillus, & complures alij approbarunt; licèt ea lectione Paulus: vt hæreticis mos eſt, ad errorem ſuum aſtruendum fuerit abuſus.

Paulus Samoſatenus.

Cyrillus. Auguſt.

72 Chryſoſtomus verò, verba illa; *Quia filius hominis eſt*, iungit cum eo, quod proximè ſequitur; ***Nolite mirari hoc:*** ad hunc ſenſum; Ne mirum vobis accidat, & incredibile, quod dixi de poteſtate iudicandi à DEO collata mihi: quia videtis me hominem

Excutitur lectio huius loci, & interpretatio Chryſoſtomi.

eſſe, pauperem, humilem, & obſcurum: nam ita ſum Filius hominis, vt ſimul etiam Filius DEI ſim: atque hanc lectionem: vt cætera Chryſoſtomi, ſequuntur Theophylactus, & Euthymius. Sed enim, præterquam quòd hæc interpretatio interturbat rectam constructionem orationis, contextúmque verborum huius loci: illud prætereà incommodi habet, quòd ſecundum eam, idem diceretur his verbis, quod ſuprà dictum fuerat; *Pater omne iudicium dedit Filio.* Excludit quoque præclaram, veréque Theologicam doctrinam, quam Theologi tradunt, & eliciunt ex eo, quod hîc dictum ſit; Patrem dediſſe Filio poteſtatem iudicandi: quia Filius hominis erat: quænam verò iſta ſit doctrina, ex iis, quæ mox ſubiiciemus, manifeſtum erit.

Theophylact. *Euthymius.*

Planior igitur, & rectior, atque probabilior eſt lectio, quæ verba hæc iungit cum præcedentibus. Eius verò lectionis triplex interpretatio, & ſenſus eſſe poteſt. Primus ſenſus, ſecundum Auguſtinum, poteſtatem iudicandi, quam Pater ab æterno dedit Filio, ea ratione, qua DEVS eſt, dediſſe quoque ei ab initio aliquo temporis, ea ratione, qua homo eſt: Itaque illa coniunctio, *quia*, ſonat idem, quod quatenus: vel ea ratione, qua Filius hominis eſt. Alter ſenſus eſt: quia Iudex hominum, qui poſt reſurrectionem erunt corporei, & viſibiles, debet eſſe viſibilis, & ſenſibilem proferre ſententiam: Pater autem, & Spiritus ſanctus non habent naturam viſibilem: Filius verò & DEVS eſt inuiſibilis, ſimúlque homo viſibilis: proptereà data eſt ei poteſtas iudicandi: quia Filius hominis eſt. Tertius ſenſus eſt, quia Filius DEI, amore diuinæ gloriæ, & ſalutis hominum, vſque eò ſe abiecit, & exinaniuit, vt homo ſimilis cæterorum hominum fieri dignatus ſit, & vt ſeruus, & tanquam ſceleratus, ab impiis hominibus iudicari, & condemnari ſe paſſus eſt: proptereà in præmium tantæ humilitatis, poteſtatem iudiciariam in omnes homines accepit à DEO: vt hoc ſimile ſit eius, quod ſcripſit Apoſtolus de ipſo CHRISTO in capite ſecundo Epiſtolæ ad Philippenſes, illis verbis; *Qui cùm in forma* DEI *eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem* DEO: *ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Et poſteà ſubdit; *Propter quod* DEVS *exaltauit illum, & dedit ei nomen, quod* 73

Illud, Quia Filius hominis eſt, tripliciter explicatur. *Auguſtinus.*

eſt ſuper omne nomen, &c. Et hinc docent Theologi, CHRISTVM per paſſionem ſuam tria ſibi meruiſſe; exaltationem nominis ſui apud omnes, & glorificationem ſui corporis, & iudicialem poteſtatem in omnes homines.

74 Scire etiam conuenit, tria requiri in eo, qui legitimè, & rectè iudicaturus eſt alios. Primò, legitimam poteſtatem iudicandi: deinde ſcientiam & hominum iudicandorum, & eorum, de quibus iudicandi ſunt: tum, ſincerum, atque incorruptum affectum in iudicando. Hæc tria in ſe fuiſſe CHRISTVS ipſe hoc in loco indicauit. Poteſtatem quidem, cùm dixit; *Pater dedit Filio iudicium facere:* Scientiam, cùm infrà ſubdit; *Sicut audio, iudico; & iudicium meum iuſtum eſt:* Sinceritatem demum, atque integritatem animi in iudicando, cùm addidit, *quia non quæro voluntatem meam: ſed voluntatem eius, qui miſit me.* *Tria requiri in eo, qui rectè iudicaturus eſt alios.*

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati. Ille erat lucerna ardens, & lucens: vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius. VER. 35.

De tredecim rebus in lucerna conſiderandis, & ad hominem, reſpectu gratiæ DEI, *accommodandis.*

75 QVONIAM Iudæi iis, quæ CHRISTVS de ſe teſtificabatur, fidem habere recuſabant, adhibuit ipſe quatuor genera teſtimoniorum, contradictioni, & cauillationibus eorum minimè obnoxia: quorum vnum fuit teſtimonium Ioannis Baptiſtæ: alterum, quod opera ſua de ipſo perhibeant: tertium, DEI Patris ſui, à quo miſſus fuerat in mũdum: quartum, diuinarum Scripturarum, in quibus ea, quæ de ſe CHRISTVS dicebat, prædicta fuerant. Quò autem teſtimonium Ioannis Baptiſtæ grauiſſimum, fidéque digniſſimum fuiſſe oſtenderet: & Iudæos, à quibus contemptum, & re-

& reiectum illud fuerat,perſtringeret; ipſum Ioannem illis verbis: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, mirè laudauit. Quorum verborum ſententia, quò planiùs, & pleniùs explicetur: primùm, multa,& obſeruatione digna, quæ in lucerna conſiderari poſſunt, exponemus: Deinde, cur Ioannes dictus ſit à Domino lucerna ardens,& lucens,declarabimus: denique aliquot ſanctorum Patrum de Ioannis excellentia ſanctitatis, atque dignitatis illuſtria, & eximia teſtimonia,atque encomia referemus.

Multa,vt dixi,& obſeruatione digna conſiderare licet in lucerna,cui comparatus eſt Ioannes, quæ ad hominem reſpectu gratiæ DEI aptari, & accommodari queunt. Primò, lucerna nullam à ſe lucem habet: ſed eam capit extrinſecùs. Secundò, licèt per ſe lucerna non luceat: facta eſt tamen idonea, & accommodata ad lucem aliunde accipiendam, atque retinendam. Idem licet cernere in homine,reſpectu gratiæ DEI, quam à ſe non habet homo: ſed à DEO factus eſt,& gratiæ,& gloriæ DEI capax. Tertiò,Lucerna non habente lucem, nihil inutilius, & abiectius videtur: contra verò, ſi bene luceat, & ad aſpectum iucunda, & ad vſum commodiſſima eſt. Similis profectò eſt homo vel compos, vel expers diuinæ gratiæ.Quartò,Lucerna non ſe tota lumen accipit,vel reddit: ſed exigua tantùm quadam ſui parte: ſic homo in hac vita,ſecundum partem dumtaxat ſuperiorem animæ illuminatur,& ſanatur à DEO. Quintò, Lucerna ſubinde eget oleo impleri, vt lucem conſeruet; non ſic eſt lumen ſtellarum: gratia quoque hominis viatoris, quò vel conſeruetur, vel augeatur, variis eget tum humanis, tum maximè diuinis fomentis, & adiumentis: non ſic autem eſt gratia comprehenſorum, & Beatorum in cœlis. Sextò, debet ſubinde lucerna mundari, & purgari, ne reſtinguatur lumen, & quò clariùs luceat: ſiquidem multas creat ſordes, & impedimenta bene lucendi. Septimò, facilè poteſt lucernæ lumen extingui, vel à ventis, vel ab imbribus, vel aliis de cauſis: quapropter aduerſus iſta diligenter cuſtodiri debet; vt nulla ex parte pateat extinctioni. Sic etiam homo theſaurum diuinæ gratiæ in vaſis habet fictilibus,& fragilibus, variíſque caſibus, multíſque periculis expoſitum. 76

Octauò; Sicut lumen intra lucernam debet bene claudi, ne ab 77
extra

extraneis contrariis extinguatur: debet tamen aliqua ſui parte eſſe pellucida, vt foras lumen emittat: ſic gratia DEI, quam homo habet, bene cuſtodienda eſt interiùs à vana gloria; ſecundum illud Domini dictum; *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis:* debet tamen nihilominus ſic lucere, vt aliis etiam adiumento, & emolumento eſſe queat, ad eorum animi ſalutem, & ad gloriam DEI: ſecundum illam Domini ſententiam; *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videntes bona opera veſtra, glorificent patrem, qui in cælis eſt.* Nonò; Paruum eſt lucernæ lumen, & paucis illuminandis ſufficiens, & vſus eius eſt in remedium, & ſolatium nocturnarum tenebrarum: quoad ſcilicet diurnam claritatem ſol nobis reddat. Decimò; Plurimùm intereſt inter ipſam lucem, quæ datur extrinſecùs lucernæ: & inter materiam, ex qua conſtat lucerna. Vndecimò, lucernæ quatuor neceſſaria ſunt, vt bene, ac diu lucere queat. Primò, vas ipſum lucernæ bene conformatum ad vſum lucendi: deinde, oleum, vel cera, vel aliud ſimile, quo lumen nutriatur, & foueatur: tum myxus, ſiue ellychnium: quo lumen ipſum ſuſtinet: ac demum, eſt ipſa lux. Similiter conſiderare licet, corpus hominis eſſe tanquam vas, mentem eius quaſi myxum; at fidem, eſſe quaſi lumen: denique charitatem, & bonorum operum effectionem, eſſe tanquam oleum: quo lumen fidei fouetur, & nutritur. Duodecimò: lucerna extincta fætet: ſed protinus, dum etiam calet, admota lumini, facilè ipſum reſumit. Decimotertiò: lucerna bene lucens in publico ponitur: ſed vbi extincta eſt, continuò ab hominum aſpectu remouetur.

Matth. 6. *Matth. 5.*

78 Sed cur, & quibus rebus Ioannes ſimilis fuit lucernæ? quia non erat ipſe vera illa lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: ſed erat prænuntius, & teſtis illius lucis: ſicut ſuprà dictum eſt; *Non erat ille lux; ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Quia comparatus CHRISTO, paruam gratiæ ac ſapientiæ lucem habebat: ſicut lucernæ lux comparata luci ſolis. Quia ad paucos illuminandos, vnam duntaxat Iudæorum gentem, miſſus à DEO fuerat. Quia vſus illuminationis eius, breuis erat futurus; nempe, quoad gratia, & doctrina Euangelica mundo illuceſceret. De hac ſanè lucerna, quæ fuit Ioannes, interpretatur

Cur, & quibus rebus Ioãnes fuerit ſimilis lucernæ.

Ioan. 1.

Cyrillus. Cyrillus, ſecundum allegoricum videlicet ſenſum, quod ſcriptum eſt in Pſalmo centeſimo trigeſimo primo; *Paraui lucernam* CHRISTO *meo.* Eiuſdem lucernæ, quæ fuit Ioannes, dici poſſet figura fuiſſe in veteri Teſtamento ſeptuplex illa lucerna, quæ pendebat ſemper ardens, & lucens in ſanctuario ante velum, quod erat op-panſum interiori Tabernaculo, quod vocabatur ſancta ſanctorum: de qua lucerna ſcriptum eſt in vigeſimo quarto capite Leuitici.

Locus Pſalmi 131.

Lucerna, quæ fuit Ioannes, quanā fuerit in veteri Teſtamēto figura.

Dauid conſiderans vſum, & vtilitatem lucernæ diſcutiendis tenebris, & dirigendis hominum greſſibus, in Pſalmo vigeſimo ſeptimo DEVM appellauit lucernam ſuam: & in Pſalmo centeſimo decimo octauo, lucernā pedibus ſuis dixit eſſe verbum DEI: & in capite vndecimo libri tertij Regum vocatur lucerna Dauidis, memoria ipſius, & conſeruatio principatus, & regni in eius poſteritate: & in tertio libro Regum Dauid appellatur lucerna populi Hebræi: id autem eſt, vnicum eius populi decus, & præſidium, atque ſolatium: Denique vita, & doctrina, & præclara opera ſanctorum hominum: præſertim autem eorum, qui præſident Eccleſiæ, ac populo DEI, appellatur in Euangelio lucerna; *Nemo,* inquit, *accendit lucernam, & ponit eam ſub modio: ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* His adde, quod ſcriptum eſt in capite decimo octauo libri Apocalypſis; in cœleſtibus beatorum ſedibus, & in illo æternæ fœlicitatis domicilio nullam eſſe lucernam: non enim emendicato, & diminuto lumine fœlices illæ in cœlis animæ illuminantur: ſed illis DEVS eſt, vt vita, ſic lux, & gaudium, & gloria ſempiterna. 79

Locus Matth. cap. 5.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Cur Ioannes dictus fuerit à Domino lucerna ardens, & lucens.

SVNT quædam lucernæ nec ardentes, nec lucentes: ſed extinctæ, quin etiam fœtentes: vt ſunt indocti, & mali prælati: Aliæ ſunt tantùm lucentes: ſed non ardentes: vt qui doctrina præſtant: ſed probitate, atque integritate vitæ carent. Aliæ ſunt 80

ſunt lucernæ ardentes,& non lucentes;vt qui ſunt ipſi quidem boni: ſed indocti:ob idque ſibi tantùm, non aliis autem vtiles. Sunt demum lucernæ ardentes pariter,ac lucentes: vt qui integritatem vitæ cum veritate, & præſtantia doctrinæ coniunxerunt. Talis fuit Ioannes: nec fuit talis, tanquam vnus quilibet de iſtiuſmodi hominibus: ſed tanquam ſingularis, & eximius,& ſupra iſtos omnes. Quemadmodum porrò Ioannes arderet, & luceret, diſertè Sanctus Bernardus declarauit in quodam ſermone, quem fecit ſuper his ipſis verbis; *Ille erat lucerna ardens, & lucens:* ita ſcribens; Tantùm ardere,parum eſt: tantùm lucere, vanum eſt: lucere & ardere, perfectum eſt. Ardebat Ioannes tripliciter: erga ſeipſum, auſteritate conuerſationis: erga CHRISTVM, feruore deuotionis: erga proximum, conſtantia liberæ increpationis. Lucebat etiam tripliciter; Exemplo, digito, & verbo. Exemplo, ſeipſum oſtendens ad imitandum:digito, CHRISTVM demonſtrans Agnum DEI ad perficiendam peccatorum remiſſionem:Verbo,vitia hominum manifeſtans ad correptionem & emendationem.

Quomodo Ioannes fuerit lucerna ardẽs, & lucẽs, pulchrè declarauit Bernardus.

81 Neque verò Ioannis teſtimonium de CHRISTO ideò repudiare poterant: erat quippè Ioannes teſtis omni exceptione maior: cui ſcilicet omnia, quæ ad ritè teſtificandum neceſſaria ſunt, cumulatè, & excellenter aderant, eiúſque teſtimonium digniſſimum fide reddebant. Hæc autem ſunt, auctoritas muneris, dignitas perſonæ, ſcientia rerum, de quibus teſtimonium dicitur:ac demum integritas vitæ, & ſanctitas. Ioannes auctoritatem teſtificandi à DEO acceperat: ſecundum illud, quod ſuprà dictum eſt; *Fuit homo miſſus à* DEO, *cui nomen erat Ioannes: hic venit vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Scientiam eorum, quæ teſtabatur, dupliciter habebat certam Ioannes: tum ex diuina reuelatione: tum ex ſigno, & miraculo columbæ: ſicut dictum eſt ſuprà; *Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit;Super quem videris Spiritum deſcendentem quaſi columbam, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.Et ego vidi,& teſtimonium perhibui quia hic eſt* FILIVS DEI. Quanta verò fuerit ſanctitas Ioannis declarauit vita eius admirabili auſteritate, & puritate, & ſanctimonia: declarauit item exiſtimatio Iudæorum, qui eum non vt hominem: ſed vt Angelum mirabantur, & reuerebantur: in tantum profectò, vt multi in du-

Non potuiſſe Iudæos refragari teſtimonio Ioannis.

Ioan.1.

Ibid.

bitationem venirent, num ipſe expectatus eſſet Meſſias: ſicut indicat Lucas in capite tertio ſui Euangelij. Videat lector luculentum Ioſephi de Ioanne teſtimonium in capite decimo libri decimi octaui Antiquitatum Iudaicarum. Quin etiam vel ipſe Herodes, quem ſeueriſſimè Ioannes increpabat propter inceſtas, & abominatas Herodiadis nuptias, timebat ipſum, & libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat: ſciens eum virum eſſe iuſtum, & ſanctum: ſicut refert Marcus in capite ſexto. Sed ſuper omnia demonſtrant Ioannis excellentiam duo CHRISTI encomia Ioannis; Alterum, quod hoc loco eſt; *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Alterum, quod expoſuit Matthæus capite vndecimo: referens illa CHRISTI verba de Ioanne dicta Iudæis; *Quid exiſtis in deſertum videre Prophetam? Etiam dico vobis: & pluſquàm Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum, maior Ioanne Baptiſta.*

Ioſephus. *Malachia 4.*

DECIMANONA DISPVTATIO.

Commemorantur Ioannis excellentiæ aliquot præclara, & eximia Patrum teſtimonia, & præconia: & declarantur illa Domini verba; Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.

EX occaſione laudationis Ioannis, quam fecit CHRISTVS, & hoc in loco retulit Euangeliſta, libuit mihi nonnulla Patrum de excellentia Ioannis præcipua, & perilluſtria teſtimonia, & præconia hîc enarrare. 82
Ambroſius in ſermone ſexageſimo quarto, de eo ſic ait; Ioannes præcedit cunctos, eminet vniuerſis, antecedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis natus eſt de muliere, inferior eſt Ioanne. Cyrillus Hieroſolymitanus in tertia Catecheſi dicit, eum maiorem fuiſſe Elia in cœlum rapto, & Enoch in Paradiſum tranſlato, & Moſe legiſlatore, & Ieremia in matris ventre ſanctificato. Fuiſſe eum ait prophetarum maximum, legis veteris terminum, initium Euangelij, noui Teſtamenti Archiducem. Auguſtinus

Ambroſius. *Cyrillus Hieroſolymitanus.*

ſtinus ſuper Pſalmo vigeſimo nono; Nihil, inquit, maius exiſtit in genere humano, quàm Ioannes Baptiſta: idem ſermone quarto de natiuitate Ioannis; Si nemo, inquit, in hominibus ſurrexit maior Ioanne: ergo qui Ioanne maior eſt, non tantùm homo: ſed DEVS eſt. Auctor imperfecti operis in Matthæum, in Homilia vigeſima ſeptima; Omnibus, inquit, ſanctis maior eſt Ioannes, quo ſolus prior eſt CHRISTVS. Cyrillus ait, Ioannem perueniſſe ad apicem virtutis & ſupremam iuſtitiæ perfectionem. Vide ipſum in libro ſecundo commentariorum in Ioannem in capite trigeſimo quarto, & in Theſauro, libro ſecundo capite quarto. Euſebius Emiſſenus in homilia prima de Ioanne, ait, ipſum humanorum excedere menſuram meritorum. Sanctus Bernardus in ſermone de excellentiis Ioannis Baptiſtæ affirmat, ipſum nouem Angelorum ordinibus ſic eſſe inſertum, vt ad ipſorum etiam Seraphinorum apicem euectus fuerit. Videat lector alia Ioannis præconia apud Auguſtinum in ſermonibus de ſanctis, in ſermone vigeſimo ſecundo: apud Iſidorum in libro de Patribus veteris Teſtamenti: apud Chryſoſtomum in ſermone centeſimo vigeſimo ſeptimo.

Auguſtinus

Auctor imperfecti operis in Matthæũ.

Cyrillus Alexandrinus.

Euſebius Emiſſenus.

Bernardus.

83 Fuit ſanè Ioannes virgo, fuit martyr, pro veritatis & iuſtitiæ prædicatione ab impio Herode obtruncatus capite: fuit Propheta Altiſſimi: de eo námque Pater eius prophetauit; *Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis.* Fuit Apoſtolus DEI: ſiquidem nomen Apoſtoli ſignificat miſſum: & de eo ſuprà ſcriptum eſt; *Fuit homo miſſus à* DEO, *cui nomen erat Ioannes.* Fuit quaſi Patriarcha quidam noui Teſtamenti: fuit primus Euangelij præco; fuit Doctor ad prædocendos Iudæos miſſus: ſicut eius Pater prædixit; *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum.* Fuit denique tanquam parens, primúſque magiſter Anachoretarum, & heremitarum, qui poſtea fuêre ſub lege Euangelica. Magnus planè Ioannnes in conceptu ſuo, in ortu, in educatione, in victu, & veſtitu, in prædicatione, in teſtificatione de CHRISTO, in regum increpatione, & in morte pro iuſtitia fortiter ſubeunda.

Multiplex Ioannis Baptiſtæ dignitatis, & ſanctitatis excellentia.

Luca 1.

Ioan. 1.

84 Illorum porrò verborum; *Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius*, quatuor ſunt interpretationes. Prima interpretatio; Ioannes dupliciter lucebat, tum propriæ ſanctitatis luce, & conuerſa-

Quid ſit, Iudæos ad horã exultaſſe in luce Ioannis Baptiſtæ, quatuor interpretationes.

tionis ſuæ admirabili auſteritate; tum demonſtrando CHRISTVM, qui erat vera & æterna lux, & daturus erat credentibus in ipſum ſalutem, & gloriam ſempiternam. Iudæi autem prioris lucis aſpectu gaudebant, & delectabantur: ſanctimoniam Ioannis admirantes, atque prædicantes: ſed poſteriorem lucem, vnde ipſis ſempiternum gaudium poterat contingere, neglexerunt. Secunda interpretatio; Vos miſiſtis ad Ioannem, interrogantes eum an ipſe expectatus, & optatus eſſet Meſſias: vt ſi ille oblatum ſibi tantum honorem acciperet, eo vos abuteremini ad me vehementiùs inſectandum: & hoc veſtro tam malitioſo conſilio, & machinatione gaudebatis, & exultabatis: ſed ad horam, & breuiſſimum fuit præſumptum à vobis gaudium. Ioannes enim veritati teſtimonium perhibuit, negans ſe CHRISTVM eſſe, & me demonſtrans eſſe, quem vos pro CHRISTO recipere renuitis. Tertia interpretatio; Iſtis Domini verbis arguitur magna, & turpis inconſtantia Iudæorum: qui ab initio maximè gaudebant, & delectabantur prædicatione, & conuerſatione Ioannis Baptiſtæ; ſed breui cœperunt eum faſtidire, & contemnere. Etenim Ioannes inuitabat, & incitabat eos ad amorem regis cœleſtis, & deſiderium æternæ vitæ: At Iudæi, quia carnales admodum erant, maximéque cupidi rerum terrenarum: bonorum verò cœleſtium incurioſi, atque negligentes, doctrinam iſtam Ioannis, & exhortationes eius, vt minimè conuenientes cupiditatibus ſuis, aſpernati ſunt.

Quarta interpretatio: quæ videtur omniũ optima, eſt huiuſmodi; Cùm primùm Ioannes è ſolitudine prodiit in publicũ, ingentem ſui admirationem, & venerationẽ, expectationémq; cõmouit in animis Iudæorum: vehementer enim mirabantur inuſitatã eius vitæ auſteritatem, eximiam morum ſanctimoniam, maximam rerum omnium terrenarum deſpicientiam, grauiſſimam prædicationis, & doctrinæ rationem, nouitatem baptiſmi, libertatem in reprehenſione quorumlibet, vim, & ardorem in exhortando homines ad ſalutem ipſorum capeſſendam. At primò itaque Iudæi valde gauiſi ſunt, tantum virum cœlitùs ſibi illo tempore miſſum, & datum à DEO fuiſſe: ſed breue hoc fuit eorum gaudium: Nam cùm primum Ioannes cœpit, ſe, CHRISTI comparatione, demittere, & abiicere, illúmque ſummis laudibus efferre, & Meſſiam eſſe, 85

eſſe, ac ſaluatorem mundi aſſerere; continuò Iudæi cœpêre Ioannem faſtidire, auerſari, & vſque eò vituperare, vt eum dæmonio agitari non vererentur dicere. Nam apud Lucam cap.7.dixit Dominus; *Venit Ioannes neque manducans panem, neque bibens vinum: & dicitis; dæmonium habet.* Breuis igitur fuit lætitia, quam ex aduentu Ioannis ceperunt Iudæi. *Locus Lucæ cap.7.*

VIGESIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Scrutamini Scripturas: quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. VER.39.

86 ILLVD verbum, *ſcrutamini*, tam in Græca, quàm in Latina ſcriptura eſt ambiguæ ſignificationis. Poteſt enim eſſe vel indicatiui modi; vt plerique accipiunt; vel imperatiui modi: vt accepit Cyrillus:& hoc videtur ipſorum cõtextui verborum magis congruere. Subditur enim; *Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Si enim eſſet imperatiui modi, dicendum erat: (quia illæ teſtimonium perhibent de me.) Accipiendo igitur illud, *ſcrutamini*, tanquam indicatiui modi: iſtorum verborũ hic eſt ſenſus; Vos aſſiduè verſatis diuinas Scripturas, intenta lectione earum intellectum perquirentes: rati ex earum doctrina, & inſtructione poſſe vos æternam vitam conſequi; quod ſanè rectè putaretis: ſi eas, vt par eſt, intelligere ſtuderetis. Iam verò, iſtæ ipſæ Scripturæ, quas vos tam ſtudioſè lectitatis, non vno tantùm in loco: ſed paſſim, non ſolùm obſcurè, & opertè; ſed etiam apertè, expreſſéque teſtimonium de me perhibent: tantum abeſt, vt doctrinæ meæ, quam ego vobis prædico, ſint contrariæ. Vos tamen partim odio mei, partim vitiorum veſtrorum caligine obcæcati, eas non intelligentes, non vultis venire ad me: per fidem ſcilicet accipiendo doctrinam meam, vt comparetis vobis vitam æternam: quam vos in ipſis Scripturis

quæritis,

quæritis,& cuius me auctorem,& largitorem illæ teſtantur.

Illud itaque; *Vos putatis in ipſis habere vitam æternam*, non ideò 87
Dominus dixit: vt eorum opinionem, & ſpem reprehenderet:ſed
vt oſtenderet infructuoſum eſſe ſtudium eorum, & inanem fiduciam:quia DEI Spiritu deſtituti,& ſterili tantùm verborum ſententiæ inhærentes,ad verum Scripturarum intellectum, per quem ſibi vitam æternam comparare poſſent,nunquam peruenirent.Per ipſas autem Scripturas conſequi vitam æternam, eſt per earum perfectam intelligentiam, & fidem, & obſeruationem peruenire
2.Timoth.3. ad vitam æternam:Sicut Paulus dixit Timothæo; *Ab infantia primas litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem.*

Illud autem verbũ; (ſcrutari,) multò plus ſignificat quàm euol- 88
uere, legere,conſiderare, & meditari ſacras Scripturas. Eo námq; verbo ſignificatur, ſacram Scripturam non eſſe ſuperficie tenus, & curſim, & oſcitanter legendam: ſed magno ſtudio, ingenti auiditate,totáque animi intentione legi debere;ad imitationem,& modum eorum, qui cupidiſſimi reperiendi aurum, quod intra terram eſt, omnes eius venas indagant, & ſcrutantur. Audi Lector, quid
Locus Prouerbior.cap.2. Salomon dicat in capite ſecundo libri Prouerbiorum: *Si quæſieris*, inquit, *ſapientiam velut pecuniam, & quaſi theſauros effoderis eam, inuenies ſcientiam Domini.* Hinc etiam liquet, diuinam Scripturam non eſſe facilem intellectu, neque cuiuis peruiam: ſed eſſe intellectum eius perobſcurum, & abſtruſum, & reconditum, & multa indigentem perſcrutatione. Vnde Iob cap.28. de Sapientia dixit: *Sapientia trahitur de occultis, & abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet.* Quocirca ſingulari opus eſt DEI illuminatione ad rectè intelligendas ſacras Scripturas: quam illu-
Pſal.118. minationem Dauid petebat à DEO: *Da mihi*, inquit, *intellectum, & ſcrutabor legem tuam. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.*

Dixit autem Dominus præciſè, & generaliter, *Scripturas*: non 89
autem has, vel illas Scripturas nominauit: vt ſignificaret, approbare ſe omnes Scripturas ſacras,publico iudicio, & auctoritate ſynagogæ, id temporis comprobatas. Vel potiùs id dixit: quia omnes Scripturæ de CHRISTO teſtimonium perhibent. *Finis enim legis* CHRISTVS: *& omnes Prophetæ, qui fuerunt à Samuele, & deinceps*

inceps annunciauerunt dies iſtos. Et Dominus duobus illis diſcipulis euntibus Emaus; *Incipiens à Moſe,& omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Et in cap. decimo lib. de Actis Apoſtolorum ſic eſt: *Huic omnes Scripturæ teſtimonium perhibent.* Sed age,aliquot inſigniora teſtimonia veteris,& ſacræ Scripturæ de venturo Meſſia, quæ ad vnum omnia in Domino IESV perfectè completa ſunt, curſim in præſentia enarremus. Primò, Meſſiam, viſibilem in terris futurum, & conuerſaturum cum hominibus,prædictum fuerat à Baruch: *Poſt hæc,* inquit,*in terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus eſt.* Tempus aduentus Meſſiæ præſignauit Iacob Patriarcha,illis verbis: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius: donec veniat, qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio Gentium.* Idem tempus aduentus, & paſſionis Meſſiæ prænunciauit Daniel per ſeptuaginta hebdomadas annorum præfinitum, Meſſiam ex Virgine matre conceptum iri,& naſciturum, prædixerat Iſaias;*Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Meſſiam naſciturum in ciuitate Bethleem, prædictum fuerat à Michæa, illis verbis; *Et tu Bethleem terra Iuda,nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.* Futurum Meſſiam hominem pauperem, & humilem, & manſuetum, prænunciatũ fuerat à Zacharia, illis verbis;*Exulta ſatis filia Sion,iubila filia Hieruſalẽ:ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator,& ipſe pauper, &c.*Et Iſaias; *Nõ clamabit,neque accipiet perſonã, nec audietur vox eius foris;calamum quaſſatum non cõteret,& linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium, non erit triſtis,neque turbulentus.* Meſſiam prędicaturũ fuiſſe pauperibus,&triſtibus,& afflictis prophetauerat Iſaias; *Spiritus Domini ſuper me,ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde,& prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt conſolarer omnes lugentes.* Meſſiam occiſum iri à ſuis popularibus, & ciuibus Iudæis prædixit Daniel; *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur* CHRISTVS, *& non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.* Genus futuræ mortis Meſſiæ, & acerbitatem eius, & cauſam ita deſcripſerunt Dauid, & Iſaias, vt non rei futuræ prophetiam edidiſſe: ſed rei iam geſtæ hiſtoriam enarraſſe videantur. Dauidis in pſalmo vigeſimo primo,& ſexageſimo octauo illa ſunt verba; *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt*

Lucæ vlt.

Inſigniora quædam teſtimonia veteris diuinæ Scripturæ de venturo Meſſia, quæ in Domino Ieſu perfectè completa ſunt.

Baruch 3.

Geneſ. 49.

Danielis cap. 9.

Iſaiæ 7.

Michææ 5.

Zachariæ 9.

Iſaiæ 42.

Iſaiæ 61.

Danielis 9.

tauerunt me aceto: foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. De multis, quæ vaticinatus eſt Iſaias de nece Meſſiæ, pauca tantùm hîc aſcribam verba; *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Oblatus eſt: quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum: cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.* Sunt & alia permulta huiuſmodi teſtimonia Scripturæ de venturo Meſſia, quæ nos ad preſens commemorare ſuperſedemus; quòd ſuper hac re in libro decimo commentariorum noſtrorum in Danielem ſatis copioſè diſputatum ſit, ſuper illis verbis capitis noni; *Vt impleatur viſio, & Prophetia.*

Iſaiæ 53.

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Super illis eiſdem verbis:

Scrutamini Scripturas.

De multiplici diuinarum Scripturarum ſcrutatione.

Sextuplex ſcrutatio mala ſacræ Scripturæ.

SCRVTATIO diuinæ Scripturæ multiplex eſſe poteſt. Quædam enim ſcrutatio eſt mala, & noxia: alia verò eſt bona, & fructuoſa. Mala porrò ſcrutatio Scripturæ ſextuplex reperitur. Prima eſt ſuperba: eorum ſcilicet, qui ingenio ſuo confidunt ſe intelligentiam diuinarum Scripturarum conſequi poſſe, & veritatem earum humana ratione metiuntur. Iſtis per Iſaiam dictum eſt; *Si non credideritis, non intelligetis.* Secunda ſcrutatio mala, eſt temeraria: cùm ea, quæ in diuinis litteris ſimplici fide, ac pietate accipienda ſunt, nimis curioſâ ſubtilitate indagantur, atque diſcutiuntur. Iſtis dictum eſt à Sapiente; *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Et in capite tertio libri Eccleſiaſtici; *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; Non enim eſt tibi neceſſarium, ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis: plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* 90

Eſa. 7. Iuxta 70.

Prou. 25.

Tertia

Tertia ſcrutatio, eſt ſuperuacanea, & infructuoſa: in his tantùm, aut præcipuè verſari, quæ parùm conducunt ad vitiorum expulſionem, & comparationem virtutum, & pietatis erga DEVM, atque religionis incrementum. Iſtis dicitur in eodem capite tertio libri Eccleſiaſtici; *Quæ tibi præcepit* DEVS, *ea cogita ſemper.* Et in capite vigeſimo octauo libri Iob ſcriptum eſt; *Ecce, timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia.* Et Moſes in capite quarto Deuteronomij loquens de præſtantia diuinæ legis, eiúſque cultu, & obſeruatione, dixit Iudæis; *Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus.* Dauid etiam in Pſalmo centeſimo decimo octauo; *Beati*, inquit, *qui ſcrutantur teſtimonia eius, & in toto corde exquirunt eum.* Et infrà ait, ſe legis diuinæ ardenti ſtudio, & aſſidua meditatione, diligentíque obſeruatione, etiam maioribus ſuis, ſuíſque magiſtris ſapientiorem eſſe factum; *Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua ſunt meditatio mea. Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui.* Quarta ſcrutatio, eſt vana, & ambitioſa: eorum nempè, qui propterea ſtudent diuinæ Scripturæ, vt ſapientes habiti, reuerenter colantur, & honorentur ab omnibus. Iſtis dici poteſt illud beati Pauli; *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* 1. ad Cor. 8. Quinta ſcrutatio, eſt mercenaria, & quæſtuoſa: ſanè quàm turpe eſt, diuinam Scripturarum ſcientiam vænalem facere, & quæſtui ſubiicere. Sexta ſcrutatio, eſt Diabolica: cùm propterea quis ſcrutatur diligenter, ac ſubtiliter Sacras litteras, vt verum earum intellectum deprauet, & Scripturæ teſtimoniis abutatur ad alios decipiendos, & oppugnandam veram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam. Hoc faciunt Hæretici, magiſtrum ſuum imitati Diabolum, Matth. 4. qui tentans Dominum noſtrum in deſerto, diuinæ Scripturæ teſtimoniis, in nonageſimo Pſalmo productis, ſecundum falſam, & prauam eorum intelligentiam, abuſus eſt. Atque huiuſmodi quidem eſt ſextuplex, quam expoſuimus, mala, & noxia ſcrutatio diuinarum Scripturarum.

91 Contrà verò, bona, & vtilis Sacræ Scripturæ ſcrutatio eſt, quæ fit cum fide, cum pietate, & humilitate; & fit in rebus fructuoſis, & ad ſpiritualem animorum noſtrorum profectum pertinentibus; & fit eo conſilio, atque animo, vt & ipſi promoueamus in cognitione veritatis, in DEI amore, in exercitatione virtutum, & in *Qualis ſit bona, & vtilis diuina Scripturæ ſcrutatio.*

errorum atque vitiorum euerſione; vt alios fideles in his, quæ ad fidem, & pietatem ſpectant, erudire, ac confirmare: infideles verò, veritatíſque hoſtes confutare, & profligare, ac demùm Eccleſiæ Catholicæ prodeſſe quoquo modo poſſimus. Veriſſima enim illa beati Pauli ſententia eſt in tertio capite poſterioris Epiſtolæ ad Timothæum; ***Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo*** DEI, ***ad omne opus bonum inſtructus.*** Non igitur refert, quid ſtudeas, aut ſcruteris: ſed quo modo. Vnde Apoſtolus in capite octauo prioris Epiſtolæ ad Corinthios ait; ***Si quis exiſtimat ſe ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire.***

Quemadmodum porrò qui verſantur in tractatione diuinarum 92
Scripturarum, eis & ſtudendum, & diſcendum ſit, præclarè docet eos Sanctus Bernardus in ſermone trigeſimo ſexto ſuper Cantica; hunc in modum ſcribens; Paulus non probat multa ſcientem: ſi ſciendi modum neſcierit: & fructum ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit. Sed quis eſt iſte modus ſciendi? Vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat. Quo ordine, vt id prius, quod eſt maturius, & opportunius ad ſalutem. Quo ſtudio, vt id ardentius, quod vehementius ad amorem DEI promouet. Quo fine, vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliud ſimile: ſed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi. Sunt enim qui ſcire volunt, eò tantùm vt ſciant: & hæc turpis curioſitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt: quos videlicet ſubſannat ille Satyricus; Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter. Sunt etiam, qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant; pro mercede ſua vel pecuniam, vel honorem exigentes; & turpis quæſtus eſt. Sed etiam ſunt alij, qui ſcire volunt, vt ædificent: & charitas eſt. Et item ſunt, qui ſcire volunt vt ædificentur ipſi; & prudentia eſt. Ac de ſupradictis quinque generibus hominum ſcire ſtudentium, duo tantùm vltima ſcientiæ ſtudio minimè abutuntur; quippe qui eò ſcire volunt, vt bene faciant: de quibus dictum eſt à Dauide; ***Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*** Cæteri autem, qui aliter ſcire ſtudent, audiant quod ſcripſit Iacobus Apoſtolus; ***Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi.*** Et Lucas; ***Seruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens***

Sanctus Bernardus.

Quinque genera eorũ, qui ſtudent doctrinæ Sacrarum litterarum.

Perſius.

Pſalm. 110.

Iacob.4.

Luc.12.

faciens digna, plagis vapulabit multis. Hactenus ex ſancto Bernardo.

VIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. VER.43.

93 QVID eſt, CHRISTVM veniſſe in nomine Patris ſui? Hoc ſanè, veniſſe miſſum à Patre; omnia facere ex eius voluntate, & mandato; nihil facere, aut docere, niſi auctoritate, poteſtatéque à Patre ſibi data: denique in omnibus, quæ faciebat, aut docebat, non ſuam: ſed Patris gloriam quæſiuiſſe, & ad eius honorem omnia retuliſſe. Sed illud profectò, quod Iudæis Dominus dixit; *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*: ita planè illis contigit: vt à Domino prædictum eis fuerat. Nam qui verum CHRISTVM accipere noluerunt, plures poſteà Pſeudochriſtos, ingenti cum ipſorum exitio, receperunt. Simile eſt, quod de illis Paulus ſcripſit in ſecundo capite poſterioris Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes; *Eò quòd*, inquit, *charitatem veritatis non receperunt: vt ſalui fierent, mittet illis* DEVS *operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes, qui non credunt veritati: ſed conſenſerunt iniquitati.*

94 Multa extant in veteribus hiſtoriis exempla pſeudòprophetarum, à quibus, poſt CHRISTI aduentum, ſeducti ſunt Iudæi. Horum vnus fuit quidam Ægyptius, qui adiunxit ſibi tria millia Iudæorum: de quo legenda ſunt, quæ ſcripſit Ioſephus in capite duodecimo libri ſecundi de bello Iudaico: & in capite ſexto libri vigeſimi antiquitatum Iudaicarum. Huius etiam pſeudoprophetæ mentio fit in capite vigeſimo primo libri de Actis Apoſtolorum. Deinde, ſub Adriano Imperatore fuit alius, cognominatus Barchocheba; quod nomen ſignificat aſtrum: cuius hiſtoriam videat lector apud Euſebium in capite ſexto libri quarti hi-

Ægyptius. *Ioſephus.* *Barchocheba.* *Euſebius.*

Barcozba. ſtoriæ Eccleſiaſticæ. Fuit alius præterea, cui nomen Barcozba; id
Galatinus. autem eſt, filius mendacij: de quo multa commemorat Galatinus
in capite vigeſimo primo libri quarti ſui operis.

Denique in nouiſſimis mundi temporibus venturus eſt Anti- 95
Antichriſtus. chriſtus, qui ſe verum eſſe Meſſiá profitebitur, & iactabit: & quem
Iudæi pro Meſſia accepturi ſunt: vt veterum Doctorum, atque
Patrum fert ſententia. Nam quòd Antichriſtus dicturus ſit, ſe
verum eſſe Meſſiam à DEO promiſſum Iudæis, & prædictum à
Prophetis, à pluribus teſtatum Patribus, memoriáque proditum
Irenæus. eſt. Irenæus in libro quinto aduerſus hæreſes de Antichriſto lo-
Ambroſius. quens; Tentabit, inquit, ſe CHRISTVM oſtendere. Ambroſius
in caput vigeſimum ſecundum Lucæ; Ex ſacris, inquit, Scripturis
Theodoretus. diſputabit, ſe CHRISTVM eſſe. Idem tradit Theodoretus ſu-
per ſecundo capite poſterioris Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes. Cy-
Cyrillus Hieroſolymitanus. rillus Hieroſolymitanus in decimaquinta catecheſi; Inducet, in-
quit, Diabolus quendam hominem, (Antichriſtum,) falsò ſeipſum
appellantem CHRISTVM: & per eam CHRISTI appellatio-
nem, Iudæos, qui Meſſiæ aduentum expectant, decipientem. Per
illum itaque alium, quem Dominus prædixit venturum in nomi-
ne ſuo, & acceptum iri à Iudæis: multi de Patribus ſignificatum
eſſe putauerunt ipſum Antichriſtum: qui extremis mundi tem-
poribus věturus eſt. Hoc nempe ſcriptum reliquerunt Chryſoſto-
Chryſoſt. mus, & Cyrillus ſuper hoc ipſo Ioannis loco: & Hieronymus in
Cyrillus. Hieronymus. Epiſtola ad Algaſiam; & Auguſtinus in vigeſimo nono tractatu in
Auguſtinus. Ioannem, & Irenæus, in libro quinto aduerſus hæreſes, & Theodo-
Irenæus. Theodoretus. retus in Epitome diuinorum decretorum: vbi agit de Antichriſto.

VIGESIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 46. Nolite putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud Pa-
trem: eſt qui accuſat vos Moſes, in quo vos ſperatis.
Si enim crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi:
de me enim ille ſcripſit.

Iudæi

96 IVDÆI falſis criminationibus, fictíſque calumniis infamabant CHRISTVM apud plebem: quaſi hominem Moſi contrarium, eiúſque legis contemptorem, atque violatorem: ſed contrà, his verbis CHRISTVS demonſtrat, ſe non modò contrarium non eſſe Moſi: ſed quia Iudæi nolebant ipſi credere, aduerſarium, & accuſatorem eorum fore Moſen. Non ego, inquit, accuſabo vos, quòd credere mihi noluiſtis: ſed ipſe Moſes, cui vos tantam habetis fidem, & tantopere confiditis, accuſat vos. Negat autem CHRISTVS, ſe accuſaturum Iudæos: vel quia non ſolus ipſe accuſaturus eos ſit: vel quia eius accuſatio futura non ſit neceſſaria: vel quia officium accuſatoris non eſt conueniens CHRISTO: vtpotè omnium futuro Iudici. Accuſatio autem Moſis futura eſt iudicialis: vt quæ ad punitionem infidelitatis Iudæorum adhibenda ſit. De eo autem Iudæos accuſaturus eſt Moſes, quòd ei credere noluerint: de quo ipſe tam ſæpe, támque euidenter teſtificatus fuerit, multáque de ipſo in ſcriptis ſuis prodiderit.

97 Sed videamus, vbi & quid Moſes de CHRISTO Domino ſcripſerit. Dupliciter profectò Moſes de Domino noſtro ſcripſit. Primò, variis modis eum præfigurando, & adumbrando: deinde, plura, & manifeſta de eo vaticinia ſcribendo. Ac primò quidem Moſes CHRISTVM variè figurauit: tum per ſeipſum, & in ſua perſona: tum per alias res, quæ in eius lege continentur. Per ſemetipſum figurauit Moſes CHRISTVM variis modis. Primò; Hebræum populum ſeruitute Ægyptiaca liberando. Secundò; per mare rubrum, demerſis in profundum mare Ægyptiis, illæſum traducendo eum. Tertiò, per virgam ſuam multa, & magna efficiendo prodigia. Quartò, in monte ſublatis in cœlum manibus Amalechitas vincendo. Quintò; amaras aquas, iniecto in eas ligno, dulces faciendo. Sextò; impetrando manna in cibum populi, & aquam de petra eliciendo. Septimò; ſuper monte Sinay promulgando Iudæis legem. Octauò; quia Moſes non introduxit populum in terram promiſſionis: ſed Ioſue: qui propterea, cùm antea Oſee, vel Auſe nominaretur, poſteà, mutato nomine, appellatus eſt IESV, vel Ioſue. Nonò; quia Moſes mortuus eſt: ſed non potuit inueniri corpus eius poſt mortem. CHRISTVS quoque

Moſes in ſeipſo præfigurauit Chriſtum nouē modis.

Deut. vlt.

que mortuus eſt: ſed quia reſurrexit à mortuis, non potuit corpus eius inueniri in ſepulchro: quocircà Angeli dixerunt; *Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non eſt hic: ſed ſurrexit.*

Luc.24.

Per quas res in lege præſcriptas Moyſes præſigurauerit Christum.

Moyſes etiam per alias res in eius lege præſcriptas variè præſi- 98
gurauit CHRISTVM. Primò, per agnum paſchalem: cuius ſanguine tinctis ſuperliminaribus domorum, quæ inibi erant primogenita, ſeruabantur à cæde. Deinde, per ſerpentem æneum in ſublime ſublatum: cuius aſpectu ſanabantur percuſſi à ſerpentibus. Ad hæc, per hircum emiſſarium: ſuper cuius capite ponebantur peccata totius populi. Denique, quia fugitiui, & exules, non poterant, ſecundum legem Moyſis, in patriam reuerti, priuſquàm moreretur ſummus Pontifex.

Vaticinia de Christo à Moyſe ſcripta.

Nec verò tantùm figuratè, & adumbratè ſcripſit Moyſes de 99
Domino noſtro: ſed apertis etiam, expreſſiſque ſententiis, atque vaticiniis. Primò, Geneſis 3. vbi loquens DEVS ſerpenti de ſemine mulieris, dixit; *Et ipſum conteret caput tuum.* Secundò, Geneſis 22. dixit Dominus Abrahæ; *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Tertiò, Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium.* Quartò, Exodi 3. *Obſecro, Domine, mitte, quem miſſurus es.* Quintò, Numerorum 24. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth.* Sextò, luculentiſſimum, & grauiſſimum de CHRISTO teſtimonium, & vaticinium in decimo octauo capite Deuteronomij à Moyſe ſcriptum eſt, his verbis; *Et ait Dominus mihi, Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. Propheta autem, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret: aut ex nomine alienorũ Deorum, interficietur.* Iſtum Prophetam non alium futurum fuiſſe, quàm Dominum noſtrum, indubiè credendum eſt; cùm de eo interpretati ſint iſta verba beatus Petrus, & Stephanus in tertio, & ſeptimo capite libri de Actis Apoſtolorum. Petri verba ſunt hæc: *Moyſes quidem dixit: Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis iuxta omnia, quæcunque locutus fuerit vobis.* Stephanus

Locus Deuteronomij cap. 18.

nus autem hæc dixit; *Hic eſt Moſes, qui dixit filijs Iſrael: Prophetam ſuſcitabit vobis* DEVS *de fratribus veſtris, tanquã me, ipſum audietis.* Enimuerò, ſimillimum vero eſt, cùm CHRISTVS dixit hoc in loco Moſen ſcripſiſſe de ipſo; hunc præcipuè Deuteronomij locum ſpectaſſe: eò namque loco fit mentio Prophetæ venientis, & loquentis in nomine DEI; & alterius pſeudoprophetæ in nomine ſuo venientis & loquentis: ſicut Dominus dixit hoc in loco; *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.*

VIGESIMAQVARTA DISPVTATIO.

Aduerſus Fauſtum hæreticum Manichæum, qui peruicaciter negauit, vllum fuiſſe de CHRISTO *propriè ſcriptum à Moſe teſtimonium, aut vaticinium.*

100 FAVSTVS Manichæus: vt refert beatus Auguſtinus in libro decimo ſexto eorum triginta trium librorum, quos aduerſus eum ſcripſit; totam hanc ſententiam Domini: qua dictum eſt Moſen ſcripſiſſe de ipſo, prorſus abiudicabat, & reijciebat; negans id fuiſſe à CHRISTO dictũ, & à Ioanne in hac ſua Euangelica hiſtoria proditum: ſed falsò ab aliis fuiſſe adiectum: id verò tripliciter argumentabatur. Primò, ſi CHRISTVS dixiſſet Iudæis, multa de ipſo ſcripſiſſe Moſen: proculdubiò petiuiſſent illi ab ipſo, vt proferret locum aliquem, & teſtimonium Moſis de ipſo; neque hoc referre Ioannes prætermiſiſſet. Deinde, verba hæc, quæ dicitur CHRISTVS locutus Iudæis, ſunt valde inconſequentia, & incongrua, & ſecum ipſa pugnant. Si enim Iudæi ſperabant in Moſe: quomodo non credebant ei, vt exprobratur eis hoc loco? Et quomodo conſequens eſt, vt ſi Iudæi credebant Moſi, propterea credere deberent etiam CHRISTO; cùm contrarium potiùs concludi deberet? Propterea enim illi CHRISTO non credebant, quia credebant Moſi, cũ contrarium eſſe CHRISTVM putabant: certò hoc iactabant in publico, Dominum IE-

Tria Fauſti Manichæi cõtra hũc locum argumenta.

ſvm criminantes, tanquam Moſaicæ legis contemptorem, & violatorem.

Sed illud vehementiùs vrgebat Fauſtus, affirmans, nihil in Scriptura Moyſis repetiri, quod expreſsè, ac propriè ad Dominum Iesvm pertineret: quamquam multa Catholici per accommodationem, & applicationem, ſecundum quandam analogiam, ad Iesvm ex Scriptura Moyſis transferre ſoleant: ex ſuo videlicet magis ingenio, & arbitrio, quàm ex proprio ſenſu Moyſis. Sanè, duo ſunt teſtimonia Moyſis, quæ, vt de Christo expreſsè dicta, crebro ſermone vſurpant Catholici: ſed neutrũ profectò ad ipſum Iesvm verè pertinet. Et vnum quidem teſtimonium eſt illud pauló ſuprà commemoratum; *Prophetam ſuſcitabo illis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui.* Hoc autem non pertinuiſſe ad Iesvm, duobus hiſce argumentis probabat Fauſtus. Nam nec Iesvs fuit ſimilis Moyſi; ſed perquam diſſimilis: quemadmodum nempè lex, & Euangelium. Et hoc Dei promiſſum, ſiue prædictum, liquidò conſtat, completum fuiſſe in Ioſue, qui poſt Moyſen proximè ſucceſſit in principatum. 101

Locus Deuteronomij cap. 18.

Alterum teſtimonium: quod ex Scriptura Moyſis Catholici transferunt ad Iesvm, eſt in vigeſimo octauo capite Deuteronomij proditum à Moyſe, illis verbis; *Et erit vita tua pendens ante te, & non credes vitæ tuæ.* Hoc interpretantur Catholici de Iesv pendente, ac manente in cruce: cæci ſcilicet Iudæi non ſolùm non crediderunt: ſed ei illuſerunt, & inſultarunt, & necem intulerunt. Sed profectò, Fauſtus inquit; illud dictum Moyſis, vnum eſt de pluribus aliis eo loci commemoratis maledictis, & ſuppliciis, quibus minatus eſt Devs percuſſurum, & puniturum ſe Iudæos, ſi legem à ſe datam violaſſent. Et germana illorum verborum hæc eſt ſententia: Geres perpetuò vitam tuam pendentem ante te; id eſt, maximis conflictaberis, & premeris anguſtiis, & periculis, in extremo vitæ verſans diſcrimine, & ſemper vitam agẽs ex incerto pendentem; itaque viues, vt iam iam moriturus, omníque viuendi præſidio, & ſpe deſtitutus. Et hæc quidem ille Fauſtus Manichæus; hæretico; id autem eſt, contumaci, impudenti, ſuperbo, & blaſphemo animo, atque ore contra ſacram huius loci Scripturam, & Domini noſtri ſententiã, non minùs imperitè, quàm impiè diſputabat. 101

Locus Deuteronomij cap. 28.

VIGE

VIGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

Tria Fauſti ſuprà dicta ſoluuntur argumenta.

103 FAVSTI calumnias, & blaſphemias Beatus Auguſtinus in libro decimoſexto eorum, quos aduerſus eum ſcripſit, copioſè, doctéque confutauit. Nos in præſentia Fauſto, ad tria eius, quæ ſuprà retulimus, argumenta breuiter dumtaxat reſpondebimus. Ad primum; Multa interuenire potuerunt, cur Iudæi non requiſiuerint à Domino aliquod de ipſo teſtimonium Moyſis, quæ Ioannes non putauerit eſſe ſcriptis prodenda. Sanè, illud exiſtimare licet, factum id eſſe à Iudæis aſtutè, ac malitioſè, ne prolato Moyſis teſtimonio, manifeſtè ipſi redarguerentur, & conuincerentur contumaciæ, atque infidelitatis ſuæ.

104 Ad ſecundum, Nulla eſt in verbis Domini noſtri inconſequentia, nedum repugnantia. Etenim Iudæi in vniuerſum quidem credebant vera eſſe, quæcunque ſcripſerat Moyſes: ſed non credebant, ea ipſa ſcripta Moyſis, eiúſque dicta pertinere ad Dominum IESVM, & in eo compleri. Deinde; Si Moyſes multa teſtificatus eſt de Domino IESV: vt ipſe dixit, nónne conſequens erat, Iudæos, qui repudiabant Dominum IESVM, teſtimonia quoque Moyſis repudiare?

Ad tertium: Qua fronte, & quo ore auſus eſt iſte Fauſtus negare, illud vaticinium à Moyſe ſcriptum; *Prophetam ſuſcitabo eis*, non eſſe dictum de Domino IESV: cùm affirmatè tradant de eo fuiſſe ſcriptum à Moyſe Beatus Petrus, & protomartyr Stephanus in libro de Actis Apoſtolorum, vt ſuprà commemoratis eorum verbis oſtendimus? Ridiculè porrò Fauſtus demonſtrare voluit, Dominum IESVM non fuiſſe ſimilem Moyſis; quinetiam fuiſſe diſſimilem eius: nam vt quibuſdam rebus fuit diſſimilis: ita pluribus aliis fuit ſimilis. Fuit enim vterque liberator populi: fuit vterque legiſlator: fuit ingentium prodigiorum, & miraculorum vterque patrator. Nec officit huic ſententiæ, quòd illud DEI vaticinium à Moyſe ſcriptum quadret, & congruat in Ioſue: nam & hic ipſe Ioſue multis rebus inſignem, atque illuſtrem figuram, &

imaginem Domini IESV prætulit: vt quod illi aliquatenùs congruit, id ex toto, perfectéque in Dominum IESVM conueniat.

Iam verò illud ex vigeſimo octauo capite Deuteronomij; *Et* 105
erit vita tua pendens ante te, licèt, vt maledictum ad Iudæos DEI legem violantes pertineat: aptiſſimè tamen quadrat ad Dominum IESVM: nec incongruum eſt exiſtimare, illa ipſa maledicta, quæ in eo Deuteronomij loco recenſentur à Moſe, quaſdam fuiſſe vmbras aliorum grauiorum malorum animi, & corporis, quæ Iudæis erant, propter contemptam legem Euangelicam, Ieſúmque reiectum ab ipſis, atque interfectum, euentura.

VIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Duo ex illis ipſis Domini verbis ducta explicantur documenta.

IN ſuprà dictis verbis, quæ Dominus dixit Iudæis, & 106
Ioannes retulit hoc loco, duo eſſe videntur digna obſeruatione. Alterum eſt, CHRISTVM miſiſſe Iudæos ad lectionem, & ſcrutationem ſacrarum Scripturarum: cùm dixit eis; *Scrutamini Scripturas*: quòd inde veritas doctrinæ, quam prædicabat CHRISTVS: & infidelitas Iudæorum, qui eam reiiciebant, manifeſtè demonſtraretur, & comprobaretur. Quod nobis certo debet eſſe documento, nullum valentius argumentandi genus aduerſus Iudæos afferri poſſe, quàm quod ex diuinis petitum, & depromptum eſt Scripturis. Nec aduerſus duntaxat Iudæos: ſed etiam aduerſus Gentes id valet plurimùm: cùm illis oſtenditur, quæ de CHRISTO, & de eius lege prædicant Chriſtiani, ea fuiſſe multis retrò ſæculis, & in ſacris libris ſcripta, teſtatáque & à ſanctis vatibus prædicta. Nec ſanè poteſt vlla eis incidere ſuſpicio, ea vaticinia eſſe à Chriſtianis cõficta; cùm libros, in quibus ea continentur, multis annis ante CHRISTI aduentum Iudæi, Chriſtianorum hoſtes, habuerint, hodiéque habeant.

Probatio Fidei Chriſtianæ ex Sacris veteris Teſtamẽti Scripturis ducta, validiſſima eſt aduerſus Iudæos, & Gentiles infideles.

Auguſtinus. Hac etiam de cauſa putat Auguſtinus, ſingulari quodam, & ſalutari conſilio, & voluntate DEI factum eſſe, vt Iudæi per omnes mundi terras, cunctáſque nationes diſperſi fuerint: quò per eos notitia ſacrorum voluminum permanaret ad omnes gentes: quibus

bus erat à Chriſtianis fides, & lex CHRISTI prædicanda, & eorum voluminum teſtimoniis comprobanda. Itaque hoc genus argumentationis firmiſſimum, & validiſſimum eſſe cenſet Beatus Auguſtinus in capite quadrageſimo ſeptimo libri decimi octaui de Ciuitate DEI, & in capite vigeſimo primo libri decimi ſexti contra Fauſtum. *Auguſtinus.*

107 Alterum documentum, etiam hoc loco dignum obſeruatione, præbent nobis illa Domini verba; *Si autem litteris illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Quibus verbis Dominus hoc ſignificat eſſe diſcrimen inter Moſen, & ſe: quòd ille multa literarum monumentis conſignauerit, ſcriptiſque prodiderit; ipſe verò multa quidem locutus ſit: nihil tamen à ſe ſcriptum reliquerit poſteris. Narrat Auguſtinus in capite octauo, & nono, & decimo libri primi de Conſenſu Euangeliſtarum, fuiſſe à quibuſdam gentilium peruulgatum, CHRISTVM aliquot libros ſcripſiſſe de artibus magicis: per quas artes & ille faciebat miracula, eiſdémque artibus imbuti, infectique ſectatores eius, ſimilia quoque fecêre prodigia. Sed iſtorum impudens mendacium manifeſtis argumentis redarguit, & refellit Auguſtinus eo, quo dixi, loco. *Auguſtinus.*

108 Cur autem CHRISTVS Dominus nihil à ſe ſcriptum reliquerit poſteris, diſputat Beatus Thomas in tertia parte quæſtionis quadrageſimæ ſecundæ, articulo quarto. Nimirum, decebat tantam CHRISTI auctoritatem, atque maieſtatem, vt potiùs ipſe faceret, quæ ſcribenda erant, quàm ipſe ſcriberet: & reuelaret aliis, quæ ſcribi de ipſo debebant, ſuámque illis auctoritatem commodaret. Et quia res CHRISTI, ſummè prædicabiles, & admirabiles erant, conuenientius fuit ad fidem eis rebus conciliandam apud infideles, ſcribi, & commemorari eas ab aliis, quàm ab ipſo CHRISTO. Denique, voluit CHRISTVS, quæ ſuo inſtinctu, & impulſu ſcripturi erant alij: ea non minorem habere fidem, & venerationem, quàm ſi ab ipſo ſcripta fuiſſent. Semel ſcripſiſſe aliquid CHRISTVM legimus in capite octauo huius Euangelij, cùm aduerſus accuſatores mulieris adulteræ, inclinans ſe deorſum, digito ſuo ſcripſit in terra: de qua ſcriptura dicturi ſumus cùm ad eum locum huius Euangelij ventum erit. Ferebatur etiam olim Epiſtola quædam CHRISTI, ab eo ſcripta ad Abgarum regem *S. Thomas.* *Cur nihil à ſe ſcriptũ Chriſtus reliquerit poſteris.*

Epiſtola Chriſti ad regem Abgarum.

Edeſſæ: quam Epiſtolam refert Euſebius in capite decimo tertio libri primi de hiſtoria Eccleſiaſtica: ſed eam Epiſtolam, vt apocrypham, Gelaſius Papa reiecit in diſtinctione 15. cap. ſancta Romana Eccleſia.

Pythagorã & Socratem nihil ſcripſiſſe. Auguſtinus.

Duo quondam apud Gentes Philoſophorum memoratiſſimi, Pythagoras, & Socrates, nihil ſcripſiſſe perhibentur: quamquam Socrates, referente Beato Auguſtino in capite ſeptimo libri primi de conſenſu Euangeliſtarum, dicatur ſcripſiſſe pauculis verſibus fabellas Æſopi, impulſus, & coactus, vt ipſe dicebat, à ſuo Dæmonio. Auguſtini hac de re verba ſunt huiuſmodi; Pythagoras; quo in contemplatiua virtute nihil tunc habuit Græcia clarius, non tantùm de ſe: ſed nec de vlla re aliquid ſcripſiſſe perhibetur. Socrates autem, quem in actiua philoſophia omnibus prætulerunt: ita vt etiam Apollinis teſtimonio ſapientiſſimus omnium pronunciatus fuerit, Æſopi fabulas pauculis verſibus proſecutus eſt, verba & numeros ſuos adhibens rebus alterius. Vſque adeò autem nihil ille voluit ſcribere, vt hoc ipſum etiam ſe coactum imperio ſui Dæmonis feciſſe dixerit: ſicut nobiliſſimus diſcipulorum eius Plato commemorat: In quo tamen opere maluit alienas, quàm ſuas exornare ſententias. Sic eo loci Auguſtinus.

CAPVT

CAPVT SEXTVM
EVANGELII IOANNIS.

POST hæc abijt IESVS trans mare VERS. 1.
Galilææ, quod eſt Tiberiadis: * & ſe- 2
quebatur eum multitudo magna: quia
videbant ſigna, quæ faciebat ſuper
his, qui infirmabantur. * Subijt ergo 3
in montem IESVS: & ibi ſedebat
cum diſcipulis ſuis. * Erat autem pro- 4
ximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.
* Cum ſubleuaſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet quia multi- 5
tudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum; Vnde ememus
panes, vt manducent hi? * Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe 6
enim ſciebat quid eſſet facturus. * Reſpondit ei Philippus: Du- 7
centorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnus quiſque
modicum quid accipiat. * Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, An- 8
dreas frater Simonis Petri; * Eſt puer vnus hîc, qui habet quin- 9
que panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tan-
tos? * Dixit ergo IESVS; Facite homines diſcumbere: Erat au- 10
tem fænum multum in eo loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero
quaſi quinque millia. * Accepit ergo IESVS panes: & cùm gra- 11
tias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus
quantum volebant. * Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis; 12
Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. * Collegerunt 13

ergo,

ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quin-
que panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducaue-
14 *rant.* * *Illi ergo homines, cùm vidiſſent, quod* IESVS *fecerat ſi-*
gnum, dicebant; Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt
15 *in mundum.* * IESVS *ergo cùm cognouiſſet quia venturi eſſent,*
vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem
16 *ipſe ſolus.* * *Vt autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius*
17 *ad mare.* * *Et cùm aſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in*
Capharnaum: & tenebræ iam factæ erant: & non venerat ad
18 *eos* IESVS. * *Mare autem, vento magno flante, exurgebat.*
19 * *Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut trigin-*
ta, vident IESVM *ambulantem ſupra mare, & proximum na-*
20 *ui fieri: & timuerunt.* * *Ille autem dicit eis; Ego ſum, nolite ti-*
21 *mere.* * *Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & ſtatim nauis*
22 *fuit ad terram, in quam ibant.* * *Altera die, turba, quæ ſtabat*
trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, niſi vna: &
quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis IESVS *in nauim: ſed ſoli*
23 *diſcipuli eius abiiſſent:* * *alia verò ſuperuenerunt naues à Tibe-*
riade iuxta locum: vbi manducauerant panem, gratias agente
24 *Domino.* * *Cùm ergo vidiſſet turba: quia* IESVS *non eſ-*
ſet ibi, neque diſcipuli eius, aſcenderunt in nauiculas, & vene-
25 *runt Capharnaum quærentes* IESVM. * *Et cùm inueniſſent eum*
26 *trans mare, dixerunt ei; Rabbi, quando huc veniſti?* * *Reſpon-*
dit eis IESVS, *& dixit; Amen, amen dico vobis: quæritis me:*
non quia vidiſtis ſigna; ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſa-
27 *turati eſtis.* * *Operamini non cibum, qui perit: ſed qui permanet*
in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim
28 *Pater ſignauit* DEVS. * *Dixerunt ergo ad eum; Quid facie-*
29 *mus vt operemur opera* DEI? * *Reſpondit* IESVS, *& dixit*
30 *eis; Hoc eſt opus* DEI, *vt credatis in eum, quem miſit ille.* * *Di-*
xerunt ergo ei; Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, &
31 *credamus tibi? Quid operaris?* * *Patres noſtri manducauerunt*
manna

manna in deſerto: ſicut ſcriptum eſt; Panem de cœlo dedit eis
manducare. * *Dixit ergo eis* IESVS; *Amen, amen dico vobis:* 32
Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo: ſed Pater meus dat vo-
bis panem de cœlo verum. * *Panis enim* DEI *eſt, qui de cœlo* 33
deſcendit, & dat vitam mundo. * *Dixerunt ergo ad eum; Do-* 34
mine, ſemper da nobis panem hunc. * *Dixit autem eis* IESVS; 35
Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit
in me, non ſitiet vnquam. * *Sed dixi vobis quia & vidiſtis me,* 36
& non creditis. * *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: &* 37
eum, qui venit ad me, non eijciam foras: * *quia deſcendi de cœ-* 38
lo, non vt faciam voluntatem meam: ſed voluntatem eius, qui
miſit me. * *Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me, Patris: vt* 39
omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo; ſed reſuſcitem illud in
nouiſſimo die. * *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me,* 40
vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æter-
nam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. * *Murmurabant* 41
ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: ego ſum panis viuus, qui de cœlo
deſcendi: * *& dicebant; Nónne hic eſt* IESVS *Filius Ioſeph, cu-* 42
ius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic:
Quia de cœlo deſcendi? * *Reſpondit ergo* IESVS, *& dixit eis;* 43
Nolite murmurare adinuicem. * *Nemo poteſt venire ad me, ni-* 44
ſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in
nouiſſimo die. * *Eſt ſcriptum in Prophetis; Et erunt omnes doci-* 45
biles DEI. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad*
me. * *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à* DEO, 46
hic vidit Patrem. * *Amen, amen dico vobis; Qui credit in me,* 47
habet vitam æternam. * *Ego ſum panis vitæ.* * *Patres veſtri man-* 48. 49
ducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. * *Hic eſt panis de* 50
cœlo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.
* *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.* * *Si quis manduca-* 51. 52
uerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo,
caro mea eſt pro mundi vita. * *Litigabant ergo Iudæi adinuicem,* 53

dicentes; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad mandu-
54 *candum?* * *Dixit ergo eis* IESVS; *Amen, amen dico vobis:*
Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſan-
55 *guinem, non habebitis vitam in vobis.* * *Qui manducat meam*
carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: &
56 *ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* * *Caro enim mea, verè eſt ci-*
57 *bus: & ſanguis meus, verè eſt potus.* * *Qui manducat meam car-*
58 *nem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* * *Si-*
cut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui
59 *manducat me, & ipſe viuet propter me.* * *Hic eſt panis, qui de*
cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna,
& mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.
60. 61 * *Hæc dixit in ſynagoga docens in Capharnaum.* * *Multi ergo au-*
dientes ex diſcipulis eius, dixerunt; Durus eſt hic ſermo, & quis
62 *poteſt eum audire?* * *Sciens autem* IESVS *apud ſemetipſum*
quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis; Hoc vos ſcanda-
63 *lizat?* * *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat*
64 *prius?* * *Spiritus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt quicquam.*
65 *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus, & vita ſunt.* * *Sed*
ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. * *Sciebat enim ab initio*
IESVS, *qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.*
66 * *Et dicebat; Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad*
67 *me: niſi fuerit ei datum à Patre meo.* * *Ex hoc multi diſcipulorum*
68 *eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant.* * *Dixit er-*
69 *go* IESVS *ad duodecim; Numquid & vos vultis abire?* * *Re-*
ſpondit ergo ei Simon Petrus; Domine, ad quem ibimus? Verba vi-
70 *tæ æternæ habes:* * *& nos credidimus, & cognouimus quia tu es*
71 CHRISTVS *Filius* DEI. * *Reſpondit eis* IESVS; *Nónne*
72 *ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus eſt?* * *Di-*
cebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus
eum, cùm eſſet vnus ex duodecim.

IN CAPVT SEXTVM DISPVTATIONES QVADRAGINTA SEX.

In priori parte huius ſexti capitis narrantur duo CHRISTI miracula. Primò; miraculum multiplicationis quinque panum,& duorum piſcium: deinde, miraculum ſedatæ ab ipſo in mari Tyberiadis ſæuiſſimæ tempeſtatis:ob eam adductis in ſummum vitæ diſcrimen diſcipulis eius. In poſteriori autem eiuſdem capitis parte exponitur ſubobſcurus ille quidem: ſed planè cæleſti refertus doctrina ſermo, quem CHRISTVS cum Iudæis Capharnaitis habuit de manducanda carne ſua, & bibendo ſanguine.

De miraculo multiplicationis quinque panum, & duorum piſcium Diſputationes octo.

PRIMA DISPVTATIO DE TEMPORE, quo factum eſt iſtud miraculum.

Super illis verbis:

Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum. VERS.4.

1 HIs verbis notauit Ioannes tempus, quo factum eſt hoc miraculum: inſtante ſcilicet feſto Paſcha. Quapropter equidem neſcio, qua ductus ratione dixerit Beda, factum eſſe hoc miraculum eodem die: in diuerſo tamen anno; quo die putat ipſe CHRISTVM adoratum eſſe à Magis,& baptizatum à Ioanne,&

vinum ex aqua feciſſe in nuptiis: in ſexta nimirum die Ianuarij. Cùm igitur hoc miraculum factum ſit poſt illud paralytici ſanati ad probaticam piſcinam: quod etiam circa feſtum Paſcha eſſe factum ſuprà oſtendimus; conſequens eſt, hoc miraculum vno integro anno poſt illud eſſe factum. Ex quo apparet, Ioannem dicta, & facta CHRISTI per vnum integrum annum tacita prӕteriuiſſe: videlicet quӕ ab aliis Euangeliſtis copiosè fuerant literis prodita, ea ipſe retractanda ſibi eſſe non putauit.

Cur hoc miraculũ multiplicationis panum iam expoſitũ ab alijs Euangeliſtis, etiam Ioãnes narrare voluerit.

Sed enim dicet fortaſſe quiſpiam, etiam hoc miraculum multiplicationis panum ſatis accuratè ſcriptum fuiſſe ante Ioannem 2
ab aliis tribus Euangeliſtis, Matthӕo cap. 14. Marco cap. 6. Luca cap. 9. vt ob eandem iſtam rationem narratio huius miraculi omitti debuerit à Ioanne. Sed reſpondendum eſt, duabus de cauſis voluiſſe Ioannem commemorare hoc miraculum: tum vt manifeſtum faceret, qua ex occaſione CHRISTVS ſermonem illum de corpore, & ſanguine ſuo cum Iudӕis habuerit: nempè ſumpta occaſione ex miraculo facto multiplicationis panum: tum etiam quia voluit Ioannes hiſtoriam huius miraculi magis amplificare, exponendo inſignes quinque circumſtantias ab aliis Euangeliſtis prӕtermiſſas: Primam, factum fuiſſe miraculum inſtante feſto Paſcha: Secundam, CHRISTVM, cùm facturus eſſet hoc miraculum, aſcendiſſe montem, & ibi ſediſſe cum diſcipulis: Tertiam, interrogatum fuiſſe à CHRISTO Philippum de ratione paſcendi turbam: quӕ ad ipſum conuenerat: & quid Philippus, & Andreas ad hoc reſponderint: Quartam; illos quinque panes fuiſſe hordeaceos; & fuiſſe penes quendam puerum, qui illic aderat: Quintam, homines illos, viſo tanto miraculo, voluiſſe CHRISTVM facere regem: ideóque CHRISTVM fugiſſe in montem.

Quinque circumſtãtia illius miraculi expoſita à Ioãne, & ab alijs Euangeliſtis prӕtermiſſa.

Quem ӕtatis ſuӕ annũ ageret Chriſtus, cùm feciſ hoc miraculum.

Si miraculum illud aquӕ in vinum mutatӕ in nuptiis, vno an- 3
no factum eſt poſt baptiſmum CHRISTI: vt multi putant: conſequens eſt, quo tempore miraculum hoc factum eſt, eo tempore CHRISTVM fuiſſe duorum, & triginti annorum: & factum fuiſſe hoc miraculum vno anno ante paſſionem, & mortem eius. Sin autem miraculum illud in nuptiis contigit eodem anno, quo CHRISTVS baptizatus eſt, conſequens eſt, hoc miraculum eſſe factum tribus circiter menſibus poſt expletum trigeſimum primum

mum annum ætatis CHRISTI.

4 Exiſtimat Caietanus Ioannem Baptiſtam proximè ante hoc miraculum fuiſſe necatum ab Herode: quia Matthæus narrat, CHRISTVM audita Ioannis nece feceſſiſſe trans mare Tyberiadis,& feciſſe hoc miraculum. Hoc ſi verum eſt;ex eo ſequitur,occiſum eſſe Ioannem Baptiſtam prope feſtum Paſcha, & annos natum duos, & triginta, ſupérque nouem menſes, & vno anno ante mortem CHRISTI: quanquam ſancta Eccleſia feſtum decollationis eius ſub finem menſis Auguſti anniuerſaria ſolemnitate celebret. At verò Ianſennius arbitratur, longè poſt necem Ioannis hoc eſſe factum miraculum: eo probans id argumento, quòd Herodes auditis plurimis CHRISTI miraculis dubitare cœpit,num ille eſſet Ioannes à ſe interfectus, qui reuixiſſet, & illa miracula feciſſet. Ergo omnia illa miracula CHRISTI facta fuerant poſt necem Ioannis:cùm ea tribuerentur Ioanni à mortuis reſuſcitato. Illud itaque, quod Matthæus ſcripſit cap. 14. *Quod cùm audiſſet* IESVS, *ſeceſſit inde in nauicula in locum deſertum ſeorſum, &c.* non eſt referendum ad necem Ioannis Baptiſtæ: ſed ad id, quod idem Matthæus narrare cœperat, Herodem putaſſe occiſum à ſe Ioannem reuixiſſe: vnde narrationem deflexerat ad cauſam necis Ioannis commemorandam. Cùm igitur CHRISTVS audiuiſſet in ea Herodem eſſe opinione: ideóque ſuæ etiam vitæ inſidiaturum, necémque ſibi machinaturum:ne ob eam cauſam populus ad ſeditionem concitaretur: & quia ipſe nec eo tempore, nec in Galilæa, nec ab Herode interficiendus erat, propterea CHRISTVS aliò ſecedere voluit. Et hæc Ianſennij eſt ſententia.

Caietanus. *Quãdo necatus ſit ab Herode Ioannes Baptiſta.*

Ianſennius.

5 Sed profectò Auguſtinus in cap. quadrageſimo quinto libri ſecundi de conſenſu Euangeliſtarum,ſuffragatur Caietano,ſcribens, illud de miraculis CHRISTI relatis ad Herodem, eueniſſe poſt hoc miraculum multiplicationis panum, & à Matthæo per anticipationem eſſe narratum. Eiuſdem quoque Beda ſententiæ eſt; & Auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ.

Auguſtinus.

Beda.

Hiſtoria ſcholaſtica.

SECVNDA DISPVTATIO.

De ſextuplici varietate; quæ cernitur in enarratione huius miraculi apud Euangeliſtas: ſecundum varias nempè circumſtantias: quarum alias alij expoſuerunt; alij verò tacuerunt.

SED ſextuplex varietas, quam in Euangeliſtis obſeruare licet in expoſitione huius miraculi, eſt huiuſmodi: Primò; Alij tres Euangeliſtæ tempus diei, in quo factum eſt hoc miraculum, indicarunt, dicentes, fuiſſe tempus veſpertinum. Lucas enim cap. 9. ita ſcribit; *Dies iam cœperat declinare.* Marcus cap. 6. *Cùm iam hora multa fieret.* Matthæus cap. 14. *Veſpere autem facto.* Sed quomodò poſt factum hoc miraculum, iterùm dicit Matthæus, Veſpere facto CHRISTVM ſolum fuiſſe in monte? An illud prius, *Veſpere facto*, intelligendum eſt, (facto iam initio veſpertini temporis:) illud autem poſterius, interpretandum eſt de veſpertino tempore iam completo, & in noctem deſinente? 6

Secundò; Marcus narrat, homines illos diſcubuiſſe per quinquagenos, & centenos: Lucas dicit, eos diſcubuiſſe quinquagenos per conuiuia: Matthæus & Ioannes de hoc nullum verbum fecerunt. Tertiò; ſolus Matthæus expreſſit, fuiſſe quinque millia hominum, exceptis mulieribus, & paruulis: Alij Euangeliſtæ virorum duntaxat numerum commemorarunt. Quartò; Ioannes narrat, CHRISTVM de panibus, & piſcibus dediſſe diſcumbentibus: cæteri autem Euangeliſtæ ſcribunt, CHRISTVM de panibus, & piſcibus dediſſe diſcipulis, vt ipſi ponerent ante turbas: quare dictum Ioannis interpretandum eſt; ſicut in ſcholis loqui ſolemus; mediatè, non autem immediatè. 7

Quintò; ſolus Marcus narrat, homines illos diſcubuiſſe ſuper viride fœnum, id eſt, ſuper viride gramen, ſiue herbam: nam Græcè eſt χόρτος; propriè ſignificans gramen, ſiue herbam: & ſic apud Matthæum cap. 13. vertit Latinus interpres in illis verbis; *Cùm autem creuiſſet herba, & feciſſet fructum:* vbi ſermo habetur de tritico. Et Marcus cap. 6. quæ appellauerat lilia agri, proximè pòſt 8

vocat

vocat fœnum. Sextò; Ioannes narrat CHRISTVM accepiſſe panes, & gratias egiſſe: tres alij Euangeliſtæ dicunt, illum accepiſſe panes, & ſuſpexiſſe cœlum, & benedixiſſe illis, & fregiſſe. Atque hinc diſcimus, CHRISTVM ante cibum vti ſolitum benedictione: ſicut etiam poſt cibum, gratiarum actione: nam Matthæus cap. 26. ait, poſt vltimam cœnam CHRISTVM cum diſcipulis dixiſſe hymnum: in gratiarum nempe actionem pro ſumpta cœna.

Mos Chriſti in bene dicendo ante cibū, & in gratijs agendis poſt cibum.

TERTIA DISPVTATIO.

De octo diſſonantijs; quæ inter Euangeliſtas videntur eſſe in exponenda hiſtoria huius miraculi.

9 PRIMA diſſonantia in eo videtur eſſe, quòd alij tres Euangeliſtæ narrant, CHRISTVM eſſe à diſcipulis ſollicitatū vt dimitteret turbam: at Ioannes ſignificat, eum præueniſſe diſcipulos, & interrogaſſe Philippum de modo paſcendi turbam illam in eo loco: ſed vtrunque profectò factum eſt; vt docet Auguſtinus in libro ſecundo de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 46. Illud tamen, quod narrant alij tres Euangeliſtæ, prius factum eſt: poſteà verò quod tradit Ioannes. Secunda diſſonantia; Ioannes ait, Philippum reſpondiſſe CHRISTO, ducentorum denariorum panes ſufficientes non fore ad paſcēdam illam turbam, etiamſi modicum quid vnuſquiſque acciperet: Marcus verò ſcribit, dixiſſe id diſcipulos. Sed hoc tripliciter ſolui poteſt; Vel enim id priùs dictum fuit à diſcipulis; & pòſt idem confirmatum à Philippo, cùm eſt interrogatus à CHRISTO: vel id Philippus dixit & ſuo, & aliorum diſcipulorum nomine; vt placet Auguſtino: vel Marcus poſuit pluralem numerum pro ſingulari; vt interdum fit in Sacra Scriptura. Tertia diſſonantia; Ioannes dixit, Andream dixiſſe CHRISTO, ipſos habere quinque panes, & duos piſces: quod tamen eſſe dictum à diſcipulis narrant alij Euangeliſtæ. Sed ad hoc ſimiliter reſpondendum eſt, vt proximè reſponſum eſt ad ſecundam diſſonantiam.

Auguſtinus.

Quarta

Quarta diſſonantia; Ioannes dixit, illos quinque panes fuiſſe penes quendam puerum: cæteri verò Euangeliſtæ ſcribunt, fuiſſe penes ipſos diſcipulos. Sed vel ille puer erat vnus de diſcipulis, & ſectatoribus CHRISTI; vel eos panes ille ferebat in vſum diſcipulorum, eis miniſtrans; & per eum miſſos in cibatum diſcipulorum à religioſis fœminis, vel hominibus. Nec verò nomen, pueri, ſemper in Sacris litteris denotat puerilem ætatem: nam Ioſue, qui fuerat dux belli aduerſus Amalechitas; vt narratur in capite decimo ſeptimo Exodi; poſteà in eiuſdem libri capite trigeſimò ſecundo vocatur puer. Et Dominus noſter poſt reſurrectionem ſuam apparens diſcipulis, eos appellauit pueros: vt refert Ioannes in capite vltimo huius Euangelij. Quinta diſſonantia; Lucas ait, homines illos diſcubuiſſe per quinquagenos: Marcus verò per centenos, & quinquagenos. Sed vel Lucas partem tantùm attingere: Marcus verò totum comprehendere voluit. Vel maxima pars eorum hominum diſcubuit per quinquagenos; & ideò Lucæ hoc tantùm viſum eſt memorandum: Vel viri diſcubuerunt per quinquagenos; quod Lucas tantùm ſpectauit: mulieres verò, ac paruuli per centenos: quod etiam commemorandum Marco viſum eſt. Sexta diſſonantia; Ioannes, & Lucas de numero illorum hominum loquentes aiunt; illos fuiſſe quaſi quinque millia: at Matthæus, & Marcus ſimpliciter, & ſine vlla reſtrictione loquentes, dicunt fuiſſe quinque millia. Verùm ſcire conuenit, morem eſſe diuinæ Scripturæ, iſtiuſmodi minutias numerorum nonnunquam exprimere: interdum autem tacere: ſicut etiam partem numeri, quæ proximè abeſt à toto, & integro numero, nomine totius numeri efferre; de quo legendus eſt Beatus Auguſtinus in libro quæſtionum in Exodum, in quæſtione quadrageſima ſeptima; & in capite vigeſimo quarto libri decimi ſexti de Ciuitate DEI. Quanquam etiam apud Marcum, & Matthæum Græcè eſt illa particula, (ὡσεὶ;) Latinè ſignificans, fermè; vel circiter. Septima diſſonantia; Alij Euangeliſtæ tradũt, peracto miraculo paſcẽdi turbas, CHRISTVM dimiſiſſe eas: Ioannes verò ait, CHRISTVM fugiſſe in montem; quòd ſciret eos homines eſſe paratos facere ipſum regem. Sed vtrunque factum eſt. Illud quidem priùs: hoc autem poſteriùs. Octaua diſſonantia; Poſt illud miraculum Matthæus, & Lucas 10

Mos diuinæ Scripturæ in commemorãdis numeris.

Auguſtinus.

& Lucas ſcribũt, CHRISTVM veniſſe Geneſar, ſiue Geneſareth: de qua terra legendus eſt Ioſephus in libro tertio de bello Iudaico, capite decimo octauo: Marcus autem refert veniſſe eum Bethſaida: Ioannes verò Capharnaum. Verùm ad iſta omnia loca venit IESVS cum diſcipulis non ſimul: ſed paruo interuallo ea diſcurſando. *Ioſephus.*

QVARTA DISPVTATIO.

De diuerſitate huius miraculi ab alio ſimili miraculo multiplicationis panum; quod narrant Matthæus cap. 15. & Marcus cap. 8. Et de ſignificatione illorum nominum, cophinus & ſporta, quibus in ſcribenda hiſtoria horum miraculorum vſi ſunt Euangeliſtæ.

11 HOc miraculum multiplicationis panũ; de quo Ioannes ſcripſit hoc loco, diuerſum fuiſſe ab alio ſimili miraculo; quod Matthæus & Marcus commemorant; ille cap. 15. hic cap. 8. quatuor ex rebus licet cognoſcere. Primò; ex tempore: hoc enim miraculum multiplicationis panum, de quo Ioannes agit, factum eſt cùm in proximo iam eſſet dies feſtus Paſcha; vt ipſemet Ioannes dixit hoc loco: illud autem miraculum: quo tempore factum ſit; Matthæus, & Marcus non indicarunt: Ammonius tamen in capite octauo harmoniæ Euangelicæ: & hiſtoria Scholaſtica tradunt, illud eſſe factum circa feſtum Pentecoſtes. Deinde ex numero panum, qui vtroque in miraculo multiplicati ſunt. Nam in hoc miraculo Ioannes narrat fuiſſe quinque panes, & duos piſces: in illo verò miraculo dicitur fuiſſe ſeptem panes, & paucos piſciculos. Ad hæc, ex numero hominum, qui ſatiati ſunt. Nam Ioannes ait, fuiſſe quinque millia: in illo autem alio miraculo Matthæus, & Marcus ſcribunt fuiſſe quatuor milia virorum. Poſtremò, ex differentia reliquiarum panis, qui ſuperfuit ſatiatis hominibus. Nam Ioannes ait, ſuperfuiſſe duodecim cophinos: illi verò duo Euangeliſtæ tradunt ſuperfuiſſe ſeptem ſportas. *Ammonius. Hiſtoria Scholaſtica.*

Cophinus, & ſporta quid ſignificent.

Sed quid iſta nomina; cophinus; & ſporta, ſignificent, paucis declarandum eſt. Cophinus, Græca vox, ſignificat vas paruæ magnitudinis, & capacitatis: idémque Græcis ſignificans, atque Latinis vocabulum, corbis. Sportam autem fuiſſe malus quippiam, & capacius cophino; liquet ex eo, quod legimus in libro de Actis Apoſtolorum cap. 9. & ex vndecimo capite poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios, Paulum in ſporta demiſſum fuiſſe per murum. Quare fieri potuit, vt ſeptem ſportæ reliquiarum non minus continerent, quàm duodecim cophini. Sed vnde in deſerto cophini, & ſportæ? An in tanta multitudine hominum piſcatorum, & agricultorum, & aliorum, qui merces comportabant, videri mirum non debet repertos fuiſſe duodecim cophinos; & ſeptem ſportas? Vel erant in illa multitudine hominum, qui cophinos venditum ferrent Hieroſolymam in die feſto. Vel potius eo ſignificatur, ſatiatis omnibus illis hominibus, tantum ſuperfuiſſe fragmentorum panis, vt ſufficeret implendis duodecim cophinis, vel ſeptem ſportis. 12

Vnde in illo deſerto cophini, & ſportæ fuerint.

Nonnunquam hæc nomina menſuram quandam ſignificant: nam ſecundum Iulium Pollucem, & Heſychium, cophinus erat menſura Bœotica tam liquidorum, quàm aridorum, capiens tres congios; ſiue decem, & octo ſextarios: ſporta verò; ſiue ſportula Romanis erat genus numiſmatis pendi ſolitum iis, qui ſalutationis, & comitatus cauſa, illuſtrium Romanorum cingebant latera; valens centum quadrantibus, ſiue duobus denariis; & dimidio: quò pertinet illud Martialis; *Da Baiana mihi quadrantes ſportula centum.* Si cophinus igitur capiebat tres congios, ſiue decem, & octo ſextarios; vt dictum eſt; duodecim cophini capiebant triginta ſex congios, ſiue ſexdecim, & ducentos ſextarios. Quoniam autem modius capiebat ſextarios ſexdecim, erat minor cophino duobus ſextariis. Duodecim itaque cophini tantùm capiebant, quantùm tredecim modij, & inſuper dimidius modius. 13

Iulius Pollux. Heſychius. Quod genus menſuræ fuerit cophinus: & ſportula; quod fuerit apud Romanos genus numiſmatis.

QVIN

QVINTA DISPVTATIO.

De alijs quibuſdam multiplicationibus rerum per miraculum factis, & in Sacra Scriptura commemoratis: & de multiplici proportione quadam, & conuenientia, quæ cernitur inter hoc miraculum multiplicationis panum, & Sacramentum Euchariſtiæ.

14 ELIAS quinque multiplicationes rerum per miraculum factas legimus in Sacra Scriptura veteris Teſtamenti. Harum prima fuit, ſecundum quam DEVS ex vna coſta primi parẽtis Adæ totum Euæ corpus formauit. Duæ aliæ multiplicationes factæ ſunt ab Elia; vt narratur in capite decimo ſeptimo libri tertij Regum: & altera fuit in farina; & altera in oleo mirabiliter in vſum Sareptanæ viduæ multiplicatis. Duas item alias multiplicationes fecit Eliſæus: alterã quidem in oleo; alterã verò in viginti panibus hordeaceis; quibus centum viros ſatiauit: & de pane ſuperfuit; vt ſcriptum eſt in quarto capite libri quarti Regum. Dominus etiam noſter duas fecit multiplicationes panum; alteram ſeptem panum ad paſcenda quatuor millia virorum: alteram verò quinque panum in cibum quinque mille virorum. *Geneſ. 2.*

15 Illud porrò dignum eſt obſeruatione, inter huiuſmodi multiplicationem panum, & inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ multiplicem videri eſſe quaſi proportionem quandam, & conuenientiam; vt exiſtimare liceat, illam panũm multiplicationem fuiſſe quaſi præparationem quandam ad præſtruendam, & præmuniendam fidem ei; quod poſteà fieri à CHRISTO debebat in condendo Sacramento Euchariſtiæ. Vnde etiam CHRISTVS poſt hoc miraculum multiplicationis panum ſermonem habuit cum Iudæis de Sacramento corporis, & ſanguinis ſui. Multiplex autem, quæ videtur eſſe proportio, & conuenientia inter illam multiplicationem panum, & Sacramentum Euchariſtiæ, eſt huiuſmodi: Primò, vtrobique CHRISTVS ſimilibus vſus eſt cæremoniis, ſumendo panem in manus ſuas, benedicendo, gratias agendo, frangendo, & dando diſcipulis. Secundò, vtrunque

Sextuplex proportio, & conuenientia inter miraculum multiplicationis panũ, & Sacramentum Euchariſtiæ.

miraculum factum eſt circa tempus Paſcha. Tertiò; quemadmodum illic quinque panibus corporaliter ſatiauit Dominus tot millia hominum: ita Sacramentali hoc cœleſti pane ſpiritualiter innumetabiles ſatiat fideles. Quartò; ſicut illic plus ſuperfuit, quàm fuerat anteà: ita in hoc Sacramento vnum CHRISTI corpus ſufficit paſcendis cunctis fidelibus: nec vnquam conſumitur, nec aliquatenus minuitur, ſempérque integrum ſupereſſe, infinitis aliis nutriendis ſufficiens. Quintò; illic quinque panum facta eſt maxima multiplicatio; & in hoc Sacramento mira quædam fit quaſi multiplicatio corporis CHRISTI: non quidem ſecundum eius ſubſtantiam: ſed ſecundum eſſe Sacramentale; quod habet in hoſtia conſecrata. Nam æquè illud multiplicatur; atque multiplicatur conſecratio hoſtiæ. Et licèt non ſit hæc propriè dicta multiplicatio, nonnullam tamen habet eius ſimilitudinem. Sextò; quemadmodum illic homines illo miraculo multiplicationis illuminati ſunt; vt CHRISTVM non modò vt eximium Prophetam crederent, ac venerarentur: ſed etiam vt regem ſibi eum conſtituere vellent: ita fideles frequentando hoc Sacramentum, & intellectu agnoſcunt, & affectu ſentiunt illum eſſe Regem ſuum, & ſeſe illius arbitrio, & voluntati quoquo modo regendos, & gubernandos libentiſſimè ſubiiciunt. Septimò; ſicut illa panum multiplicatio fuit ratione humana incomprehenſibilis: ita tranſubſtantiatio panis in corpus CHRISTI; quæ fit in hoc Sacramento, omnem creatam exuperat intelligentiam.

Quatuor panũ genera in Sacris litteris cõmemorata.

16 Illud prætereà ſciendum eſt, quadruplicem in Sacris litteris panem commemorari. Nominatur panis, qui propriè dicitur, & eſt panis: panis, inquã, naturalis, & corporalis in vſum corporalis vitæ cunctis hominibus promiſcuè datus: de quo Dauid dixit; *Vt educas panem de terra, & panis cor hominis confirmet.* Alter panis nominatur, qui erat benedictus, & ſanctificatus: tales olim erant in Tabernaculo DEI panes Propoſitionis, quibus veſci, niſi ſolis ſacerdotibus, non licebat; vt Dominus dixit Iudæis apud Matthæum cap. 12. Et quondam in Eccleſia dabatur panis benedictus catechumenis: vt videre licet in capite tertio tertij Concilij Africani: & apud Beatum Auguſtinum in libro de Catechizandis rudibus: & in libro ſecundo de Baptiſmo paruulorum, cap. 26. hodiéque in non

Pſalm. 103.

Leuit. 24.

Cõcilũ Africanum.

Auguſtinus.

nonnullis regionibus datur populo panis benedictus in templis poſt ſacrorum ſolemnia. Tertius panis eſt ſacramentalis: de quo paulò infrà refertur ſermo, quem CHRISTVS habuit; & inter alia dixit; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: & ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Quartus panis eſt metaphoricè, ac myſticè ſic appellatus: nam & verbum DEI panis vocatur: & dicitur panis afflictionis, & anguſtiæ, & doloris, & panis lachrymarum: ſecundum illud; *Cibabis nos pane lachrymarum.* Quin *Pſal.79.* etiam ipſa DEI viſio, & fruitio, & diuinarum rerum in beatis contemplatio, panis nominatur; quò ſpectat illud; *Beatus, qui manducat panem in regno* DEI. *Luc.14.*

SEXTA DISPVTATIO.

De varijs modis, quibus aliter illorum hominum fami ſubueniri poterat à CHRISTO: *& de modo, quo ſubuentum ab eo eſt per multiplicationem panum.*

17 MVLTIS, & variis modis potuit CHRISTVS illorum hominum neceſſitati ſubuenire. Primò, per ſuam virtutem diuinam arcendo ab eis omnem ſitim, & famem, & ſine cibo & potu eos ſuſtentando; quemadmodum ſeipſum in deſerto per quadraginta dies, & anteà Moyſen, ſine cibo, & potu, & ſine fame vlla, & ſiti ſuſtentauit. Secundò: cibos aliunde in eum locum adducendo vel per Angelos, vel per aues, vel per homines: vt in Elia, & in Daniele factum legimus. Tertiò; quinque illos panes non ſecundum numerum multiplicando: ſed ſecundum molem augendo: ſic tamen non fuiſſet tam euidens vulgo miraculum: & id fuiſſet ſatis deforme, & laborioſum, atque operoſum in panum partitione, & adminiſtratione. Quartò; alios panes, aliunde quocunque modo aſportatos; vel de nouo creatos, prioribus quinque panibus addendo: ſed ita non verè dicerentur quinque panes multiplicati, aut per quinque panes ſatiata eſſe quinque millia hominum. Quintò; potuit eorum quinque panum incrementum fieri per rarefactionem: vt quilibet panis ſecundum quantitatem extende-

Matth.4. *Exod.24.& 34.* *3.Reg.19.* *Dan.14.*

retur in maximam amplitudinem. Sed hoc non fuit conueniens: quia neceſſum fuiſſet, panes illos rareſcere vltra raritatem aëris: nec propterea tamen plus habuiſſent ſubſtantiæ, nec maiorem vim nutriendi, nedum ſatiandi tot millia hominum: nec ſupereſſe potuiſſet tantùm fragmentorum. Sextò, per additionem: & hoc dupliciter: vel vt cuilibet parti panis aliam de nouo creatam CHRISTVS adiungeret: vel non per creationem, ſed per conuerſionem alicuius alterius rei in panem: qui modus videtur placuiſſe Beato Auguſtino declaranti hoc exemplo ſeminis, ex quo augeſcunt fruges: ſed hoc differt, quòd ex ſemine corrupto augeſcunt fruges: hæc autem multiplicatio non eſt facta corruptis illis quinque panibus.

Auguſtinus.

Declaratur modus admirandus, quo illa multiplicatio quinque panũ à Chriſto facta eſt. Cur Chriſtus per illum modũ multiplicationis ſatiare homines illos voluerit.

Quo itaque modo illa quinque panum multiplicatio facta ſit, 18
paulò ſubtiliùs, atque enucleatiùs declarandum eſt. Modus, quo CHRISTVS turbam illam hominum paſcere, ac ſatiare voluit, fuit per multiplicationem illorum quinque panum: hunc autem præ cæteris modum CHRISTVS multis de cauſis elegit. Primò, quia eo vti voluit, quod habebat, & cibatui hominum idoneum, & præparatum erat: ſed naturalem eius inſufficientiam ad ſatiandam tantam illam hominum turbam, per miraculum multiplicationis eius ſuppleuit. Deinde, vt Apoſtoli: priuando ſe ſuo cibo, exercerent officium charitatis erga proximum: & experiendo diſcerent, quod datur proximo propter CHRISTVM, id non perire nobis: ſed in maius emolumentum, atque lucrum verti. Ad hæc, quò manifeſtum fieret, eos tantùm panes ſatiare comedentem, & ſatiatis abundè ſupereſſe, qui Dominica, & Apoſtolica benedictione nobis dati ſunt.

De modo, quo illa multiplicatio quinque panum facta eſt.

Illa porrò quinque panum multiplicatio fiebat in manibus 19
CHRISTI, & in manibus diſcipulorum, & in manibus, atque ore comedentium. Sic enim euidentius fiebat omnibus miraculum, & minori labore, ac perturbatione fiebat panis diſtributio, & miniſtratio, & magis ſatisfiebat commoditati, & voluptati comedentium. Cogitare itaque, & exiſtimare licet, illam multiplicationem panum ad hunc modum eſſe factam. CHRISTVS ſumpſit quinque panes in manus ſuas & ſingulos diuiſit in plurimas, & perexiguas partes, quarum vnaquælibet confeſtim ſecundum molem

lem aucta, & multò amplior facta eſt. Deinde, vnicuique diſcipulorum vnam aliquam, vel plures illarum partium ſimiliter diuiſas, & continuò ſecundum molem auctas, porrigebat. Illi poſteà eas ſimiliter diuidentes, & ex diuiſione multiplicatas, & auctas tradebant in manus comedentium; quæ tum in manibus, tum in ore eorum magis, magiſque multiplicabantur, & augeſcebant. Nec fortaſſe temerè putari poſſet, panem illum per CHRISTI benedictionem multiplicatum, longè maiorem habuiſſe vim nutriendi, & ſatiandi comedentes ipſum, quàm habeat panis vulgaris, & vſitatus.

SEPTIMA DISPVTATIO de panibus hordeaceis.

Super illis verbis:

Eſt puer vnus hîc; qui habet quinque panes hordeaceos. VERS. 9.

ANTE alia ſatis mirari, ſimúlque venerari conuenit, tantam CHRISTI, & Apoſtolorum eius victus paupertatem, atque vilitatem. Erat enim CHRISTVS cum duodecim Apoſtolis, erántque plures alij eius diſcipuli, & ſectatores, ad quorum tamen victum, & cibatum ſuppetebat non ampliùs quinque panes, eóſque hordeaceos; & duos piſces. Magno ſanè ad imitandũ exemplo prædicatoribus Euangelij propoſito. Eos námque, ſi volunt haberi imitatores CHRISTI, & Apoſtolorum, quorum in prædicando Euangelio funguntur munere, magnam in veſtitu, & victu, & totius vitæ cultu, non modò deliciarum, & voluptatum: ſed etiam commoditatum minimè neceſſariarum deſpicientiam præ ſe ferre oportet. Ferebat autem terra Palæſtinæ ſatis copioſum, ſatíſque laudatum hordeum; quod fuiſſe triplo vilioris pretij, quàm triticum, non obſcurè ſignificatur in capite ſexto libri Apocalypſis, illis verbis; *Bilibres tritici denario, & treis bilibres hordei denario.* Quia de re nos in tertio tomo noſtrarũ Selectarum Diſputationum in librum Apocalypſis, cùm in

Exemplum, & documentum prædicatoribus Euangelij obſeruandum.

in eorum verborum tractatione verſaremur, copioſè diſſeruimus.

Memorabilis hiſtoria ſomny Gedeonis.

Tria porrò de panibus hordeaceis ſatis mira, memoratúque digna in Sacris litteris narrantur. Horum primum ſit panis ille hordeaceus, per quietem viſus, & victoriã Gedeonis aduerſus Madianitas portendens; de quo in ſeptimo capite libri Iudicum ita ſcriptum eſt; *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis ex hordeo, volui & in caſtra Madian deſcendere: cúmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditùs coæquauit. Reſpondit is, cui loquebatur; Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis. Tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia caſtra eius. Cumq́; audiuiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationẽ eius, adorauit: Et reuerſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait; Surgite; tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian.* Commemorantur etiam in quarto capite libri quarti Regum, viginti panes hordeacei, quibus per benedictionem Eliſæi multiplicatis ſatiati ſunt centum viri: ſic enim eo loci dixit Eliſæus; *Da populo vt comedat: reſpondit q́; ei miniſter eius: Quantum eſt hoc, vt apponam coram centum viris? Rurſus ille ait, Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus; Comedent, & ſupererit. Poſuit itaque coram eis, qui comederunt, & ſuperfuit iuxta verbum Domini.* Eſt prætereà illud memorabile de pane, ex hordeo, aliiſque rebus confecto; quo veſci Ezechielem Prophetam iuſſit Dominus: & ab ipſo Ezechiele in capite quarto ſuæ Propheriæ narratur his verbis; *Sume tibi frumentum, & hordeum; & fabam, & lentem, & milium, & viciam; & mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum; quibus dormies ſuper latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illud. Cibus autem tuus, quo veſceris, erit in pondere viginti ſtateres in die.*

De viginti panibus hordeaceis multiplicatis ab Eliſæo.

Cur Christus nõ dederit illis hominibus vinum ad bibendum.

Sed cur CHRISTVS, qui panes, & piſces dedit illis homini- 22
bus ad manducandum; non item vinum dedit eis ad bibendum? An quia CHRISTVS ſubuenire voluit illis hominibus multiplicando ea, quæ habebat ipſe; panes dico, & piſces; vinum autem ibi non habebat? Nec ſanè illi turbæ hominum piſcatorum, & agricultorum; quibus potus aquæ viſitatus erat, opus fuit vino: nempe potus aquæ & naturalis eſt, & ſalubris homini; niſi cui forte infirmi admodum ſtomachi: DEVS autem per miracula ſubuenire ſolet neceſſitatibus hominum: non autem voluptatibus, & deliciis eorum indulgere. Neque in deſerto Hebræi petierunt à

Exod. 17. Num. 21.

Moyſe

Moyſe vinum: ſed aquam, & carnes. Nec DEVM legimus per miraculum ſubueniendo neceſſitati hominum dediſſe vinum. Neque contra hoc, quod diximus, facit miraculum illud vini ex aqua *Ioan.2.* facti à CHRISTO in nuptiis: tum quia illud miraculum propriè factum eſt ad ſupplendum vini defectum; quod in illo conuiuio defecerat: tum etiam quia in conuiuiis nuptialibus; quæ ſatis copioſa, & lauta eſſe ſolent; vinum cenſetur inter res quodammodo neceſſarias, ſine quibus eiuſmodi conuiuia nec commodè, nec decenter agitari poſſe videntur: præſertim autem in locis, in quibus vini copia non deeſt.

OCTAVA DISPVTATIO.

Cur tantoperè CHRISTVS refugerit haberi ſe ab illis hominibus, & coli tanquàm Regem.

Super illis verbis:

IESVS ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent; vt rapere eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus. VER.15.

23 NARRAT Ioannes, homines illos tanto viſo miraculo multiplicationis panum, voluiſſe CHRISTVM rapere, & facere Regem ſuper ipſos: ob idque CHRISTVM ſolum fugiſſe in montem. Sed quæri poteſt: cur tantoperè CHRISTVS refugerit conſtitui ſe ab illis hominibus Regem: nam reuera erat ipſe Rex Iudæorum: ſicut eum appellauerant Magi, ſtatim vt natus fuerat, dicentes; *Vbi eſt, qui natus eſt, Rex Iudæorum?* Quin *Matth.2.* etiam ipſe pendens in cruce non abnuit, ſuperponi ſibi titulum illum; IESVS *Nazarenus Rex Iudæorum.*

Sed reſpondendum eſt, multis de cauſis CHRISTVM defugiſſe illam regis appellationem, & honorem. Primò; quia alienum erat ab eius dignitate, ipſum ab hominibus cõſtitui regẽ, qui conſtitutus fuerat rex à DEO: ſicut ipſe dixerat ſub perſona Dauidis; *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum* *Pſal.2.*

Quinque cauſa, ob quas Chriſtus noluerit ſe fieri Regem ab illis hominibus.

eius. Deinde,quia homines illi: ſicut etiam cæteri ferè Iudæi,magno in errore verſabantur,exiſtimantes Meſſiæ regnum fore, aliorum more regum, temporale, & ſuppeditaturum ipſis maximam bonorum omnium temporaliũ abundantiam. At in primo CHRISTI aduentu regnum eius tale futurum non erat: ſicut ipſe dixit *Ioan. 18.* Pilato, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Ad hæc, quia homines illi non tam ob CHRISTI reuerentiam, & deuotionem: quàm ſpe ſuarum vtilitatum,ad id mouebantur. Præterea, bene nouerat CHRISTVS inconſtantiam Iudæorum: qui quàm prompti erant tunc ad faciendum ipſum regem; tam prompti poſteà erant futuri ad ipſum perſequendum, & occidendum; vſque adeò mobile Iudæorum erat ingenium,& ad peiora procliuius. Poſtremò,quia illi homines erant in ditione, & ſub dominatu Herodis: quocircà id fieri non potuiſſet ſine magna Herodis perturbatione, & CHRISTI perſecutione. Nam ſi cùm magi venerunt Hieroſolymam quærentes natum regem Iudæorum, vehementer conturbatus eſt *Matth. 2.* Herodes, & omnis Hieroſolyma cum eo: vt ſcribit Matthæus: quanto maior fuiſſet iſtius Herodis perturbatio, audito, CHRISTVM fuiſſe à tot millibus hominum acclamatum, & conſtitutum regem?

Cur Chriſtus in cruce non detrectauerit titulum Regis Iudæorum. Non detrectauit autem CHRISTVS in cruce pendens titu- 24
lum regis Iudæorum: quia notum eſſe omnibus voluit, ſe per crucis mortem comparaſſe ſibi regnum, & imperium in omnes; cui alia omnia imperia, & regna ſubiicienda erant: nempè vt impleretur illud *Eſaiæ 9.* Eſaiæ vaticinium; *Cuius principatus ſuper numerum eius.* Et illud *Pſalm. 95.* Dauidis; *Dominus regnauit à ligno.* Sic enim hæc verba legerunt, & citarunt *Iuſtinus.* Iuſtinus Martyr in Dialogo, quem habuit cum Tryphone *Tertullianus.* Iudæo; & Tertullianus in libro tertio contra Marcionem; & plures alij Patres.

Scientiam futurorum conditionalium colligi ex hoc loco. Illud denique non abs re fuerit, vt quaſi obiter lectorem admo- 25
neamus, ſcientiam, vt vocant, futurorum conditionalium; quæ à pleriſque Theologis hoc tempore aſſeritur; ſatis euidenter poſſe oſtendi,& probari ex eo, quod hîc ſcriptum eſt à Ioanne, IESVM cognouiſſe, ſi remanſiſſet ipſe in eo loco, futurum fuiſſe; vt homines illi venirent, & facerent eum Regem. Habuit igitur CHRISTVS ſcientiam, & cognitionem illius futuri conditionalis; (Si

ego

ego remanſero hîc, venient homines iſti, & facient me regem.) Et habuit ſcientiam, & cognitionem iſtius rei, non probabilem tantùm, ſiue coniecturalem; ſed omninò certam; &, vt ita loquar, infallibilem: non enim in ſcientiam, & cognitionem CHRISTI vlla deceptio, aut error cadere poterat. Hoc nunc ſtrictim attigiſſe, & tantùm ſignificaſſe lectori, ſatis fuerit: de quo ſcilicet à multis, magníſque huius memoriæ noſtræ Theologis ſubtiles admodùm, copioſæque ſcriptæ ſunt diſputationes.

DE MIRACVLO SEDATÆ A CHRISTO in mari tempeſtatis.

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Mare autem, vento magno flante, exurgebat. Cùm re- Ver. 18.
migaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut tri- 19.20.21.
ginta: vident IESVM ambulantem ſupra mare, &
proximum naui fieri; & timuerunt. Ille autem dixit
eis; Ego ſum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere
eum in nauim, & ſtatim nauis fuit ad terram, in
quam ibant.

De diuerſitate huius miraculi ab alijs duobus ſimilibus miraculis; quæ narrantur ab alijs Euangeliſtis.

26 QVEMADMODVM hoc miraculum diuerſum eſſe liquidò conſtat ab alio ſimili miraculo; quod narrant Matthæus, & Lucas cap. 8. & Marcus cap. 4. ita idem eſſe, atque illud, quod tradunt Matthæus cap. 14. & Marcus cap. 6. equidem cenſeo. Siquidem & congruentia temporis, & contextus, atque conſequentia hiſtoriæ; quæ in expoſitione huius miraculi cernitur apud illos tres Euangeliſtas, planè demonſtrat; idem eſſe miraculum ab illis tribus narratum. Omnes etenim narrant, id miraculum contigiſſe

poſt miraculum multiplicationis panum. Omnes item tradunt, IESVM ambulãdo ſuper aquas, & ſedata tempeſtate veniſſe cum diſcipulis in terram, quæ erat trans mare Tyberiadis, quam Matthæus,& Marcus appellant terram Geneſat, ſeu terrã Geneſareth. At enim dicet quiſpiam, in eius miraculi narratione multa eſſe apud illos Euangeliſtas diuerſa. Sunt ſanè:ſed eiuſmodi diuerſitas non arguit diuerſitatem miraculi; ſi aliquot circumſtantias eius vnus exponat; quas alius tacet. Nulla enim fermè eſt apud Euangeliſtas hiſtoriæ cuiuſpiam narratio, in qua iſtiuſmodi diuerſitas non aliquatenus inueniatur.

Diuerſitas inter Euangeliſtas in narratione huius miraculi.

Sed nos iſtam diuerſitatem, quæcunque illa eſt, diſtinctè 27 enarremus. Matthæus,& Marcus tres circumſtantias expreſſerunt à Ioanne tacitas: Primam, CHRISTVM veniſſe ad diſcipulos in quarta vigilia noctis; id autem eſt, prope lucem diei: Secundam; diſcipulos videntes CHRISTVM ambulantem ſuper aquas, primò exiſtimaſſe ipſum eſſe phantaſma: Tertiam; ingreſſo CHRISTO in nauim, protinus ceſſaſſe omninò tempeſtatẽ. Solus Matthæus narrat, Petrum iuſſu CHRISTI venire voluiſſe ad eum ambulantem ſuper aquas: ſed cùm cœpiſſet ambulare, & aliquatenùs mergi, confeſtim à CHRISTO eſſe ſubleuatum; & mollitet, tanquam modicæ fidei, reprehenſum. Eos porrò homines, qui tunc in ea naui erant, tanti ſpectaculo miraculi permotos adoraiuiſſe eum, confitentes, ipſum verè filium DEI eſſe. Solus etiam Marcus duo narrat; Alterum, CHRISTVM, cùm eſſet in littore, vidiſſe diſcipulos ſuos in mari longè diſtantes, & vehementer periclitantes: Alterum verò, quòd CHRISTVS veniens ad eos, voluerit quaſi præterire eos. Denique, Ioannes etiam duo commemorat ab aliis prætermiſſa; & quòd cùm CHRISTVS venit ad diſcipulos, iam illi remigauerant per viginti quinque, aut triginta ſtadia: & quòd ſtatim; vt CHRISTVS venit ad eos, nauis fuit ad littus eius terræ, ad quam ibant.

In miraculo ſedata à Chriſto tempeſtatu, quinque obſeruari miracula.

Cæterùm, ſi quis hiſtoriam huius miraculi attentè legat, penſi- 28 culatéque conſideret, planè cognoſcet, illud CHRISTI factum ſedatæ ab eo tempeſtatis, pluribus aliis miraculis fuiſſe comitatum. Primum miraculũ fuit, quòd; vt refert Matthæus, CHRISTVS in littore manens, diſcipulos ſuos in mari pluſ tribus milliaribus

liaribus inde diſtantes, per denſiſſimas noctis tenebras vidit, vehementer, periculoſeq; periclitantes. Alterum miraculum; CHRISTVS pedibus ſuis ſuper aquas maris, ampliùs tria milliaria ambulauit. Tertium miraculum; Petrus etiam iuſſu CHRISTI ambulauit ſuper aquas; & ne id vel caſu, & fortuito, vel naturæ quapiam virtute occulta fieri putaretur, permiſit CHRISTVS, Petrum aliquantiſper, & aliquatenùs mergi: ſed eum confeſtim ipſe ſubleuauit. Quartum miraculum; omnis illa ventorum vis, & turbulenta maris agitatio, CHRISTI iuſſu, protinus, & omninò compreſſa, atque ſedata eſt. Quintum miraculum; ſtatim vt CHRISTVS nauim illam ingreſſus eſt, ea nauis ſine remigatione, & velificatione in littore eſſe inuenta eſt.

DECIMA DISPVTATIO.

De ambulatione CHRISTI *ſuper aquas maris.*

29 SED qua ratione illa CHRISTI ambulatiò ſuper mare facta ſit, diſquiramus. Non falſum modò: ſed impium etiam, diuinæque contrarium Scripturæ fuit dogma quorundam Hæreticorum, Valentini, & Manichæorum; qui dixerunt, CHRISTVM non habuiſſe verum corpus humanum: ſed eius quandam tantùm ſpeciem, & ſimilitudinem: vel eius corpus è cœleſti formatum eſſe materia; in ſimilitudinem tamen humani corporis figuratum: ideóque facilè ſuper aquas ambulare potuiſſe. Sed iſtos manifeſtè refellit Paulus ſcribens; CHRISTVM factum, ſiue genitum fuiſſe ex muliere, & ex ſemine Dauid. Et in ſecundo capite Epiſtolæ ad Hebræos, ait CHRISTVM habuiſſe carnem, & ſanguinem; ſicut habent alij homines, ita ſcribens; *Quia pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem: vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum. Nuſquàm enim Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit.*

Error Valentini, & Manichæorũ ſuper Chriſti corpore.

Ad Galat. 4.

Ad Rom. 1.

30 Illud verò, quod à nonnullis nec bonis philoſophis, maliſque Chriſtianis dictum eſt, manifeſtam, & ridiculam habet non tantùm ſacræ doctrinæ: ſed etiam humanæ philoſophiæ inſcitiam.

In eos, qui dixerunt, corpus Chriſti naturaliter fuiſſe æquale ad põdus.

 Quidam

Quidam enim dixerunt, corpus CHRISTI fuiſſe temperatum ad æqualitatem ponderis; & ob eam cauſam ſuper aquis poſitum non fuiſſe grauius aquis, & ſuper illas & nare, & ambulare potuiſſe. At enim vera philoſophia docet, eiuſmodi æqualitatem ponderis in humano corpore non poſſe reperiri: naturalis enim ratio temperamenti humani corporis exigit, vt in eo elementum terræ cæteris longè præponderet: Sed aduerſus ſuprà dictos Hæreticos, & iſtos imperitos philoſophos illud eſt valentiſſimum argumentum; quòd non tantùm CHRISTVS ipſe ambulauit ſuper aquas: ſed etiam Petro ambulandi ſuper aquas poteſtatem dedit: vt de pluribus aliis viris ſanctis taceam, quos per diuinam virtutem ſuper aquas ambulaſſe, in probatis hiſtoriis proditum eſt memoriæ.

Quatuor modi, quibus fieri potuit illa Christi ambulatio super aquas.

Qua igitur ratione, quóve modo, illa CHRISTI ſuper aquas 31
ambulatio fieri potuerit, breuiter oſtendamus. Potuit id fieri quatuor modis. Primò; vt CHRISTVS impertiret corpori ſuo, & Petri vim quandam, ſimilem eius, quam habebunt poſt reſurrectionem glorificata hominum corpora propter dotem agilitatis. Deinde vt ſummæ illius maris aquæ, per diuinam virtutem ita ſolidarentur, & durarentur, vt humana veſtigia ſuſtinere poſſent: ad eum nempè modum, quo per aquas gelu conſtrictas, & concretas non ſolùm homines: ſed etiam equi, & currus tranſire poſſunt. Verùm, ſi ita illud factum eſſet, non vtique Petrus cœpiſſet mergi, timens ventum validum. Ad hæc, vt CHRISTVS ſuſpenderet actum grauitatis in ſuo, & Petri corpore; id autem eſt, ne corpus ſua grauitate vrgeret, & premeret aquas deorſum: quemadmodum vrendi actum in illo Babylonico igne ſuſpendit, ne tres illos iuuenes in ardentem fornacem coniectos læderet. (*Dan.* 3.) Poſtremò; vt corpus portaretur ſuper aquas: ſicut Dæmon tulit CHRISTVM per aërem ſupra pinnaculum templi, & montem excelſum (*Matth.* 4.): & Angelus tulit Habacuc ex Iudæa vſque Babylonem (*Dan.* 14.).

SERMO; QVEM DE CORPORE, ET ſanguine ſuo CHRISTVS habuit cum Iudæis Capharnaitis, & coram Apoſtolis, àliiſque diſcipulis, & ſectatoribus ſuis; ſuper quo ſermone tractantur triginta tres Diſputationes.

VNDECIMA DISPVTATIO.

De occaſione habendi hunc ſermonem: & triplici manducatione CHRISTI*: & de diuerſo huius ſermonis exitu, & ſucceſſu reſpectu diuerſorum auditorum.*

32 SERMONVM CHRISTI, quos Ioannes in hac ſua Euangelica hiſtoria commemorat, hic habitus cum Capharnaitis de carne, & ſanguine ſuo, quartum locum tenet. Ante cuius ſermonis explicationem tria præmonere, ac prædocere lectorem conuenit. Primò ſciendum eſt, occaſionem habendi hunc ſermonem cepiſſe CHRISTVM ex miraculo multiplicationis panum ab ipſo facto, & à Ioanne paulò ſuprà enarrato; tum quòd propter illud miraculum numeroſiſſima hominum turba ad eum confluxerat: tum etiam quòd miraculum illud multiplicem haberet analogiam, & proportionem: quam nos ſuprà expoſuimus, cum Sacramento Euchariſtiæ. Cernens itaque CHRISTVS, turbam; quam in deſerto ſatiauerat, ipſum cupidè ſectari, eius cibi ſæpius percipiendi auidam; volens eam à corporalis cibi cupiditate ad deſiderium præſtantioris cibi ſpiritualis traducere, inſtituit hunc ſermonem de diuinioris cibi, & potus dignitate, atque vtilitate.

Quæ fuerit occaſio habendi hūc ſermonem.

33 Eſt autem triplex CHRISTI manducatio. Vna tantùm ſpiritualis: cùm citra ſacramenti perceptionem, per interiores actus fidei, & charitatis CHRISTO vnimur, eiúſque gratiam nobis donatam exercitatione virtutum magis in dies nutrimus, & augemus. Altera manducatio eſt tantùm ſacramentalis; cùm indignè, ac

De triplici modo manducādi Chriſtū.

ac ſine vllo fructu percipitur ſacramentum Euchariſtiæ. Tertia manducatio eſt ſimul ſacramentalis, & ſpiritualis: cùm percipitur ſacramentum Euchariſtiæ cum fide, ac dilectione, & deuotione. Nos Chryſoſtomum, Auguſtinum, Cyrillum, Euthymium, Rupertum, Beatum Thomam, Lyranum, pluréſque alios inprimis graues, & nobiles ſecuti auctores, & germanæ verborum CHRISTI ſententiæ inhærentes arbitramur, CHRISTVM de vtráque manducatione, hoc éſt, partim de ſpirituali, partim de ſacramentali locutum eſſe in hoc ſermone. Nam in priori parte ſermonis, ab illa ſententia; *Operamini cibum, non qui perit*, vſque ad illam ſententiam: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*; CHRISTVS loquitur de manducatione ſpirituali: ídque planè indicant illæ ſententiæ, quas ſermoni ſuo interſerit: *Qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non eſuriet vnquam. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Omnis, qui audiuit à* PATRE, *& didicit, venit ad me: qui credit in me, habet vitam æternam.* In poſteriori autem parte huius ſermonis: ab illis verbis; *Panis, quem ego dabo*; vſque ad finem ſermonis, manifeſtè loquitur CHRISTVS de reali, & ſacramentali ſui corporis manducatione; vt nos oſtendemus cùm eò ventum fuerit. Priùs autem CHRISTVS egit de ſpirituali, quàm de ſacramentali ſui corporis manducatione; quia prior illa eſt, & debet hanc præcedere: ſacramentum quippe Euchariſtiæ non datur fructuosè, niſi in CHRISTVM credenti, & ipſum amanti.

De qua manducatione ſui corporis loquatur Christus in hoc ſermone.

Illud prætereà non eſt ignorandum, ſermonem hunc eſſe à CHRISTO habitum Capharnaū in Synagoga; non coram turbis tantùm: ſed etiam coram viris diuinæ legis, & ſacræ Scripturæ peritis: vt patet ex eorum obiectionibus, & altercatione cum CHRISTO. Aderant autem inibi, præter duodecim Apoſtolos, alij etiam CHRISTI ſectatores, & diſcipuli: de quibus multos hoc ſermone CHRISTI offenſos abiiſſe retrò, id eſt, à diſcipulatu eius deſciuiſſe, narrat Ioannes in fine huius capitis. Huius ſermonis exitus, & ſucceſſus fuit reſpectu diuerſorum valde diuerſus: nàm Capharnaitæ verbis CHRISTI ſcandalizati vehementius ab eo ſunt abalienati, & aduerſus doctrinam eius obfirmati. Contrà verò, Apoſtoli maiorem in modum ſunt in eius fide, & amore confir 34

Corā quibus hominibus Christus hūc ſermonem habuerit.

Qualis fuerit huius ſermonis exitus, & ſucceſſus.

confirmati: cùm enim ex illis quæreret CHRISTVS, an ipſi quoque abire ab ipſo vellent, reſpondit Petrus, omnium ſcilicet aliorum Apoſtolorum nomine; *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: Nos credidimus, & cognouimus quia tu es* CHRISTVS *Filius* DEI. Atque his quidem breuiter prænarratis, ad explicandum ſermonem hunc CHRISTI: ipſo nos iuuante, ac dirigente, ingrediamur.

DVODECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna: ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum, qui perit: ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Ver. 26. & 27.

35 ILLIS verbis, *Operamini cibum*, ſignificatur, omni ſtudio, & opera, & labore contendendum eſſe, vt ſpiritualem, & diuinum cibum percipiamus: is quippè non ignauè deſidioſis: ſed nauiter laborantibus à DEO datur. Si enim nec humana virtus, nec ſcientia, nec ars ſine magno, & diuturno labore comparari poteſt: quantò minus quæ ſupernaturalia, & diuina ſunt, cùm tanto magis omnem facultatem humanam excedant?

36 Super illis verbis; *Non cibum, qui perit: ſed qui permanet in vitam æternam*, animaduertere licet, duplicem eſſe cibum, qui perit; Alterum, corporalem cibum: alterum verò, cibum ſpiritualem. Cibus corporalis tripliciter perit. Primò; ſecundum partem eius excrementitiam; quæ foras à natura eiicitur: de qua intelligendum eſt illud, quod CHRISTVM dixiſſe diſcipulis refert Matthæus cap. 15. *Quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Deinde perit etiam cibus corporalis ſecundum partem alimentitiam, & vtilem: ea quippè corrupta, in ſubſtantiam viuentis, quod per eam alitur, conuertitur. Ad hæc, perit quoque cibus corporalis quantùm ad mqrius, & vſum eius, & finem, qui eſt arcere fa-

Quomodo cibus corporalis tripliciter pereat.

Locus Matth. cap. 15.

mem, & nutrire corpus: hoc enim cibus ſemel ſumptus ad breue duntaxat tempus præſtat: paruo ſcilicet interuallo, redeunte poſteà fame, nouíque cibi indigentia. Spiritualis verò cibus, qui perit, eſt humana laus, & gloria, & Sapientia: & demum quidquid, ad mentem, & ſpiritum hominum pertinens, non conducit ad vitam æternam. Omnia etenim, quæ iſtiuſmodi ſunt, licèt à mortalibus flagrantiſſimè expetantur, eíſque, quaſi delicatiſſimis cibis, illi iucundiſſimè paſcantur, atque delectentur: temporalia tamen ſunt, breuíque peritura. *Scientia deſtruetur*, ait Paulus; & Ioannes; *Tranſit mundus, & concupiſcentia eius.* Cuius & illud Pauli ſimile eſt; *Præterit figura huius mundi.*

Quiſnã ſit cibus ſpiritualis, qui perit.

1. ad Corin. 13. 1. Ioan. 2. 1. ad Cor. 7.

Cibus autem ſpiritualis, qui non perit, eſt diuina iuſtitia, & gratia; quæ homini datur à DEO; vel eſt ipſemet CHRISTVS, qui ſe in Sacramento dat nobis in cibum, & alimentum animæ noſtræ ad vitam æternam. Hic verò cibus, quantum in ipſo eſt, indefectibilis eſt, & permanens, atque perducens hominem vſque ad vitam æternam; licèt ſæpè deficiat, hominis culpa; propter libertatem humanæ voluntatis, ex bono in malum mutabilis. Hunc porrò cibũ dat CHRISTVS, nõ tãtùm, vt DEVS eſt: ſed vt filius hominis: ſicut ipſe dixit hoc loco, id eſt, vt verus homo eſt: CHRISTVS enim nec carnem, & ſanguinem ſuum in Sacramento dare nobis potuiſſet: niſi verus homo fuiſſet. Et admirabilis illa eius Sacramenti virtus dandi gratiam homini, & per eam perducendi eum ad vitam æternam, ex illius hominis paſſione, ac morte prouenit. 37

Cibus, qui permanet in vitã æternã, quiſnam ſit.

Quomodo ſacramentalem cibũ nobis det Chriſtus; vt eſt filius hominis.

Sequuntur illa verba; *Quem Filius hominis dabit vobis.* Dixit in futuro; *Dabit vobis*: vel quia eum cibum Iudæi, quibus iſta loquebatur CHRISTVS, nec tum petebant, nec ante petierant. Dicit itaque ſe daturum eis, ſi ab eo peterent: vel quia needum CHRISTVS inſtituerat Sacramentum Euchariſtiæ: nec abundantiam gratiæ ſuæ daturus erat hominibus ante corporis ſui glorificationem, & miſſionem Spiritus ſancti. Sed enim dicet fortaſſe quiſpiam, iſta videri non ſatis inter ſe cohærere; *Operamini cibum*: &, *Filius hominis dabit vobis*; Illud enim ſignificat, illum cibum noſtra opera, & labore comparari; hoc autem indicat, gratuitò eum donari nobis à CHRISTO. Sed profectò bellè iſta 38

Quomodo & nos operemur diuinũ illum cibum, & nihilominus tamen is donetur nobis à Chriſto.

congruunt

congruunt inter ſe. Ad comparandum namque cibum iſtum neceſſe eſt, nos per actiones noſtras præparari, & idoneos fieri: vt ita nobis præparatis CHRISTVS eum cibum fructuoſè largiatur: ſed iſtud ipſum, idoneè nos præparare ad perceptionem eius cibi, diuini muneris eſt. Non enim tantùm ſalutaris perceptio eius cibi: ſed etiam idonea præparatio animi noſtri ad eum cibum accipiendum, donum DEI eſt.

39 Nec animum cuiuſquam ſubeat exiſtimare, illis verbis CHRISTI; *Operamini non cibum, qui perit*, prohiberi Chriſtianis, ne operentur, & laborent vt comparent ſibi cibum corporalem. Non enim defuerunt Hæretici, qui hac CHRISTI ſententia in ſuæ obtentum, & patrocinium ignauiæ, atque deſidiæ abuſi ſunt. Aduerſus quos valet illud Dauidis; quod eſt in Pſalmo centeſimo vigeſimo ſeptimo; *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Paulus certè non verbis tantùm: ſed exemplo etiam ſuo cohortatus eſt Chriſtianos ad laborandum manibus ſuis; vt cibum ſibi parent, & eleemoſynam aliis impertiri queant. Eius in tertio capite poſterioris Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes ſuper ea re hæc ſunt verba; *Ipſi ſcitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo: ſed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes; ne quem veſtrûm grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem: ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos: nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis; quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim, inter vos quoſdam ambulantes inquietè, nihil operantes: ſed curioſè agentes. His autem, qui eiuſmodi ſunt, denunciamus, vt cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.* Similia reperiet lector in quarto capite Epiſtolæ ad Epheſios; & in vigeſimo capite libri de Actis Apoſtolorum. CHRISTVS igitur illis verbis non ſignificauit, pro parando cibo corporali, nullo eſſe nobis modo laborandum: ſed nos docere voluit, ante omnia & ſuper omnia ſtudendum nobis, & laborandum, atque contendendum eſſe, vt ſpiritualem animi noſtri, diuinúmque cibum percipere valeamus. Et hoc iuxta illud alterum CHRISTI dictum, eſt; *Quærite primùm Regnum DEI, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adÿcientur vobis.* Matth. 6.

In Hæreticos, qui negabant, Chriſtianis corporaliter eſſe laborandũ ad cibum corporalem comparandum.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 27. Hunc enim Pater ſignauit DEVS.

NE Iudæi, putantes CHRISTVM eſſe tantùm hominem, cogitarent cum animo ſuo, eum maiora hominis conditione de ſe prædicare: hanc CHRISTVS præuertens eorum cogitationem; his verbis docet ſe, licèt natura ſimilem aliorum hominum: per ſingularem tamen DEI gratiam; qua fuerat à Patre, ſingulari, atque eximio quodammodo ſignatus, eſſe cæteris hominibus longè præſtantiorem. Pro illo verbo Latino, *ſignauit:* Græcum verbum, quod eſt hoc loco, propriè ſignificat ſigillauit: quo verbo etiam ſuprà cap. 3. vſus eſt Ioannes: cùm dixit; *Qui accipit eius teſtimonium, ſignauit: quia* DEVS *verax eſt.* Et Paulus ſcribens ad Epheſios ait, fideles à DEO ſignatos eſſe in CHRISTO, & in Spiritu ſancto. Signandi verò, ſiue obſignandi res triplex apud homines ratio, & vſus eſſe ſolet: Vel quò res ſic obſignatæ cognoſcantur cuius ſint: Vel vt quibus nolumus eas res noteſcere, his opertæ ac ignotæ ſint: Vel etiam ſignantur res, quæ nobis præcipuè ſunt pretioſæ, & raræ. 40

Ad Epheſ. 1.

Triplex ratio, & vſus ſignandi, ſiue obſignãdi res.

Septem autem modis obſeruare licet, CHRISTVM à DEO Patre fuiſſe ſignatum. Primò; ſecundum Cyrillum; quia dedit ei ab æterno eandem ſuam naturam, propter quam eſt perfecta DEI Patris imago: vt CHRISTI ſignatio non aliud fuerit, niſi æterna eius generatio. Sicut enim per ſignationem ſigilli exprimitur in cera eius imago: ſic per paternam generationem CHRISTI expreſſa eſt in eo figura ſubſtantiæ Patris. Secundò; ſignauit eum Pater: vt interpretatur Auguſtinus: quia longè ſegregauit eum ab aliis hominibus propter ſingularia dona gratiæ ei collata: ſecundum illud Pauli ad Hebræos cap. 7. *Talis decebat vt eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus.* En ſignaculum, inquit Auguſtinus: nam quæ appoſito ſigillo ſignamus, ea volumus à cæteris rebus ſeparari, & diſcerni, neque cum aliis miſceri, atque confundi. Tertiò; ſecundum 41

Septem modi, quibus Chriſtus à Deo Patre ſignatus eſt.

Cyrillus.

Auguſtinus.

cundum Chryſoſtomum, ſignauit eum DEVS, quando ſuæ vocis teſtimonio, & in baptiſmo, & in transfiguratione, & in virtute tot miraculorum declarauit eum eſſe Filium ſuum, & doctorem, atque ſaluatorem mundi; & poſſe omnibus dare vitam æternam. Quartò; ſignauit eum, propter gratiam vnionis hypoſtaticæ, per quam fuit homo mirabiliter ſignatus; id eſt, & homo ſimúlque DEVS: & quæcunque DEVS habet per naturam, tribuuntur illi homini per gratiam, & per admirandum illud ſignaculum vnionis hypoſtaticæ. Quintò; ſignauit eum DEVS; quia conſtituit eum caput totius Eccleſiæ tam militantis, quàm triumphantis; & dedit illi gratiam non tantùm particularem, & quæ propria eius eſt: ſed etiam vniuerſalem, & quæ fons eſſet omnis gratiæ hominibus conferendæ. Sextò; ſignauit eum, id eſt, poſuit eum pro ſigno; in quod aſpicerent, & in quo ſperarent omnes gentes: ſecundum illud Eſaiæ vaticinium; *Qui ſtat in ſignum populorum: ipſum gentes deprecabuntur.* Quod etiam CHRISTVS ipſe ſignificauit cùm dixit Nicodemo; *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis; vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat: ſed habeat vitam æternam.* Et Paulus ad Hebræos ſcribens; *Aſpicientes*, inquit, *in auctorem fidei, & conſummatorem* IESVM, *&c.* Septimò; ſignatum eſſe aliquid, interdum in Sacris litteris, ſignificat eſſe clauſum, & occultatum; Angelus enim iuſſit Danieli; *Claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum.* Et infrà, *Vade Daniel; quia clauſi ſunt, ſignatíque ſermones vſque ad præfinitum tempus.* Hoc etiam modo DEVS ſignauit CHRISTVM, id eſt, abſcondit, & occultauit. Erat foris homo: ſed intus erat DEVS: foris viator, intus comprehenſor, & beatus. Quocircà rectè Iſaias de eo dixit; *Verè* DEVS *abſconditus.* Et Paulus; *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Ergo, Pater his ſeptem modis quaſi ſeptem ſigillis ſignauit CHRISTVM: ſicut liber ille, quem vidit Ioannes in dextera DEI ſedentis in throno, erat clauſus, ſeptémque ſigillis ſignatus: qui liber, quomodo fuerit ipſius CHRISTI figura, copioſè docuimus in tertio Tomo noſtrarum ſelectarum diſputationum in librum Apocalypſis, & ſuper illud caput quintum eius libri.

Chryſoſt. *Eſaiæ 11.* *Ioan. 3.* *Num. 21.* *Ad Hebr. 12.* *Dan. 12.* *Iſaiæ 45.* *Ad Coloſſen. 2.* *Apoc. 5.*

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER.28. &29. Dixerunt ergo ad eum; Quid faciemus, vt operemur opera DEI? Reſpondit IESVS, & dixit eis; Hoc eſt opus DEI, vt credatis in eum, quem miſit ille.

DIXERAT IESVS; *Operamini cibum, non qui perit: ſed qui permanet in vitam æternam.* Illi verò quæſierunt ab ipſo; *Quid faciemus, vt operemur opera* DEI? At videtur, debuiſſe potiùs eos quærere, Quid faciemus, vt operemur iſtum cibum permanentem in vitam æternam? Sed ſciendum eſt, eos vel nomine cibi non aliud ſignificari putauiſſe, quàm opus aliquod DEI: vel eos reſpexiſſe ad illud CHRISTI verbum; *Operamini:* & ideò quæſiuiſſe, qua ratione poſſent facere opus DEI, per quod aſſequantur eum cibum. Et ad hoc reſpondit CHRISTVS illa verba; *Hoc eſt opus* DEI, *vt credatis in eum, quem miſit ille:* quaſi diceret, fide oportet vos quærere hunc cibum, credendo in eum, quem DEVS miſit in mundum; vt det eum cibum hominibus. Quadruplex autem opus DEI nominatum in ſacra Scriptura reperimus: quorum vnum eſt redemptio mundi, & generis humani: de quo ſuprà cap. 4. ſcriptum eſt; *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Et ipſe orans Patrem dixit; *Opus conſummaui, quod dediſti mihi.* Et in cruce iam moribundus dixit; *Conſummatum eſt:* opus ſcilicet redemptionis mundi per meam paſſionem, & mortem. Deinde, omne mandatum, & obſequium, & miniſterium DEI, appellatur opus DEI: ſic enim Hieremias dixit: *Maledictus, qui facit opus* DEI *negligenter.* Ad hæc, licèt omnis creatura ſit opus DEI: ſingulari tamen quadam ratione homo appellatur opus DEI: ſecundum illud Iob; *Operi manuum tuarum porrige dexteram.* Et illud Dauidis; *Opera manuum tuarum ne deſpicias.* Opus denique appellatur DEI hoc loco ipſa fides CHRISTI; ſiue credere in ipſum CHRISTVM. Fides porrò dicitur opus DEI; tum quia eſt donum ſolius DEI, ſecundum illud Pauli;

Quadruplex opus Dei nominatum in Scriptura. — *Ioan.17.* — *Ioan.19.* — *Hieremiæ 48. Secūdum 70.* — *Iob 14.* — 42

Pauli; *Fides*, DEI *donum eſt:* tum quia eam à nobis DEVS exigit; cùm ait; *Credite in Domino* DEO *veſtro, & ſecuri eritis.* Et quia fides facit hominem quodammodo diuinum, eleuando ipſum ad cognitionem, & aſſenſum diuinum, & ſupernaturalem.

Ad Epheſios. Secundo libro Paralipomenõ cap.20.

43 Verùm, dicet quiſpiam, Cùm ſint alia DEI opera multò maiora fide; vt eſt charitas, & iuſtitia, ſiuè gratia gratum faciens: cur CHRISTVS hoc loco ſolam fidem nominauit opus DEI? Reſpondeo, tres ob cauſas id eſſe factum. Primò; volebat CHRISTVS Iudæos paulatim abducere, & traducere à lege Moſaica ad Euangelicam: quæ duæ leges diſtingui ſolent per opera, & per fidem. Lex enim Moſaica dici ſolet lex operum, vel factorum: lex autem Euangelica, lex fidei; vt videre licet apud Paulum in tertio, & decimo capite Epiſtolæ ad Romanos. Nempe, vt Iudæi intelligerent, nudam obſeruantiam operum legis Moſaicæ non ſufficere ad conſequendam ſalutem æternam: ſed opus eſſe fide. Deinde, quia fides in homine iuſtificando eſt primum DEI opus; & magiſter rudem puerum docens litteras, primò docet prima rudimenta: ab hoc autem fidei opere incipere eos oportet, qui cibum illum CHRISTI ſpiritualem, & diuinum, quærunt, & comparare ſibi ſtudent. His accedit, quia fides quaſi fundamentum eſt aliorum omnium DEI operum, & donorum, & ad ea incitans, & inducens hominem. Si quis enim ductum fidei ſequatur, haud dubiè procedet ad alia opera DEI efficienda, & à DEO petenda, atque impetranda.

Cur fides præcipuè dicatur opus Dei.

44 Ergo, vt more & modo ſcholaſtico loquentes ſtrictim, & ſummatim dicamus, fides ſeptem modis dicitur opus DEI. Primò, & ſecundò, effectiuè: tum quia fides à ſolo DEO producitur: tum quia fides eleuat mentem hominis ad ſupernaturalem, & diuinum aſſenſum eius: quod ei credendum proponitur à DEO. Tertiò; imperatiuè; quia DEVS imperat nobis, & à nobis exigit fidem. Quartò; formaliter; quia fides eſt ex ordine donorum ſupernaturalium, & diuinorum. Quintò; obiectiuè: quia fidei obiectum eſt ipſe DEVS, & diuina eius myſteria. Sextò; fundamentaliter: quia eſt fundamentum omnium donorum DEI. Septimò; inductiuè; quia ſequens fidei ductum, inducitur, & perducitur ad alia omnia DEI opera, & dona expetenda, quærenda, & impetranda.

Fides dicitur opus Dei ſeptẽ modis.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 32. Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo: ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.

Explicantur quindecim differentiæ inter manna Moſaicum, & panem CHRISTI.

DIXERANT Iudæi CHRISTO, Patres ipſorum acce- 45
piſſe in deſerto per Moyſem manna; quod in Scriptura vocatur panis de cœlo; quocircà, ſi CHRISTVS vellet vt ipſi fidem haberent dictis, & promiſſis eius, tale aliquod ipſe quoque miraculum faceret, ſimilémque eis cibum aliquem præberet. CHRISTVS itaque reſpondens eis, vult oſtendere verbis in titulo huius diſputationis ſuprà poſitis, pánem, quem ipſe promittebat, eſſe longè diuerſum, multóque præſtantiorem, atque optabiliorem, quàm fuerat manna per Moyſem datum patribus ipſorum: multiplex inter vtrunque cibum ſiue panem denotans diſcrimen. Licet autem in hoc CHRISTI ſermone quindecim obſeruare differentias inter illud manna Moſaicum, & panem CHRISTI. Prima differentia; Manna dicebatur panis DEI: quia iuſſu DEI, & per miraculum eius potentiæ factus, & datus Iudæis erat: erat tamen panis materialis, & terrenus. Panis verò CHRISTI, qui eſt ipſemet CHRISTVS, verè panis eſt DEI: quia CHRISTVS ipſe verus eſt DEVS: & eo pano veſcitur DEVS per æternam, & beatificam ſuæ eſſentiæ viſionem. Secunda differentia; Manna vocabatur panis Angelorum, vel quia miniſterio Angelorum productus & datus Iudæis erat; vel quia putabatur mitti è cœlo: vbi ſunt Angeli: Vel vt eo modo loquendi ſignificaretur maxima eius cibi excellentia: nam de cibo aliquo delicatiſſimo, & ſuauiſſimo, & pretioſiſſimo ſolet vulgo dici, eum cibum eſſe Angelicum, vel diuinum. Panis autem CHRISTI veriſſimè panis eſt Angelorum; quia per eius contemplationem, & viſionem ſatiantur, & beatificantur

mentes

mentes Angelicæ: nempe de tali cibo loquebatur Angelus Raphaël, cùm dixit Tobiæ; *Videtur quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* *Tobiæ 12.*

46 Tertia differentia; Manna non deſcendebat de cœlo propriè dicto: ſed de aëre, qui, more loquendi ſacræ Scripturæ, ſæpe dicitur cœlum: Panis verò CHRISTI, qui eſt ipſemet CHRISTVS, deſcendit de cœlo per aſſumptionem humanæ carnis: ſemper tamen in cœlo manens ſecundum diuinitatis ſuæ maieſtatem. Quarta differentia; Manna non erat verus ille panis, quem DEVS daturus erat mundo: ſed erat quaſi figura veri panis, qui eſt CHRISTVS: quamobrem Apoſtolus in cap. 10. prioris Epiſtolæ ad Corinthios; *Patres,* inquit, *noſtri omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt:* nimirùm in figura, vt ipſe declarat: quia manducauerunt manna, & biberunt aquam ex petra productam: quibus rebus ſpiritualiter præfigurabatur CHRISTVS. Quinta differentia; Manna non erat cibus, & alimentum totius hominis: ſed ignobilioris, atque vilioris eius partis; ſcilicet corporis: Panis autem CHRISTI paſcit, & nutrit hominem ſecundum principalem eius partem: quæ eſt anima rationalis, intellectu, voluntate, ac memoria pollens. Sexta differentia; Manna non alebat, nec viuificabat niſi hominē viuum: CHRISTVS autem etiam vitā non habenti dat vitam: ſicut ipſemet dixit; *Ego veni vt vitā habeant, & abundantiùs habeant.* Septima differētia; Manna nō præſeruabat à morte comedentes ipſum: vnde CHRISTVS in hoc ſermone dixit Iudæis; *Patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt.* At panis CHRISTI vim habet ſeruandi perpetuò vitam ſpiritualem, & præſeruandi ab omni morte ſpirituali, quam affert peccatum, idcircò appellatum mortale. Octaua differentia; Manna non poterat mortuos ad vitam reuocare: Panis CHRISTI mortuis tam ſpiritualiter, quàm corporaliter vitam præſtat: ſicut ipſe teſtatur; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Nona differentia; Manna vni tantùm profuit populo Hebræorum: Panis CHRISTI datus eſt toti mundo: cunctis etiam mortalibus vtilis, & neceſſarius eſt: ſicut ipſe dixit; *Quem Pater dat*

Exo. 16. & 17. Num. 17.

Ioan. 10.

mundo. Decima differentia; Mãna durauit tantùm per quadraginta annos: panis CHRISTI; vt in ſacramento eſt, durabit vſque ad
1. ad Cor. 11. finem mundi: ſicut Paulus dixit; *Quotieſcúnque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Et iſte panis ſacramentalis permanet ad vitam æternam; tum quantùm ad effectum: quia copioſam præſtat gratiam, qua meremur vitam æternam: tum quia eſt ipſemet CHRISTVS, qui clarè viſus in cœlis, beatorum omnium æternus eſt, & beatificus cibus. Vndecima differentia; manna fuit cibus, & quaſi viaticum quoddam in peregrinatione duntaxat Hebræorum in deſerto, nec permanens in terra, quam Iudæis promiſerat DEVS: Panis autem CHRISTI & viaticum eſt in peregrinatione huius vitæ; & cibus, atque præmium eſt in cœleſti patria: de quo nempè in quodam
S. Thomas. hymno ſcitè dictum eſt à Beato Thoma; Se naſcens dedit ſocium, conueſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium. Duodecima differentia; vnum, & idem manna nec
Exod. 16. ſemper, nec diu proderat in cibum populis. Sed neceſſum erat, quotidie nouum manna colligere. Si enim manna vnius diei ſeruaretur in alterum diem, putreſcens vermibus ſcatebat: & hac re ſignificabatur legis, & legalium imperfectio, futuráque defectio: CHRISTI verò panis, qui eſt ipſe CHRISTVS, permanet in omnem æternitatem, alendis, & viuificandis hominibus
Sap. 16. abundè ſufficiens. Decimatertia differentia; manna dicitur habuiſſe omne delectamentum in ore, atque guſtu comedentium ipſum: ſed illud tantùm erat corporale delectamentum: Panis autem CHRISTI habet omne delectamentum ſpirituale, & cœleſtium bonorum ſuauitatem. Decimaquarta differentia; manna non dabat plenam homini refectionem: tantùm enim ſupple-
Exod. 17. bat defectum cibi: non autem potus: Quamobrem Hebræi poſt acceptũ manna, murmurauerunt propter inopiam aquæ. CHRISTVS autem, qui ſe manducandum, & bibendum præbet homini; vtrumque præſtat, & ſine vllo defectu, & in perpetuum: ſicut ipſe dixit in hoc ſermone;

Qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet vnquam.

DECI

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

Super decimaquinta differentia inter Manna Iudaicum, & panem CHRISTI*: & de diuerſitate miraculorum, quæ fuerunt in illo manna, & quæ ſunt in pane* CHRISTI.

47 DECIMA quinta differentia inter manna Iudaicũ, & panem CHRISTI, eſt huiuſmodi; Multa in illo manna fuêre miracula: ſunt etiam miracula in pane CHRISTI: ſed longè diuerſa, & plura, atque inſigniora, quàm fuerunt illa. Primum miraculum commemorari poteſt illud, quod circa ſaporem, & guſtum eius contingebat edentibus ipſum. Erat quidem naturalis ſapor, & guſtus ipſius manna; tanquam ſapor ſimilæ cum melle, & quaſi panis oleati. Sic enim in capite decimoſexto libri Exodi ſcriptũ eſt; *Erat manna quaſi ſemen coriandri, album, guſtúſque eius quaſi ſimilæ cum melle.* Et in capite vndecimo libri Numerorum, ſic eſt; *Colligens populus manna, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas; ſaporis quaſi panis oleati.* At verò per miraculum, illud manna in ore, & guſtu comedentium exhibebat omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem: & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur. Hæc enim fermè verba ſunt diuinæ Scripturæ, de Manna loquentis, in capite decimoſexto libri Sapientiæ. Secundum miraculum in manna: Iſtud omne delectamentum, omníſque ſaporis ſuauitatem manna non quibuſlibet præſtabat ipſum comedentibus: ſed bonis duntaxat, & piis viris. Impij namque, ac rebelles DEO Iudæi, non ſolùm eſu illius manna non delectabantur: ſed etiam cum faſtidio, & nauſea ipſum comedebant, & leuiſſimum cibum, ac nihili appellabant: & quaſi pro nihilo ipſum ducentes flagrantiſſimè concupiſcebant Ægyptiacos piſces, & cucumeres, & pepones, & cæpe, & allia, & porros; quibus cibis vſi fuerant in Ægypto. Audiat ſuper ea re lector, impia eorum verba; quæ refert Moyſes in vndecimo, & vigeſimo primo capite libri

Sex miracula fuiſſe in mãna Iudaico.

Naturalis ſapor manna, qualis fuerit.

Numerorum; *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos manducabamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cæpe, & allia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Et in capite vigeſimo primo eiuſdem libri; *Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Tertium miraculum: ſolum manna plenè nutriebat manducantem ipſum, & roborabat, & augebat, & ſanum ſeruabat. Quartum miraculum: Si manna ex vno die ſeruaretur in vſum alterius diei, nihil proderat: quinetiam putreſcebat, ſcatens vermibus: At verò in die ſexto collectum, & ſeruatum in vſum diei Sabbati, non corrumpebatur: ſed ita conducebat ad eſum vt in aliis diebus. Quintum miraculum: Quotidie in ſex primis diebus hebdomadæ pluebat manna: nunquam autem pluit in die Sabbati; ad commendandam videlicet Sabbati ſanctitatem, eiúſque diei religionem, atque obſeruantiam in animis Iudæorum excitandam, & roborandam, atque conſeruandam. Sextum miraculum; Per quadraginta annos; quibus Iudæi peregrinati ſunt in deſerto, quotidie pluit manna: poſtquàm autem ingreſſi ſunt terram promiſſionis, nunquam pluit manna; in cibi ſupplementum, & vſum eis datum à DEO: de quo ita ſcriptum eſt in capite quinto libri Ioſue; *Defecítque manna, poſtquàm comederunt de frugibus terræ; nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſraël.* Et hæc quidem in illo manna Iudaico fuêre miracula.

In Sacramēto Euchariſtiæ nouē obſeruari miracula.

In pane autem CHRISTI, ſiue in Sacramento Euchariſtiæ, in 48
quo CHRISTVS ſeipſum dat manducandum nobis, longè plura, & maiora obſeruare licet miracula. Primum miraculum; Idem CHRISTVS in cœlo manens, nec inde recedens, & ſine vlla ſui mutatione locali, eſt realiter, & corporaliter in Sacramento Euchariſtiæ. Secundum miraculum; Nec tantùm ſic eſt in vna hoſtia conſecrata: ſed etiam ſimul eſt in omnibus hoſtiis, quæ per omnem terrarum orbem conſecrantur: quòd ſi forent infinitæ; in omnibus ſimul, & ſimiliter eſſet. Tertium miraculum; Etſi corpus CHRISTI in Sacramento habet omnem ſuam quantitatem, & colorém, & alias qualitates ſenſibiles; prout tamen eſt in Sacramento, nec eſt viſibiliter, nec quantitatiuè quantùm ad ſitum, & coextenſionem eius ad locum. Quartum miraculum; Etſi

corpus

corpus CHRISTI in ſe maius eſt, quàm hoſtia conſecrata: attamen ſecundum eſſe, quod ibi habet, totum eſt in illa hoſtia, nec extra hoſtiam conſecratam eſt: nec ſolùm in tota hoſtia conſecrata: ſed etiam in qualibet parte eius totum eſt. Quintum miraculum; Si accidentia illa hoſtiæ conſecratæ corrumpantur, & ex illis fortè generentur vermes, vel aliud quodpiam animal; in eorum generatione ingens fit miraculum: nam vel de nouo creatur materia prima; ex qua producatur forma ſubſtantialis illorum animalium: vt multi hoc tempore Theologi arbitrantur: vel, ſecundum Beatum Thomam: quod maius etiam miraculum videtur, quantitas, quæ fuerat hoſtiæ conſecratæ, ſupplet locum materiæ primæ, & in ea producitur forma ſubſtantialis eorum animalium, quæ inde generantur. Sextum miraculum; Ipſa conuerſio panis, & vini in corpus, & ſanguinem CHRISTI: quæ proprio vocabulo appellatur à Theologis tranſubſtantiatio, magni eſt inſtar miraculi: talis quippè tranſmutatio nec alia in re vlla reperitur, & præter omnem eſt ordinem, curſúmque naturæ, & per nullam poteſtatem creatam: ſed per ſolius DEI tantùm omnipotentiam fieri poteſt. Septimum miraculum; Modus etiam ipſe, quo talis fit tranſubſtantiatio, non eſt ſine miraculo: fit enim per verba conſecrationis ritè, atque vt oportet, à ſacerdote prolata. Itaque ſicut naturaliter poſita vltima diſpoſitione in materia ad formam ignis producendam, infallibiliter in ea materia producitur forma ignis: ita prolatis à ſacerdote verbis conſecrationis, infallibiliter in hoſtia illa conſecrata eſt ipſe CHRISTVS. Octauum miraculum; Poſt conſecrationem deſinente tota ſubſtantia panis, & vini: accidentia tamen eorum non deſinunt eſſe: ſed manent: nec manent inhærentia alij cuipiam ſubiecto: ſed per ſe exiſtunt. Quod profectò præter, & ſupra naturam eſt accidentium; quorum eſſe, (vt in ſcholis dicitur,) eſt ineſſe: quia ſine ſubiecto nec produci, nec permanere naturaliter poſſunt. Nonum miraculum; Accidentia illa hoſtiæ conſecratæ, etſi ſunt ſine ſubſtantia panis, & vini: habent tamen eandem virtutem naturalem; quam habebat panis, & vinum ante conſecrationem, virtutem dico nutriendi, & augendi, & roborandi corpus hominis ſumentis ipſa: cùm tamen nutritio fiat per conuerſionem ſubſtantiæ alimenti in ſub-

ſtantiam viuentis. Propter hæc, & alia miracula; quæ in hoc pane CHRISTI obſeruari poſſunt, & quæ omnem creatam poteſtatem & faciendi, & intelligendi ſuperant, canit Eccleſia in hymnis de feſto corporis CHRISTI; *Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides præter rerum ordinem. Et, ſi ſenſus deficit, ad firmandum cor ſincerum ſola fides ſufficit: præſtat fides ſupplementum ſenſuum defectui.*

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.

Explicantur in hac diſputatione illa verba; Nemo poteſt venire ad me.

IN omnibus Eccleſiaſticis Conciliis, in quibus ex profeſſo de gratia DEI, & de libero hominis arbitrio actum eſt; vt in Concilio Mileuitano, & Arauſicano, atque Tridentino; ad demonſtrandam neceſſitatem, & efficaciam diuinæ gratiæ, crebrò vſurpatur hæc Domini ſententia. Beatus etiam Auguſtinus, & quicunque ſcripſerunt aduerſus Pelagianos initium fidei & conuerſionis hominis ad DEVM attribuētes libero hominis arbitrio, hac potiſſimùm Domini ſententia falſum eorum dogma confutarunt. Sanè, ſententia hæc Domini multa continet cognitu, obſeruatúque digniſſima; Quapropter diligenter, accuratéque tractanda eſt; & ſingula eius verba curioſè, obſeruatéque penſitanda ſunt. 49

Quam ſit generalis neceſſitas diuinæ gratiæ.

Illud, *Nemo*, indicat, neceſſitatem diuinæ gratiæ non eſſe particularem, nec ad aliquos tantùm homines, & ad aliquod duntaxat certum tēpus pertinere: ſed eſſe generalem, in omni tempore, & in omni hominū ſtatu, atque conditione: tam in lege naturæ, quàm in lege ſcripta, & in Euangelica: nec ſolùm in ſtatu naturæ corruptæ: verùm etiā in ſtatu innocētiæ, gratia DEI neceſſaria homini erat ad promerendā vitā æternam; nec ſolùm homini: ſed etiā Angelo.

Illud

50 Illud verbum, *Poteſt*, denotat, non ſolùm opus eſſe gratia DEI ad efficiendum actum credendi: ſed etiam ad habendum potentiam ad credendum. Verùm, duplex eſt potentia ad credendum: Altera eſt remota, quæ non eſt aliud, niſi naturalis aptitudo ad recipiendam fidem, quæ communiter, & naturaliter in cunctis hominibus ineſt: de quá intelligendum eſt illud Auguſtini dictum, ſatis apud Theologos peruulgatū: Credere, gratiæ DEI eſt; poſſe credere, naturæ eſt: Illud tantummodò fidelium eſt; hoc autem promiſcuè omnium hominum. Altera, eſt potentia ad credendum propinqua, quam qui habet, liberè poteſt, cùm vult, elicere actum fidei: & hæc à Theologis appellatur habitus fidei: & hic à DEO infunditur hominum animis. Eſt enim ſupernaturale DEI donum: ſicut Paulus dixit in ſecundo capite Epiſtolæ ad Epheſios; *Gratia*, inquit, *eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: DEI enim donum eſt.* Sed præter ſupradictas duas potentias eſt alia quædam tanquam intermedia ad eliciendum actum fidei, vel ad recipiendum fidei habitum: Et hæc eſt proxima ad hoc præparatio animi noſtri, à DEO facta per illuminationem mentis noſtræ, & inclinationem voluntatis ad credendum. Nam quæ credenda homini proponuntur: quia ſunt ſupra captum humanæ mentis, neque præbent homini euidentiam ſuæ veritatis, propterea opus eſt diuina illuminatione mentis humanæ, & motione voluntatis.

De multiplici potentia ad credēdum ea, quæ ſunt fidei diuinæ.

Auguſtinus.

51 Sequitur illud, *Venire ad me*: quod duo ſignificat. Denotat enim libertatem humanæ voluntatis: ſiquidē ipſum venire, libera eſt hominis actio. Non igitur hæretici bene argumētabantur, hominem carere libero arbitrio: ex illo altero verbo Domini, quod eſt in hac ipſa ſententia; *Traxerit*: nam qui dixit, *Traxerit*; ante dixerat, *Venire*: haud dubiè per, *Venire*, ſignificans libertatem humanæ voluntatis; per, *Traxerit*, efficaciam diuinæ gratiæ infallibiliter, effectum ſuum in hominis animo habentis. Verbum porrò, *Venire*, ſimpliciter poſitum, ſignificat quemcunque hominis acceſſum ad CHRISTVM; etiam primum acceſſum, qui fit per fidem: ſecundum illud Pauli; *Credere oportet accedentem ad* DEVM. Significatur igitur iſto verbo, etiam ad credendum opus eſſe præueniente gratia DEI: contra id, quod dicebat Pelagius, reuelationem rerum credendarum à DEO eſſe: rebus autem diuinitùs reuelatis, credere,

Venire, & trahere quid hoc loco ſignificent.

Quid ſignificet venire ad Chriſtum.

Ad Hebr. 11.

credere, à nobis, & in noſtra eſſe poteſtate, reclamante Apoſtolo, illis verbis; *Vobis donatum eſt pro* CHRISTO *non ſolùm vt in eum credatis: ſed etiam vt pro illo patiamini.* Cæterùm, quatuor modis venit homo ad CHRISTVM; vel per fidem: vt hoc loco ſignificatur: & ſecundum illud Dauidis; *Accedite ad eum, & illuminamini.* Vel per pœnitentiam; ſicut filius prodigus dolens, & pœnitens venit ad patrem ſuum. Vel confugiendo ad CHRISTI præſidium, & auxilium; ſecundum illud; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Vel vt homo remuneretur, & glorificetur à CHRISTO: ſicut ipſe ſanctis ſuis dicturus eſt in die Iudicij; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi.*

Ad Philip. 1. — *Quatuor modis hominem venire ad Chriſtum.* — *Pſalm. 33.* — *Luca 15.* — *Matth. 11.* — *Matth. 25.*

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

Super illis eiſdem verbis:

VER. 44. Niſi Pater traxerit eum.

Diſcutitur opinio quorundam aientium, non omnia bona, quæ à DEO *electis, & prædeſtinatis dantur, dari eis propter meritum* CHRISTI.

Cur tractio hominis ad Chriſtum ſpecialiter attribuatur Patri.

ETSI tractio hominis ad CHRISTVM eſt opus 52
totius commune Trinitatis: ſicut alia omnia, quæ DEVS extra ſe operatur: ea tamen ſpecialiter attribuitur DEO Patri: quia ei peculiari quadam ratione appropriari ſolet potentia. Eſt autem omnipotentiæ DEI opus, trahere peccatorem ad pœnitentiam, & ad gratiam. Etenim Sancta Eccleſia in ſua quadam ad DEVM oratione ait, DEVS, qui omnipotentiam tuam pauendo maximè, & miſerando manifeſtas. Et illud Auguſtini celebre eſt, atque in primis fertur; Non minoris eſſe potentiæ iuſtificare impium, quàm fuit creaſſe mundum.

Auguſtinus.

Obſeruanda eſt hæc ſententia, & nonnullæ aliæ ſimiles in ſacra 53
Scriptura; *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.*

eum. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet. Hæc eſt voluntas Patris mei, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. Ex huiuſmodi enim ſententiis argumentati ſunt quidam doctores Theologi; nec primam vocationem hominis ad CHRISTVM; nec æternam hominum electionem, atque prædeſtinationem ad vitam æternam, contingere homini propter meritum CHRISTI: ſed propter ſolum DEI beneplacitum, æternúmque propoſitum voluntatis eius. At, quòd credenti in CHRISTVM donetur remiſſio peccatorum; & gratia iuſtificans, & poteſtas faciendi bona opera, quæ ſint merita vitæ æternæ, & perſeuerantia vſque in finem: hæc, inquam, omnia propter CHRISTI meritum dantur homini. Duplex itaque faciunt iſti genus diuinorum beneficiorum: Alterum, quod datur homini ob CHRISTI meritum: cuiuſmodi ſunt ea, quæ proximè commemorauimus. Alterum, quod planè gratuitò ex mera DEI bonitate, & citra cuiuſuis meritum, etiam ipſius CHRISTI, donatur homini: & in hoc genere beneficiorum ponunt incarnationem CHRISTI, & æternam electionem hominum ad vitam æternam, & primam vocationem eorum ad CHRISTVM. Videtur huic ſententiæ illud fidem facere, quòd in illis diuinæ Scripturæ ſententiis, quas ſuprà retulimus, tam prima vocatio hominis ad CHRISTVM, quàm æterna electio, & prædeſtinatio eius ad cœleſtem gloriam, aſſignentur DEO Patri: CHRISTI autem beneficium deſcribatur, miſſos, & datos ſibi à Patre homines recipere in ſocietatem, & participationem bonorum ſuorum; eos videlicet iuſtificando, & magnificando, ac denique glorificando. Et hæc quidem iſtorum eſt ſententia.

Matth. 15.

Opinio quorundam doctorum.

An beneficiũ æternæ electionis hominum ad vitã æternã, & primæ vocationis eorum ad Chriſtũ, dentur eis propter meritum Chriſti.

54 At enim, iſti ſententiæ aduerſari videtur id, quod in primo capite Epiſtolæ ad Epheſios ſcripſit Beatus Paulus: vbi loquens de DEO ait; *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in* CHRISTO. Omnis itaque ſpiritualis, & ad cœleſtia bona ſpectans, DEI ſuper homines benedictio, ſecundum Paulum facta eſt in CHRISTO: ſiue per CHRISTVM; id autem eſt, propter meritum CHRISTI: ſed tam vocatio hominũ ad CHRISTVM, quàm æterna electio eorum ad cœleſtem gloriam, ſunt

Diſcutitur ſupradicta opinio.

ſpirituales benedictiones DEI ſuper homines: ergo iſta contingunt homini propter meritum CHRISTI. Deinde in illo eodem loco, & paulò poſt ea verba, quæ proximè poſuimus, ſcribit hæc Paulus; *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, & prædeſtinauit nos in adoptionem filiorũ per* IESVM CHRISTVM. Quibus verbis non obſcurè ſignificatur, æternam electionem, & prædeſtinationem hominum, factam eſſe propter meritum CHRISTI. Ad hæc, Beatus Ioannes in tertio, & decimotertio capite huius Euãgelij ait, DEVM Patrem omnia dediſſe in manu CHRISTI. Si omnia dedit in manu eius; ergo etiam æternam hominis electionem ad cœleſtem gloriam, & primam eius vocationem ad ipſum CHRISTVM, dedit in manu eius; nempè, vt per ipſum, & propter meritum ipſius dentur hominibus. Præterea, CHRISTVS dixit: vt refert infrà Ioannes cap. 15. ſe vitem eſſe; ſanctos autem eſſe palmites huius vitis. Sicut igitur omne bonum, quod eſt in palmitibus, ex virtute ipſius vitis prouenit, & permanat ad ipſos palmites: ita omne bonum, quod datur electis, & prædeſtinatis, etiam ipſa eorum electio, & prædeſtinatio, datur eis propter virtutem, & meritum CHRISTI. Beatus etiam Ioannes in capite primo huius Euangelij, de CHRISTO ſcripſit illa verba: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta eſt.* Quibus verbis planè ſignificatur, omnem gratiam accepiſſe homines de plenitudine gratiæ CHRISTI. Non enim dixit, hanc, vel illam gratiam eſſe per CHRISTVM factam: ſed præcisè, ac ſimpliciter, gratiam eſſe per eum factam, id autem eſt, omnem gratiam, quæ fit, & datur hominibus. Idem quoque confirmatur illis verbis; *Gratiam pro gratia*: quæ, ſecundum phraſim Hebraicam, ſatis in diuina Scriptura vſitatam; ſignificant omnem gratiam; ſicut nos oſtendimus, cùm in eorum verborum explicatione verſaremur. Ergo ſi omnis gratia facta eſt per CHRISTVM, & de plenitudine gratiæ eius accepta: ex eo concludere licet, gratiam quoque electionis hominum ad vitam æternam, & vocationis ipſorum ad CHRISTVM, ex plenitudine gratiæ, ac meriti CHRISTI prouenire. Denique iſti doctores videntur ſatis reſtringere amplitudinem, eleuaréque dignitatem, ac minuere virtutem,

tutem, atque pretium meriti CHRISTI, excludentes ab eo duo magna hominum bona; electionis eorum ad vitam æternam; & vocationis ad CHRISTVM. Nam quia CHRISTVS fuit homo, idémque DEVS, propterea meritum eius non humanum modò: ſed diuinum etiam fuit: & ideò infinitatem quandam habuit dignitatis, & virtutis, atque pretij apud DEVM: vt eius vis, & efficacia extendatur ad omnia bona, quæ ſub meritum cadere poſſunt. Cùm igitur illa duo bona electionis ad vitam æternam, & vocationis ad CHRISTVM, cadere potuerint ſub meritum CHRISTI: nullam enim ſuper hoc fingi poteſt eſſe repugnantiam; negandum non eſt, iſta etiam bona in CHRISTI merito contineri. Verùm hæc ſatis ſint: nam ſubtilior, exactiórque ſuper hac re diſſertatio, neque huius loci, neque inſtituti noſtri eſt: ſed Theologis ſcholaſticis relinquenda.

DECIMANONA DISPVTATIO.

Explicatur ſubtiliùs, & copioſiùs illud verbum; Traxerit.

55 ILLVD verbum, *traxerit*, ex parte DEI trahentis, duas res denotat; DEI ſcilicet gratiam, quæ præuenit omnem præparationem humanæ voluntatis: nam, vt dixit Auguſtinus; qui trahitur, is antè non veniebat: ſi enim vltrò, & ſponte veniſſet, non eſſet tractus. Trahitur igitur, quia licèt ipſe voluntariè veniat: præuentus tamen DEI gratia eſt, vt venire vellet, & poſſet. Deinde, ſignificatur iſto verbo; *traxerit*, efficacia diuinæ gratiæ, quæ nullo modo fruſtratur effectu, ad quem dirigitur à DEO. Quemadmodum enim, qui trahitur, non poteſt eo non moueri, quo trahitur ab alio: ita qui efficaciter à DEO mouetur ad CHRISTVM, neceſſariò ad eum venit, & ab eo iuſtificabitur. Dixi, neceſſariò; non quidem neceſſitate naturæ, vel coactionis: ſed, vt loquimur in ſcholis, neceſſitate infallibilitatis. Hæc porrò infallibilitas nititur tum immutabili decreto DEI voluntatis; tum certiſſima CHRISTI promiſſione, quam ipſe & verbis ſuis tradidit, & ad perpetuam poſterorum fidei confirmatio-

Verbum, traxerit, duo ſignificare.

Auguſtinus.

nem; ſcriptis etiam proditam, & teſtatam eſſe voluit. Hanc enim eius promiſſionem illæ continent eius ſententiæ; *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eijciam foras.*

Auguſtinus. Auguſtinus illud; *Non eijciam foras:* ſic interpretatur, Ad meæ gratiæ, & iuſtitiæ, omniúmque bonorum meorum participationem admittam. Huc etiam ſpectat illa eiuſdem CHRISTI ſententia; *Hæc eſt voluntas Patris mei, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*

An poſſit homo voluntariè trahi ab alio. Sed cùm iſtud verbum, (trahere) ſignificare videatur aliquid 56 inuoluntarium, & inuitum, atque repugnans, declarandum eſt quomodo id bene quadret ad eum, qui vocatus à DEO venit ad CHRISTVM; cùm nullus hominis ad CHRISTVM ſpiritualis acceſſus; niſi planè voluntarius ſit, aut homini vtilis, aut DEO gratus, eſſe queat. Eſt itaque ſciendum, in ipſa etiam tractione corporali poſſe fieri, vt quis trahatur ab alio non inuitus: ſed volens, maximéque cupiens: trahitur is tamen; quia propter infirmitatem corporis, non poteſt eò mouere ſe, quò venire cuperet; vt contingit paralyticis: ſimiliter etiam homo, propter peccata adeò infirmus eſt; vt ſe ad DEVM mouere nequeat. Vt igitur denotetur hæc hominis infirmitas, ſignificantiſſimè dicitur, ipſum trahi à DEO. Et quia de paralyticis ſuprà dixi, venit nunc in memoriam ille paralyticus Euangelicus, qui ab aliis deportatus eſt ad CHRISTVM, vt ab eo ſanaretur; de quo ita ſcripſit Lucas cap. 5. *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante* IESVM: *Et non inuenientes, qua parte illum inferrent, præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſubmiſerunt eum cum lecto in medium ante* IESVM.

Quomodo in homine, qui trahitur ad Chriſtum, ſit aliquid inuoluntarium, & repugnans; & aliquid etiam voluntarium. Deinde etiam in eo, qui venit ad CHRISTVM, cernere licet 57 aliquid inuoluntarium, & repugnans. Etenim duplex in homine pars diſtingui debet; ſuperior, & inferior: illam vocare ſolet Paulus ſpiritum: hanc verò, carnem. Duplex item diſtinguendum eſt tempus: Alterum, præcedens ipſam DEI attractionem: alterum verò, in quo homo trahitur à DEO. Si conſideretur tempus ante DEI attractionem, reperiemus in homine aliquid inuoluntarium, & repugnans. Trahit enim DEVS hominem plerumque anteà nolentem venire ad ipſum, & ſæpius vocationi repugnan

gnantem. Sed eum DEVS trahendo facit; vt Auguſtinus ait, ex *Auguſtinus.* nolente volentem, ex repugnante amantem; ex renitente, ſecum conſentientem, atque cooperantem. Illuſtriſſimum habemus huius rei exemplum in conuerſione Beati Pauli; qui ante vocationem ipſius non ſolùm erat nolens credere in CHRISTVM: ſed etiam credentes in ipſum atroci odio inſectabatur, perdere eos cupiens, omnémque Chriſtianorum ſectam de medio tollere. Hoc enim oſtendunt verba illa Lucæ; *Saulus ſpirans minarum, & cædis in* *Locus Act. 9.* *diſcipulos Domini, acceßit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas; vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem.* At verò cùm à DEO vocatus, & attractus eſt, ex nolente factus eſt volens; ex repugnante ipſi CHRISTO, factus eſt obſequens ei: id enim indicant verba illa, quæ tunc ipſe dixit; *Domine, quid me vis facere?* Sanè, vocatio iſta Pauli, veriſſimè, & aptiſſimè dici poteſt tractio eius ad CHRISTVM: quia per magnam DEI virtutem compulſus quodammodo eſt venire ad CHRISTVM. Hæc indicant illa verba; *Cùm iter faceret: contigit vt appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo: & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi; Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et paulò poſt; *Et tremens, &* *Act. 9.* *ſtupens dixit, &c. & erat tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.* De huiuſmodi tractionis genere loquens Sancta Eccleſia in ſua quadam ad DEVM oratione ait; *Et noſtras ad te rebelles compelle propitius voluntates.*

58 Habet etiam homo peccator, dum trahitur à DEO, aliquid in ſe repugnans: carnem ſcilicet; licèt mente conſentiat DEO, & in eius tractione, & vocatione acquieſcat: nempe, per virtutem diuinæ gratiæ carnem ſuam eò trahit, quò tendit ſpiritus; inuitam licèt, atque repugnantem. Nam quemadmodum corpus noſtrum, propter grauitatem naturaliter fertur deorſum, non quit ſurſum aſcendere, niſi trahatur per virtutem animæ: quæ quidem tractio, licèt corpori; vt corpus quoddam miſtum eſt, ſit repugnans; vt eſt tamen corpus animatum, naturaliter ei conueniens eſt. Conſimili quoque ratione, cùm homo peccator ſit grauis corde: ſicut ait Dauid; *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* *Locus Pſal. 4.* Eſt enim naturali cupiditate pronus

ad terrena bona:nõ poteſt erigere ſe ad cœleſtia,& diuina; niſi eò trahatur per efficacem virtutem cœleſtis gratiæ, quæ eſt tanquam anima animæ noſtræ. Suprà dictam autẽ in homine carnis,& ſpi-

Ad Rom.7. ritus inuicem repugnantiam docuit nos Apoſtolus ſcribens; *Condelector legi* Dei *ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me*

Ad Galat.5. *in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Et alio loco; *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,& ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim inuicem aduerſantur,vt non quæcunque vultis,illa faciatis.* Hanc hominis in ſeipſo

Auguſtinus. repugnantiam ſe in ſua conuerſione ad Devm ſæpiùs expertum eſſe,teſtatur Auguſtinus in libris ſuarum confeſſionum.

VIGESIMA DISPVTATIO.

Aliter hominem trahi à creaturis, & aliter à Deo *trahi: & quibus modis ad ſe trahat* Devs *hominem.*

Quomodo creaturæ trahant volūtatem hominis.

TRAHITVR homo à creaturis, trahitur à Deo: 59
ſed diuerſo modo. Creatura enim non poteſt immediatè trahere voluntatẽ effectiuè: anima quippè rationalis, cuius potentia eſt voluntas: ſicut in ſui productione, atque conſeruatione: ita in operatione ſua à nulla creata cauſa immediatè pendet effectiuè. Solùm igitur creatura trahere poteſt hominem obiectiuè; vel quia ipſa eſt obiectum habens ſpeciem boni conuenientis voluntati, & ab ea amati; vel quia ipſa tale aliquod obiectum ei offert. Hac ratione auarus trahitur à pecunia, ambitioſus ab honore,voluptuoſus à voluptate, philoſophus à veritate: denique, vt Poëta dixit; *Trahit ſua quemque voluptas.* Sed huiuſmodi tractio voluntatis à creatura non poteſt eſſe omninò efficax, nec infallibilem habere effectum: cùm enim creatura ſit finitæ naturæ, & perfectionis, atque bonitatis; non poteſt voluntati offerre, niſi bonum finitum: at voluntatis obiectum eſt omne bonum appetibile, quod infinitè patet.

Devs autem & effectiuè, & obiectiuè trahere poteſt volun- 60
tatem

tatem: effectiuè; quia cùm ſit prima cauſa efficiens, & mouens, alias omnes cauſas, ſibi ſubordinatas, & à ſe omninò pendentes mouet ad agendum, & cum omnibus concurrit effectiuè ad omnes earum actiones. Trahit quoque DEVS obiectiuè voluntatem: quia cùm DEVS ſit conditor voluntatis, & perfectiſſimam omnium rerum quoquo modo ſcibilium habens ſcientiam, optimè ſcit, quibus bonis obiectis trahatur cuiuſcunque hominis voluntas. Et cùm ſit infinitè bonus, & potens, poteſt voluntati offerre omne bonum ab ipſa expetibile. Simpliciter tamen, nullum in hac vita eſt obiectum bonum, quod ex ſe neceſſariò trahat voluntatem: id enim proprium eſt DEI clarè viſi à beatis. Quibus autem modis DEVS ad ſe in hac vita trahat hominem, indicauit ipſe per Oſeam illis verbis; *In funiculis Adam traham eos, in vinculis* *Locus Oſee* *charitatis:* quaſi diceret; Non traham eos funiculis, quibus tra- *cap. 11.* huntur animalia, id eſt, non traham violenter: ſed traham funiculis, quibus homines voluntariè, ac libenter trahi ſolent, id autem eſt, promiſſis, beneficiis, oſtenſo amore, oblata bonitate, reuelata veritate: & hoc declaratur illis proximè ſequentibus verbis; *In vinculis charitatis.* Cur autem DEVS trahat electos ad ſe; per Hieremiam docuit nos illis verbis; *In charitate perpetua dilexi te; ideò* *Locus Hieremiæ cap. 31.* *attraxi te, miſerans tui.* Hominis itaque attractio, quæ fit à DEO, & ad DEVM: ex æterna dilectione, & miſericordia prouenit, qua DEVS ab æterno dilexit, & elegit hominem ad vitam æternam; & in tempore vocauit eum efficaciter ad gratiam.

61 Neceſſitatem porrò, ſimúlque efficaciam diuinæ tractionis ad *Locus Canticorum cap. 1.* ipſum DEVM, demonſtrauit ſponſa loquens cum ſponſo illis verbis; *Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Quaſi diceret, Niſi tu me traxeris, ego non curram poſt te, ſentiens odorem vnguentorum tuorum. Sed quæ ſunt iſta ſponſi vnguen- *Quatuor vnguenta ſponſi, quorum odore capta ſponſa, currit poſt ipſum.* ta, quorum odore ſponſa tracta à ſponſo, currit poſt ipſum? Sunt quatuor. Primum vnguentum eſt indeficiens DEI clementia erga peccatores verè pœnitentes, quibus, vt in quodam Hymno canit Eccleſia, (culpas, & ſupplicia remittit, & dat præmia.) Odorem *In feſto Beatæ Magdalenæ.* huius vnguenti ſponſa percipit ex illis DEI verbis; *Nolo mortem* *Ezech. 18.* *peccatoris: ſed magis vt conuertatur, & viuat.* Et ex illis; *Derelinquat* *Iſa. 55.* *impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum,*

minum, & miſerebitur eius, & ad D E V M *noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Tantæ igitur clementiæ D E I erga peccatores pœnitentes fiducia trahitur animus hominis ad D E V M, vt ab eo petat,& impetrare ſperet veniam peccatis ſuis.

Secundum ſponſi vnguentum eſt ſeueriſſima eius iuſtitia aduerſus peccatores impœnitentes, ſempiternis inferni cruciatibus, atque ſuppliciis eos punientis: cuius odorem vnguenti percipit 62
Lucæ 13. ſpōſa ex illis Domini verbis; *Niſi pœnitentiā habueritis, omnes ſimiliter*
Ad Rom. 2. *peribitis.* Et ex illis verbis Apoſtoli; *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij* D E I: *qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Atque huius odore vnguenti vehementer animus hominis retrahitur à peccando; vel ſi iam peccauit, à perſeuerando in peccatis; vehementérque trahitur ad D E V M: vt ab eo ſuppliciter veniam peccatis ſuis petat, eique deinceps perpetuò ſeruire conſtituat, quò æterna euadat ſupplicia.

Tertium vnguentum eſt iuſtitia D E I benigniſſimè in cœlis 63
remunerans iuſtos æternis bonis, & gaudiis; quorum magnitudo, & præſtantia, nec verbis declarari, nec humanæ mentis intelligentia comprehendi poteſt. Huius vnguenti ſenſum odoris capit
1. ad Cor. 2. & Iſaiæ 64. ſponſa ex illis verbis Scripturæ; *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit* D E V S *ijs, qui diligunt illum.* Odore huius vnguenti validè trahuntur homines ad ſeruanda
Pſalm. 118. D E I mandata: ſicut Dauid ait; *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.*

Quartum ſponſi vnguentum, cuius eſt odor fragrantiſſimus, 64
& potentiſſimus ad trahendum animum hominis ad C H R I S T V M, eſt exemplum paſſionis,& mortis C H R I S T I, quam ille, ſumma voluntate, atque charitate, pro ſalute hominum obiuit,
Ioan. 12. nempè Dominus ipſe dixit; *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* C H R I S T V S enim, cùm eſſet verus D E V S, non ſolùm homo pauper,& humilis, humanarúmque miſeriarum particeps, noſtra cauſa factus eſt: ſed acerbiſſimam quoque, atque ignominioſiſſimam crucis mortem, ſciens, volénſque perpeſſus eſt; vt D E V M, noſtris offenſum peccatis, placatum nobis, & propitium redderet: nóſque à ſeruitute peccati, & poteſtate Diaboli,

boli, reatúque mortis æternæ redimeret; & per gratiam ſuam DEI filios, & diuinorum bonorum participes faceret. Huius tantæ CHRISTI erga homines charitatis contemplatio, fortiſſimè trahit animum hominis ad CHRISTVM: non modò vt eum colat, & diligat: verùm etiam vt ad quodcunque pro illius nomine ſubeundum, atque ferendum: quantumuis aſperum, & cruciabile ſit, horrendúmque humanis ſenſibus eſſe videatur, paratiſſimus, & promptiſſimus ſit. Et hæc quidem ſunt quatuor ſponſi vnguenta, quorum odore vehementer ad ipſum trahebatur ſponſa, vt mirandum non ſit, dixiſſe eam ſponſo; *Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Tractatur illa quæſtio; An, quòd homo non trahatur à DEO, *ſemper ſit culpa ipſius hominis.*

65 EX eiſdem illis Domini verbis; *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, grauis exiſtit quæſtio; Si quicunque trahitur à DEO, venit ad CHRISTVM; & nemo venit ad CHRISTVM, niſi tractus à DEO: hominem autem trahi à DEO, non eſt in poteſtate ipſius hominis: ſed in voluntate DEI: ergo qui non venit ad CHRISTVM; non ſua culpa non venit: ſed quia non eſt tractus à DEO: quapropter is non videtur in eo culpabilis, nec dignus pœna.

Ad hanc quæſtionem communis, & peruulgata eſt reſponſio; Qui à DEO non trahitur; eum ponere obicem, & peccatis ſuis obſtare vt in præſenti non trahatur à DEO. Verùm, contra hoc ſolet illud obiici; Cùm omnes homines, qui gratia DEI non ſunt præuenti, in peccatis ſint, & obicem ponant; cur DEVS ex iſtis aliquos trahit, & alios non trahit? Ad quod reſpondet Auguſtinus: Cur trahat hunc, & illum non trahat, noli iudicare; ſi non vis errare: Tu, ſi non traheris, cura vt traharis. Quo reſponſo reuocare nos Auguſtinus voluit à curioſa huius rei ſcrutatione, quæ in occultiſſima DEI latet prouidentia: ſimúlque perſuadere no-

Cõmunis reſpõſio ad quæſtionem.

Auguſtinus.

bis voluit, quicunque trahuntur à DEO; benigniſſima eius miſericordia trahi: quicunque verò non trahuntur, iudicio DEI plerunque nobis occulto; ſemper tamen iuſtiſſimo, non trahi. Ponam hîc ipſa Auguſtini verba; quæ ſunt in Tractatu vigeſimo ſexto eius in Ioannem; & ſuper iſtis verbis; *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Magna, inquit, gratiæ eſt commendatio in iſtis verbis; nemo enim venit, niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare; ſi non vis errare. Semel accipe & intellige: Non traheris, cura vt traharis. Sic Auguſtinus.

Chryſoſt. Theophylact. Euthymius. Ad eandem porrò quæſtionem reſponſio Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, aliorúmque complurium, eſſe videtur huiuſmodi: Sicut magnes non quodlibet corpus indifferenter trahit ad ſe: ſed tantummodò ferrum; quod habeat naturalem cum eo conuenientiam: ita DEVS non quemuis hominum trahit: ſed eos duntaxat, quos præparatione bonæ voluntatis, reperit idoneos, & dignos vt ab ipſo trahantur: ſecundum illud; *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Sic iſti: quorum ſententia, primo aſpectu, fauere videtur Pelagianis, qui aiebant, initium fidei, & iuſtificationis noſtræ eſſe à nobis: conſummationem autem eſſe à DEO. Attamen ſatis conſtat, Chryſoſtomum pluribus locis docere apertè, gratiam DEI eſſe fontem omniũ bonorum, & initium omnis boni, quodcunque in homine fuerit, ad ſpiritualem eius ſalutem, æternámque vitam pertinens. 66

Luc. 2. (marginal reference beside "dignos vt ab ipſo trahantur")

Explicatur ſupradicta Chryſoſtomi ſententia. Quò planiùs itaque Chryſoſtomi ſententia intelligatur, ſcire conuenit, ante iuſtificationem hominis, plures in eius animo, & varios eſſe DEI motus, quorum alij ſunt priores, alij poſteriores. Primus motus eſt ipſius intellectus hominis, illuſtrando eum ad conſiderandum id, quod homini bonum eſt, & conducens ad æternam eius ſalutem. Secundus motus eſt voluntatis, afficiendo, & molliter inclinando eam ad cupiendum, & deſiderandum illud bonum, intellectui propoſitum. Tertius motus eſt ipſa tractio hominis ad DEVM, continens efficacem perſuaſionem intellectus: quod bonum ei propoſitum ſit homini conueniens, atque conducens: & item efficacem inclinationem voluntatis ad illud bonum volendum, & amplectendum. Ex his apparet, eum, qui 67

Tres Dei motus in hominis animo ante iuſtificationem eius.

conſen

conſentit primo motui, idoneum fieri ad ſecundum motum: & qui primo,& ſecundo motui conſentit, idoneum fieri ad tertium. Ex aduerſo autem, qui renititur primo motui, non eſt idoneus ad ſecundum: & qui primo, & ſecundo renititur, minimè idoneus eſt tertio motui. Quicunque itaque ſecundum viam ordinariam trahitur à DEO, idoneus fit vt trahatur, ſupradictis duobus primis motibus conſentiendo: id autem non à ſe tantùm, aut potiſſimùm, neque ex virtute liberi arbitrij: ſed principaliter ex gratia DEI præueniente hominem, & idoneum faciente per illas duas primas motiones. Et hinc manifeſtum eſſe poteſt, quemadmodum ſupradicta Chryſoſtomi ſententia ſit intelligenda: ſic autem intellecta non fauet Pelagianis: ſed bene cum Catholica doctrina conſentit.

VIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis;

Fatres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. VER. 49.

68 NON leuem hęc verba continent difficultatem. Vel enim agitur de morte corporali, vel de ſpirituali. Si de corporali: ſicut Iudæi manducantes manna mortui ſunt corporaliter: ita etiam Chriſtiani manducantes panem CHRISTI moriuntur morte corporali. Si agitur de morte ſpirituali, falſum eſt, omnes Iudæos, qui manna in deſerto manducauerunt, eſſe mortuos ſpiritualiter; id eſt, reprobatos à DEO, æternáque morte damnatos. Quod manifeſtè licet cernere in Moyſe, Aaron, Phinees, Ioſue, & aliis, qui manducauerunt illud manna, & DEO placuerunt. Quin etiam multi manducantes panem CHRISTI, moriuntur ſpiritualiter: quia indignè manducant eum panem: & ſicut Apoſtolus dixit; *Iudicium ſibi manducant, & bibunt.* 1. ad Cor. 11.

Quomodo intelligendũ ſit, Iudæos in deſerto manducantes mãna, eſſe mortuos: qui autẽ mãducãt panem Chriſti, eos non mori.

Interpretatio B. Auguſtini. Beatus Auguſtinus interpretatur hoc dę morte ſpirituali; & illud, *Patres veſtri*, intelligendum eſſe ait de Iudæis duntaxat incredulis, atque impiis: quales tunc in illo populo fuêre quamplurimi: & quorum ſimiles erant, quantùm ad incredulitatem, iſti Iudæi,cum quibus CHRISTVS hunc ſermonem habuit:& ideò CHRISTVS illos appellauit Patres iſtorum. Similiter etiam alio *Matthæi 23.* loco de illis dixit;*Et vos implete menſuram patrum veſtrorum; ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Augu- *Auguſtinus.* ſtini verba in Tractatu vigeſimo ſexto in Ioannem,ſunt hęc;Quare illi manducantes manna mortui ſunt? quia quod videbant,credebant; quod non videbant, non intelligebant: & ideò Patres veſtri, quia vos ſimiles eſtis illorum. Nam quantùm ad mortem hanc viſibilem, & corporalem, ſimiliter nos morimur, qui manducamus panem CHRISTI de cœlo deſcendentem. Quantùm verò pertinet ad illam mortem;de qua terret eos Dominus,dicēs; *Patres veſtri mortui ſunt.* Manducauerunt illud manna Moyſes, Aaron, & Phinees, & alij multi; qui Domino placuerunt,& ideò mortui non ſunt; quia viſibilem illum cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt, ſpiritaliter guſtauerunt, vt ſpiritaliter ſatiarentur. Nam & nos hodie accepimus viſibilem cibum;ſed aliud eſt Sacramentum; aliud eſt virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur; Vn- *1. ad Cor. 11.* de Apoſtolus dixit; *Iudicium ſibi manducat, & bibit.* Nónne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? & tamen accepit; & cùm accepit; in eum Diabolus intrauit: non quia malum accepit: ſed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo fratres, panem cœleſtem ſpiritaliter manducantes, innocentiam ad altare apportare: peccata, etiamſi ſunt quotidiana; vel non ſunt mortifera, ante quàm ad altare accedatis; attendite vt dicatis; *Remitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Si dimiſeris, dimittetur tibi. Sic autem ſecurus accede; panis eſt, non venenum. Ergo illi Iudæi manducantes manna mortui ſunt: non quia malum erat manna; ſed quia malè ipſum manducauerunt. Hactenùs ex Auguſtino.

Qualis præparatio animi requiratur ante perceptionē ſacramēti Eucharistia.

Matth. 6.

Videtur ſatis congrua, & probabilis horum verborum explanatio; quæ eſt apud Caietanum. Ait ille, differentiam inter man- 69

Caietanus.

na Iudaicum, & panem CHRISTI, penes mori & non mori, hîc traditam à CHRISTO, intelligi debére ſecundum quandam proportionem. Ea verò proportio in eo conſiſtit, quòd ſicut manna datum eſt Iudæis ad tuendam eorum vitam corporalem: ita panis CHRISTI datus eſt mundo ad conſeruandam vitam ſpiritualem. Hinc autem ſtatim enoteſcit ſuprà dicta differentia: nam illud manna non potuit ſemper ſeruare vitam corporalem, cùius gratia dabatur: quamobrem Dominus dixit; *Patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt.* Panis verò CHRISTI ſemper vitam ſpiritualem præſtat, cuius gratia datur; ſcilicet, quantum in ipſo eſt: habet enim per ſe virtutem perpetuandi vitam ſpiritualem.

70 Equidem puto, abſolutam horum Domini verborum interpretationem fore huiuſmodi; Patres veſtri manducauerunt manna: vt viuerent; neque tamen per eius cibi eſum perpetuam vitam conſequi potuerunt; neque corporalem: quia mortui ſunt: neque ſpiritualem: quia plurimi eorum peccauerunt. Panis autem CHRISTI præſtat vitam ſimpliciter, & arcet mortem, tam corporalem, quàm ſpiritualem. De ſpirituali non eſt dubium: habet enim vim, quantùm in ipſo eſt, ſeruandi perpetuò vitam ſpiritualem. Idem quoque de corporali vita dici debet. Licèt enim manducans panem CHRISTI, moriatur corporaliter; ad breue tamen tempus moritur; ita vt illa mors ſomnus appelletur in Scriptura. Iterùm enim victurus eſt, & nunquàm vltrà moriturus: quod ei præſtabitur per glorioſam corporis reſurrectionem. Vnde hoc loco dixit Dominus; *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Deinde manducans panem CHRISTI, ex ipſo habet iam ſemen, pignus, & ius vitæ æternæ, ſuo tempore poſſidendæ per corporalem reſurrectionem. *Auctoris interpretatio.*

SEQVITVR POSTERIOR PARS ſermonis Domini: incipiens ab illis verbis: *Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita:* in qua parte agitur de ſpirituali, ſimúlque reali manducatione corporis CHRISTI, quæ fit in ſacramento.

VIGESIMATERTIA DISPVTATIO.

Probatur quatuor rationibus, in poſteriori hac ſermonis parte agi de reali, & ſacramentali perceptione corporis, & ſanguinis CHRISTI.

CVM ſpiritualis manducatio corporis CHRISTI 71
ſit vniuerſaliter, & ſimpliciter neceſſaria; & neceſſariò præcedat realem, & ſacramentalem manducationem CHRISTI, quæ dignè, ac fructuosè fit: idcircò CHRISTVS cùm in priori parte huius ſermonis de ſpirituali mãducatione ſatis dixiſſet; in poſteriori parte eiuſdem ſermonis aggreditur explicare alteram manducandæ carnis ſuæ, bibendíque ſanguinis rationem, quæ & ſpiritualis eſt, ſimúlque realis; & fit in perceptione ſacramenti, multò ſanè mirabilior, multóque perfectior.

Quod autem in ſupradictis verbis, à quibus incipit poſterior hæc pars, & in aliis verbis deinceps ſequentibus, CHRISTVS agat de ſpirituali, & reali manducatione ſui corporis; qualis fit in perceptione ſacramenti, quatuor rationibus in hoc loco demonſtrare, ac probare volumus. Prima ratio; Verba, quibus vtitur Dominus in hac poſteriore ſermonis parte, ſecundum propriam eorum ſignificationem, ſatis apertè oſtendunt, agi hoc loco de reali mãducatione corporis CHRISTI. Hoc enim indicant illa verba; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: ſicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Enimuerò illa verba, manducare carnem, & bibere ſanguinem, realem vtriuſque perceptionem non obſcurè ſignificant. Si enim verba hæc nõ ſignificant hoc loco realẽ manducationem CHRISTI; qua ratione conuinci poterunt Hæretici ſacramentarij, verba illa, quibus vſus eſt CHRISTVS inſtituendo ſacramentum Euchariſtiæ in vltima cœna, quæ ſunt; *Manducate, & bibite*; non ſpiritualem tantùm: ſed realem quoque manducationem ſignificare?
Matth.26. Verba autem, quibus tunc vſus eſt CHRISTVS, hæc ſunt; *Accipite,*

pite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Et, *Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus.* Verum profectò eſt documentum magni Baſilij in Oratione nona in Hexameron, & Tertulliani in libro de carne CHRISTI, & Epiphanij contra Hæreſim ſexageſimam primam, & Auguſtini in capite decimo libri tertij de doctrina Chriſtiana; in tractatione diuinarum Scripturarum quærentibus literalem earum ſenſum, non eſſe diſcedendum à propria ſignificatione verborum Scripturæ: niſi cùm manifeſta falſitas, vel abſurditas, quæ ſequeretur verba ſecundum literalem ſenſum accepta, cogit nos ea figuratè intelligere, atque interpretari. Nihil verò abſurdi eſt, ſi ſupradicta verba de reali manducatione Domini accipiantur.

Valde obſeruandum quærentibus literalem ſenſum ſacræ Scripturæ, documentum Baſilij, Tertulliani, Epiphanij, & Auguſtini.

72 Secunda ratio; Solebat CHRISTVS præcipua myſteria ſua, quæ poſteà euentura erant, prædicere, ac prænunciare, ſuóſque potiſſimùm prædocere: tum quò faciliùs poſteà, cùm euenirent, intelligerentur, atque crederentur: tum etiam vt manifeſtú eſſet, ea non caſu, aut inſcio, & inuito CHRISTO: ſed eo ſciente, ac volente contigiſſe: hanc ob cauſam ſæpiùs prædixit paſſionem, & mortem ſuam, & reſurrectionem à mortuis, & aſcenſionem ad cœlum, & aduentum Spiritus ſancti. Cùm igitur ſacramentum Euchariſtiæ vnum eſſet de maximis Fidei myſteriis creditu difficillimis, plus quàm veriſimile eſt, de eo CHRISTVM diſcipulos ſuos præmonuiſſe, ac prædocuiſſe: ſi autem id non fecit in hoc ſermone; nuſquam alibi fecit. Suffragatur huic ſententiæ Auguſtinus in capite primo libri tertij de conſenſu Euangeliſtarum, ſcribens, propterea Ioannem deſcribendo vltimam cœnam CHRISTI, nihil eſſe locutum de inſtitutione ſacramenti Euchariſtiæ; de qua tres alij Euangeliſtæ prodiderunt: quia de eo ſacramento alibi copioſè ſcripſerat; hunc nimirùm ſermonem Domini enarrando. Chryſoſtomus quoque in Homilia octogeſima tertia in Matthæum, tractans illa Domini verba; *Hoc eſt corpus meum:* quærit, quomodo diſcipuli iſtud audientes non ſunt turbati; quinetiam quomodo non illi cohorruerint audientes illud; *Accipite; & manducate; hoc eſt corpus meum.* Quia, inquit, iam illi multò antè fuerant à CHRISTO præmoniti, & prædocti de eo, quod tunc faciebat; in hoc ſcilicet ſermone, quem habuit cum Capharnaitis.

Notabile dictū Auguſtini, & Chryſoſtomi,

Tertia

Quis debeat cenſeri ſenſus litteralis ſacra Scriptura.

Tertia ratio; Is debet cenſeri litteralis ſenſus alicuius loci Scri- 73
pturæ ſacræ, ſecundum quem, id, quod in eo loco tradit Scriptura, & clariùs, pleniùs, atque perfectiùs adimpleri cernitur. Cùm itaque CHRISTVS in hac poſteriori parte ſui ſermonis agat de manducatione carnis ſuæ, & potione ſanguinis, & promittat ſe daturum carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum hominibus; id autem multò clariùs, & perfectiùs impleatur per ſacramentalem, & realem, ſimúlque ſpiritualem manducationem, & potionem; quàm per ſolam ſpiritualem: hinc apertè concluditur, CHRISTVM hoc loco egiſſe de manducatione ſui corporis, quæ ſpiritualis eſt, ſimúlque realis atque ſacramentalis.

Quarta ratio ducitur ex illuſtriſſimis, atque grauiſſimis auctori- 74
tatibus: primò quidem, magnorum Eccleſiæ doctorum; vt Chryſoſtomi, Auguſtini, & Cyrilli, qui hanc ſermonis Domini partem interpretantes, apertè docent agi in ea de ſacramento corporis CHRISTI, in quo realiter ipſe percipitur à fidelibus. Iſtos verò Doctores ſecuti ſunt complures alij, qui cõmentaria in hoc Euangelium ediderunt. Deinde ex omnium fermè ſcholaſticorum Theologorum conſenſu, qui de ſacramento Euchariſtiæ, & ſacrificio Miſſæ diſputantes, realem Domini in vtróque præſentiam probant, & declarant ex verbis CHRISTI, quæ ſunt in hoc loco. Tum ex ſacris Conciliis: in quibus aduerſus Hæreticos de reali præſentia Domini in ſacramento Euchariſtiæ actum eſt, & facta decreta, CHRISTI ſententiis, quæ ſunt in poſteriori parte huius ſermonis, fulta, & munita. Ac demum ex ſenſu, & vſu Eccleſiæ Catholicæ, quæ in feſto de ſacramento corporis Domini, in quo ſacramento CHRISTVS & realiter exiſtit, & realiter percipitur à ſumentibus ſacramentum, pluribus vtitur ſententiis ex hoc loco ſumptis: quinetiam totum Euangelium Miſſæ ex poſteriori hac ſermonis Domini parte ſumptum eſt.

VIGESIMAQVARTA DISPVTATIO.

Exponitur contraria ſententia, quam ſecuti ſunt nonnulli ſcriptores minimè obſcuri, neque ignobiles: & ratio, qua fulcitur ea ſententia, diluitur.

Caie

75 CAIETANVS tamen & ſuper hoc loco, & in tertia Parte B. Thomæ, ſuper articulo duodecimo quæſtionis octogeſimæ, & Ruardus Taper Decanus celebris Academiæ Louanienſis in ſecundo tomo articulorum Louanienſium, in articulo decimo quinto, & Turecremata in Tractatu de Eccleſia, aiunt, in hac poſteriori parte ſermonis CHRISTI agi de manducatione corporis CHRISTI tantùm ſpirituali: non autem ſacramentali. In hanc quoque ſententiam propenſus videtur Thomas Valdenſis in ſecundo tomo de ſacramentis cap. 92. & Nicolaus de Cuſa in Epiſtola ſeptima ad Bohemos, & quidam alij Theologorum ſcholaſticorum.

Caietanus. *Ruardus Taper.* *Turrecrem.* *Thomas Valdenſis.* *Nicolaus de Cuſa.*

76 Caietanus porrò, & Ruardus Taper in locis proximè commemoratis, hac ratione ſuam probare, ac perſuadere voluerunt ſententiam: Si CHRISTVS, inquiunt, in hoc ſermone de reali, & ſacramentali manducatione ſui corporis egiſſet; aliquam procuidubiò ſpecierum ſacramentalium, in quibus Euchariſtiæ ſacramentum conficitur, mentionem feciſſet, vel ſignificationem dediſſet: modum quoque indicaſſet, quo fit conſecratio panis, & vini, & huius ſacramenti confectio. Cùm itaque his de rebus nullum verbum fecerit, ſatis apparet, hîc tantùm agi de ſpirituali manducatione corporis CHRISTI. Sed iſta eſt ſanè quàm leuis, & infirma ratio. Si enim CHRISTVS in hoc ſermone inſtituiſſet ſacramentum Euchariſtiæ, non eſſet fortaſſe iſta eorum aſpernanda ratio: ſicut in vltima cœna inſtituens hoc ſacramentum, accepto pane dixit; *Hoc eſt corpus meum:* ſignificans ſacramentalem ſpeciem panis, ſub qua corpus ſuum dabat manducandum. Similiter accepto calice vini dixit; *Hic eſt ſanguis meus:* indicans ſacramentalem ſpeciem vini, ſub qua ſanguis eius in ſacramento accipitur à fidelibus. At hoc loco CHRISTVS non inſtituit ſacramentum: ſed promiſit ſe id daturum: & ideò neceſſum non fuit indicare ſpecies huius ſacramenti: ſed ſatis fuit tria de eo præmonſtraſſe: primò, quid in eo daturus eſſet nobis; carnem ſcilicet, & ſanguinem ſuum: Deinde neceſſitatem eius, vt potè ſine quo hominis vita ſpiritualis conſtare non queat: tum effectum eius, qui eſt: manere in CHRISTO, & viuere propter CHRISTVM, & habere vitam æternam. Quanquam ſimpliciter falſum eſt, quod

Diſcutitur ratio, qua ſupradicta opinio confirmatur.

iſti auctores pro certo ſumunt, nullam in hoc loco datam eſſe à CHRISTO ſignificationem ſacramentalium ſpecierum : nam cùm dixit Dominus; *Panis,quem ego dabo,caro mea eſt* : non obſcurè ſignificauit ſacramentalem ſpeciem panis,ſub qua caro eius in hoc ſacramento à fidelibus excipitur. Eſt quoque infirmum argumentum, quo vtuntur iſti : Non agitur hìc, inquiunt, de ſacramento Euchariſtiæ : quia nihil dicitur de modo confectionis eius, atque conſecrationis : Sed hoc leue eſt argumentum : nam infrà in ſermone, quem habuit Dominus poſt cœnam, ſæpius promiſit aduentum Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos,loquens de illo ſenſibili,& mirabili Spiritus ſancti aduentu, qui factus eſt in die Pentecoſtes: nec tamen tum CHRISTVS prædocuit Apoſtolos modum : quo venturus erat Spiritus ſanctus:videlicet in ſono Spiritus vehementis ,& in ſpecie ignis, atque linguarum.

VIGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis :

VER.52. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

HÆc verba explanantes Chryſoſtomus, Theophy- 77
lactus, Euthymius, & Rupertus, affirmant,his verbis agi de reali mãducatione corporis CHRISTI, quam exhibuit in vltima cæna. Et quia ſuper hoc valde inſignis, & memorabilis eſt Chryſoſtomi & Theophylacti ſententia, & oratio, vtriuſque verba hìc referre viſum nobis eſt. *Chryſoſt.* Chryſoſtomi verba ſunt huiuſmodi in quadrageſima homilia in Ioannem ; Vt non ſolùm per dilectionem : ſed reipſa in carnem CHRISTI conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis ipſe largitus eſt.Per corpus enim ſuum ſe nobis commiſcuit,& in vnum ſe nobiſcum redegit, vt corpus vniretur cum capite : hoc enim maximè amantium eſt : nam ſerui Iob, ſuum erga illum amorem exaggerantes, dicebant ; *Quis det de carnibus eius ; vt ſaturemur* ? *Locus Iob.31.* Id ſanè præſtitit Dominus, qui quò ſe arctiore nobis charitate aſtringeret, non ſolùm videri ſe à nobis, & tangi: ſed

ſed etiam manducari voluit. Parentes aliis ſæpè liberos ſuos tradunt alendos: ego autem, inquit CHRISTVS, meos mea carne alo, méque totum illis in cibum exhibeo. Ab hac igitur menſa, tanquam leones ignem ſpirantes,ſurgamus Diabolo formidabiles. Dæmones enim cùm in nobis carnem, & ſanguinem Domini vident, protinus in fugam vertuntur: Angeli verò ad nos continuò accurrunt. Hactenus ex Chryſoſtomo.

78 Theophylactus explanans hæc Domini verba; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt:* ita ſcribit; Non dixit Dominus; Panis, quem ego dabo, figura carnis meæ eſt: ſed dixit, *caro mea eſt*: Transformatur enim panis ille arcanis verbis, per benedictionem myſticam, & acceſſionem Spiritus ſancti, in carnem Domini. Nec mirum videri debet,panem verti in carnem CHRISTI: id enim quotidie in CHRISTO eueniebat,dum nobiſcum in terris mortalem egit vitam: panis enim, & cibus, quem ipſe quotidie ſumebat, in ſubſtantiam eius vertebatur,& deificabatur à CHRISTO: ita vt panis terrenus, & cibus humanus, caro DEI fieret. Sed dices; Cur in hoc Sacramento non apparet caro CHRISTI? Nempè ne præ timore, atque horrore, ab eius eſu homines abhorrerent: ideóque eam nobis exhibuit ſub ſpeciebus earum rerum, quibus omnes aſſueti ſumus, & libenter vtimur. Hæc Theophylactus. Verùm conuerſio panis alimentitij, quo CHRISTVS nutriebatur, in corpus eius,multum differt à conuerſione panis in corpus CHRISTI; quæ fit in Sacramento Euchariſtiæ, licèt per illam declarare, & probare hanc voluerit Theophylactus. Nam in illa poſt conuerſionem manebat ſubſtantia materiæ panis alimentitij; & addebatur ſubſtantiæ corporis CHRISTI, ipſum vegetans, & roborans, & augens in tempore augmenti. At verò in hac conuerſione panis Sacramentalis in corpus CHRISTI, poſt conſecrationem nulla panis manet ſubſtantia, neque forma, neque materia, nihílque ex ipſo pane additur ſubſtantiæ CHRISTI.

Theophyl.

Animaduerſio in dictum quoddã Theophylacti.

79 Præterea quòd in iſtis verbis Domini agatur de Sacramentali manducatione corporis eius, confirmare licet auctoritate Beati Auguſtini: Is enim in capite quinto libri decimi ſeptimi de Ciuitate DEI, ſcribit, hanc ſententiam Domini; *Panis, quem ego dabo,*

Auguſt.

caro mea eſt, pertinere ad Sacramentum, & ſacrificium Domini: cuius imaginem tanto antè prætulit Melchiſedech; panem,& vinum offerens DEO: idémque confirmat Auguſtinus in Epiſtola nonageſima quinta.

Lectio Græca huius loci.

Illud quoque ſciat lector, ſecundum Græcam lectionem, bis in 80
hac ſententia Domini poni verbum, *dabo*: hoc modo; *Panis,quem ego dabo,caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Sic enim habent codices Græci, & qui commentaria Græca in hoc Euangelium ſcripſerunt. Quocircà licèt in tranſlatione Latina illud poſterius, *dabo*,non ſit expreſſum:videtur tamen eſſe ſubintelligēdum.Rectè autem Beatus martyr Roffenſis in eo lib.quem de Euchariſtia ſcripſit, aduerſus Oecolampadium, ex hoc loco argumentatur, per illud duplex verbum, *dabo*, apertè ſignificatam eſſe duplicem dationem carnis CHRISTI: priorem quidem in vltima cœna, inſtituendo Sacramentum Euchariſtiæ: poſteriorem autem in cruce, offerendo carnem ſuam in ſacrificium DEO pro humani generis redemptione, ac ſalute.

Roffenſis martyr.

VIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Quomodò intelligendum ſit, quod in his verbis dixit Dominus, panem eſſe carnem ſuam: & quoddam ſuper hac re paradoxum Ruperti examinatur.

VIDETVR difficilem habere intellectum, quod in 81
his verbis dicitur, panem, qui datur in Sacramento, eſſe carnem CHRISTI.Id enim ſuffragari videtur errori Lutheranorum, negantium tranſubſtantiationem panis in carnem CHRISTI: & aientium,in Sacramento eſſe quidem CHRISTVM: ſed manente tamen ſubſtantia panis. Quod etiam ſuper his verbis ſcriptum reliquit Rupertus, id cautè legendum eſt:continet enim neſcio quid, primo aſpectu, planè falſum. Eius ſententia eſt huiuſmodi; Sicut,quia CHRISTVS in vtero virginis carnem noſtram aſſumpſit in vnitatem ſuæ perſonæ diuinæ, non miramur: imò catholicè dicimus, carnem eſſe DEVM, & eſſe verbum DEI: ita catholicè

Lutherani.

Paradoxum. Ruperti.

catholicè dicitur; Panis eſt caro CHRISTI: quia CHRISTVS cum panem aſſumpſit in vnitatem ſuæ perſonæ, & in corpus ſuum tranſtulit. Et hæc quidem eſt Ruperti ſententia; quæ vt ipſa ſonant verba, perſpicuè falſa eſt. Multum quippè intereſt inter incarnationem CHRISTI, & Sacramentum Euchariſtiæ: nam in illa manſit integra ſubſtantia carnis aſſumptæ; in hoc autem nulla manet ſubſtantia panis conſecrati. In illa, eſt facta vnio hypoſtatica carnis humanæ cum natura diuina: in hoc autem nullo modo talis fit vnio: ſed fit tranſubſtantiatio panis in corpus CHRISTI.

82 Declarandum itaque eſt, quomodo verè dicatur panis eſſe caro CHRISTI; cùm ante conſecrationem non ſit caro CHRISTI: poſt conſecrationem autem, non ſit panis, non manente panis ſubſtantia. Duobus id modis declarari poteſt. Primò, quia licèt tunc non ſit panis ſecundũ ſubſtantiã: fuit tamen immediatè ante conſecrationem, eique per conſecrationem ſucceſſit caro CHRISTI. Hoc etiam genere locutionis vtitur ſacra Scriptura in capite ſeptimo libri Exodi; vbi dicitur virga Moyſis deuoraſſe virgas Magorum; id autem eſt, ſerpens à Moyſe factus deuorauit ſerpentes factos à Magis: ſed quia immediatè antè fuerat virga, & hæc mutata eſt in ſerpentem, appellatur ſerpens nomine virgæ. Deinde licèt poſt conſecrationem non ſit panis ſecundum ſubſtantiam: eſt tamen ſpecies, & ſimilitudo panis in accidentibus etiam tunc remanentibus; quæ tum quia referunt figuram panis; tum quia retinent naturales virtutes, & effectus panis ſubſtantialis, idcircò nomine panis appellantur. Solet enim diuina Scriptura ſimilitudines rerum appellare nominibus ipſarum rerum: ſic enim in quadrageſimo primo capite libri Geneſis ſcriptum eſt; *Septem ſpicæ plenæ, ſeptem vbertatis anni ſunt*: id verò eſt, ſignificant ſeptem annos vbertatis. Eodem ſpectat illud Euangelicum; *Semen eſt verbum* DEI: id eſt, ſignificat verbum DEI. Sicut contrà, interdum res ipſæ appellantur nominibus ſimilitudinum, per quas ſignificatæ ſunt: cuiuſmodi eſt illud, quod Regi Nabuchodonoſor dixit Daniel; *Tu es caput aureum*: pro eo, quod eſt; Tu ſignificatus es per caput aureum illius ſtatuæ, quam in ſomno vidiſti.

Declaratur duobus modis, quomodo panis dicatur eſſe caro Chriſti.

Duplex figurata locutionis genus in ſacra Scriptura vſitatum.

Matth. 13.

Daniel. 2.

VIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 53. Litigabant ergo Iudæi adinuicem, dicentes; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?

PRO illo verbo, *litigabant*, Græcum verbum propriè ſignificat; pugnabant, ſiue decertabant adinuicem: ſed quia id agebatur non armis: ſed verbis, rectè Latinus interpres vertit, *litigabant*: quaſi diſceptantes inter ſe; quomodo dictũ illud CHRISTI; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, intelligi deberet, & an eſſet vllo modo probabile. Ex hoc autem loco perſpicuè intelligitur, Iudæos illos Capharnaitas intellexiſſe, CHRISTVM ſupradictis verbis locutum eſſe de reali ſuæ carnis manducatione: quam, quia putabant eſſe impoſſibilem, propterea adinuicem litigabant, & diſceptabant ſuper illo CHRISTI dicto. Suprà etiam cùm dixit CHRISTVS; *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi*, murmurauerunt iſti Iudæi: non quia dixerat ſe panem eſſe: intellexerunt enim hoc eum dixiſſe per quandam myſticam, & ſpiritualem ſignificationem: ſed quia dixerat, ſe de cœlo deſcendiſſe: & ideò dicebant; *Nónne hic eſt* IESVS *filius Ioſeph; cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo deſcendi?* Hìc autem, cùm dixiſſet Dominus; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt:* intellexerunt illi, locutum eſſe ipſum de reali manducatione ſuæ carnis: ſed quia putabant, manducationem illam fieri debere carnali modo: quo ſcilicet modo manducantur carnes animalium: ideò ſuper CHRISTI dicto, tanquàm omninò improbabili, & abſurdo, inuicem diſceptabant. 83

Si autem illi Iudæi errauiſſent in eo, quod putabant CHRISTVM illis verbis locutum eſſe de reali mãducatione ſuæ carnis: ſanè vel ipſe CHRISTVS, vel certè Ioannes, qui hoc ſcripſit Euangelium, eorum detexiſſet, & correxiſſet errorem: Quemadmodum ſuprà in capite ſecundo, cùm dixiſſet CHRISTVS; *Soluite* 84

nite templum hoc: & Iudæi putaſſent id eſſe dictum de templo Salomonis: Ioannes falſam eorum intelligentiam corrigens, protinus adiunxit; *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Et cùm aliàs dixiſſet diſcipulis, vt cauerent à fermento Phariſæorum; & putaſſent diſcipuli propterea id dictum eſſe, quòd non tuliſſent panes; proximè ſubiecit Euangeliſta, Dominum locutum eſſe de hypocriſi Phariſæorum, quam figuratè vocabulo, fermenti, denotauit. *Matth. 16.* Hoc autem loco tantùm abeſt, vt à CHRISTO intelligentia verborum ipſius, quam habebant illi Iudæi, tanquam falſa reprehenderetur, & corrigeretur, vt multò etiam magis confirmaretur verbis illis proximè ſequentibus; *Amen, amen dico vobis; Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

85 Cæterùm illa curioſè hoc loco penſitanda ſunt iſtorum Iudæorum verba; *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Sunt enim verba infidelitatis, & diabolicæ fraudis plena. Nam, vt ſuper hoc loco ait Chryſoſtomus, ſtatim vt mentem *Chryſoſt.* ſubit cogitatio incredulitatis, erumpit ex ore vox hæc; Quomodo fieri poteſt? per hoc vniuerſam DEI Scripturam, omnes fidei articulos, omnia DEI miracula oppugnant. Sed extremæ dementiæ eſt, quærere rationem in iis, quæ omnem rationem exuperant, & modum exigere in his, vbi res ſuper omnem eſt modum: non ſecus profectò, quàm ſi quis vellet aut Oceanum cyatho exhaurire, aut mundum totum intra pugnum ſuum coarctare.

86 Dicunt Iudæi: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Sed reſpondeant ipſi nobis; Quomodo DEVS vniuerſum mundum ex nihilo creauit ſolo verbo ſuo? Quomodo tot miracula in veteri Teſtamento facta ſunt? An dicent illa fuiſſe poſſibilia DEO? Sed quomodo, ipſis videntibus CHRISTVS multiplicatis quinque panibus tot millia hominum ſatiauit? Quomodo conuertit aquam in vinum? Quomodo ſuper mare ambulauit? Quomodo mortuos reuocauit ad vitam? Cur non ex illis, quæ oculis ſuis viderant, & manibus ſuis tractauerant, & magnam ex illis vtilitatem ipſi perceperant, didicerunt credere, etiam poſſibilia, & vera eſſe alia CHRISTI dicta, & facta, quæ ipſi non intelligebant? Sed murmurationis iſtorum Iudæorum

Ex alijs Chriſti miraculis debuiſſe illos Iudæos credere, eſſe poſſibilia, & vera, quæ de Sacramēto ſuæ carnis, & ſanguinis Chriſtus eis dicebat.

aduerſus

aduerſus CHRISTVM figura olim fuit murmuratio Iudæorum in deſerto aduerſus DEVM, deſperantium ab eo ſe in deſerto ali, & ſuſtentari poſſe: quam eorum murmurationem deſcripſit Dauid in Pſalm. 77. illis verbis; *Malè locuti ſunt de* DEO: *dixerunt; Nunquid poterit* DEVS *parare menſam in deſerto? quoniam percuſſit petram,& fluxerunt aquæ,& torrentes inundauerunt; Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?*

Locus Pſal. 77.

VIGESIMAOCTAVA DISPVTATIO.

In Hæreticos ſacramentarios,& in philoſophos,propterea credere nolentes vera eſſe, quæ de ſacramento corporis CHRISTI *dicuntur, quòd ipſi non intelligant, quo ea modo fieri queant.*

DICIT Hæreticus ſacramentarius; Quomodo poteſt eſſe CHRISTVS ſecundum realem præſentiam ſuam in ſacramento? Id enim non eſt intelligibile. Ergo, tu Hæretice, fidem metiris ingenio, & intelligentia tua: Non igitur credes myſterio Trinitatis,non incarnationis verbi DEI, non reſurrectionis mortuorum. Dices enim, quomodo poſſunt hæc fieri: non enim humano ingenio, & ratione ſunt intelligibilia? Neque tu credes ſacræ Scripturæ dicenti; corpus CHRISTI ianuis clauſis ingreſſum eſſe ad diſcipulos: quomodo enim poteſt id fieri? Imò nihil denique credes, quod ſit ſupra intellectum tuum, nullámque habebis fidem: ea quippè, ſecundum Apoſtolum, argumentum eſt non apparentium. Sed audi Auguſtinum in tertia Epiſtola, quæ eſt ad Voluſianum iſtam arrogantiam grauiſſimis verbis hunc in modum deprimentem; Ipſa DEI virtus, quæ per inuiolata matris viſcera CHRISTVM eduxit infantem, poſteà per ianuas clauſas iuuenem introduxit. Si ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus poſſe DEVM aliquid facere, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus enim rebus, tota ratio facti, eſt potentia facientis. Sic Auguſtinus. 87

Ioan. 20. *Ad Heb. 11.* *Praclara, maximéque obſeruanda Beati Auguſtini ſententia.*

Philoſophus etiam quiſpiam infidelis dicet; Quomodo poteſt 88

corpus

corpus CHRISTI & in cœlo manere immotum, & nihilominùs tamen ſecundum realem præſentiam ſuam eſſe in ſacramento? Quomodo poteſt tantum corpus eſſe totum in paruuula hoſtia, & in qualibet eius parte? Quomodo poteſt eſſe corpus alicubi ſine coextenſione eius ad locum? Quomodo poteſt eodem tempore ſecundum realem præſentiam ſuam eſſe in omnibus hoſtiis conſecratis per vniuerſum terrarum orbem? Quomodo poſſunt accidentia eſſe ſine ſubiecto? Quomodo ſine ſubſtãtia poſſunt habere vim nutriendi, & vegetandi, & augendi corpus ſumentis ſacramenrum?

Contra philoſophos obtrectantes ſacramẽto Eucharistia.

89 Sed nos viciſſim ab iſtis philoſophis poſſemus quærere; non ſupernaturalia, & diuina; vt ſunt fidei Chriſtianæ myſteria, quorum ipſi rationem, & modum exigunt à nobis: ſed naturalia, & ſenſibus noſtris expoſita, & manifeſta, quærere, inquam, poſſemus quomodo illa fiant. Exempli gratia; Quomodo magnes ad ſe trahit ferrum, & in pyxide nautica vergit ſemper, & dirigit ad Septentrionem? Quomodo perpetuus in mari fluxus, & refluxus fiat: & cur non in omni mari: ſed in quibuſdam tantùm locis fiat? Quomodo in aëre generetur Echo reſonans, & referens verba humano ore formata, & prolata? Quomodo in ſpeculis exiſtunt quaſi efficta, & expreſſa intuentium ſimulachra?

Multa in rebus naturalibus eſſe; quorum rationẽ, & modũ philoſophi expedire nõ queũt.

90 Sed in iſtis rebus naturalibus, & mirabilibus omnem ſuperat mirabilitatem, quod traditum eſt memoriæ de piſce, qui à Græcis dicitur Echeneis, à Latinis remora. Hic ingentia nauigia magnis oneribus grauata, & incitatiſſimo curſu in mari delata, cùm tantùm ſemipedalis ſit, adhærendo eis, ſiſtit, & firmat immota. Dicat nobis philoſophus, quomodo iſtud tantillus piſcis efficere valeat. Lubet referre hoc loco memorabilem de eo piſce hiſtoriam diſertiſſimis verbis in capite ſecundo libri trigeſimi ſecundi à Plinio ſcriptam: Omnia hæc, inquit, ſuperat vnus, & paruus admodum piſciculus, Echeneis appellatus. Ruant venti licèt, & ſæuiant procellæ; imperat furori, viréſque tantas compeſcit: & cogit ſtare nauigia: quod non vincula vlla valent, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem, nullo ſuo labore, non retinendo; nec alio modo, quàm adhærendo. Hęc tantilla res ſatis eſt contra tot impetus, vt vetet ire nauigia.

Admirabile ingenium, & virtus piſcis, qui appellatur remora; & præclara eius hiſtoria à Plinio ſcripta.

Roſtratas naues, ære, ferróque armatas ſemipedalis inhibere poteſt, ac tenere deuinctas piſciculus. Fertur Actiaco Marte tenuiſſe prætoriam nauim Antonij properantis circumire, & exhortari ſuos. Tenuit & noſtra memoria Caij Principis ab Aſtura Antium remigantis quinqueremem: & ſtatim cauſa intellecta exilientibus protinùs, qui id quærerent circa nauim, inuenêre adhærentem gubernaculo, oſtenderúntque Caio indignanti, hoc fuiſſe, quod ſe reuocaret, & quadringentorum remigum obſequio contra ſe intercederet. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in nauim receptus. Qui tunc, poſteáque vidêre, cum limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt. Hæc Plinius.

Reſpōſio Philoſophorū eluditur.

Non ſum neſcius, ad iſta mirabilia, quæ propoſui, vulgarem, 91
promptámque multorum eſſe reſponſionem, iſta fieri propter occultas virtutes in rebus ipſis latentes, vel propter varias cœli, ac ſyderum influentias. Sed profectò non minùs verè, quàm lepidè à prudenti quodam, & diſerto, doctóque ſcriptore dictum eſt, virtutes occultas, & influentias cœli, duo eſſe perfugia, & quaſi aſyla ignorātiæ philoſophorum: Nam cùm illi mirabilium effectuum naturæ veras, & certas, atque proprias cauſas explicare non queūt: protinùs ad iſta confugiunt. Nónne ſatius foret, ſuam ingenuè confiteri earum rerum ignorationem, quàm iſta dicere, quæ neque intelligant indocti, & docti rideant? Si igitur negari non poteſt, multa latere in natura rerum mortalibus ignota, &, vt ipſa ſunt, inexplicabilia; cur tanto ſupercilio à nobis exigunt philoſophi vt ea, quæ ſupra omnem ſunt naturæ vim, ſupráque humanæ mentis intelligentiam, euidenter ipſis, & ſcientificè demonſtremus? Sed hæc nos, licèt, qualia in ſe ipſis ſint, euidenter demonſtrare non poſſimus; demonſtrare tamen euidenter poſſumus ea eſſe credibilia. Verùm ſuper ea re non eſt hîc diſſerendi locus.

VIGE

VIGESIMANONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Amen, amen dico vobis; Niſi manducaueritis carnem Filij hominis,& biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis. VER.54.

De ſeptem modis, quibus cogitari poteſt, CHRISTI *carnem manducari ab hominibus: & quòd in his verbis agatur de reali, & ſacramentali manducatione carnis* CHRISTI.

92 SEPTEM modis cogitari poteſt, CHRISTI carnem manducari ab hominibus. Primò, carnali modo, & ita vt manducantur carnes animalium. Et hunc ſenſum, atque intellectum ex verbis CHRISTI conceperunt animis ſuis illi Capharnaitæ, quibuſcum Dominus hæc ſermocinabatur: ideoque vehementer offenſi, & abalienati à CHRISTO ſunt. Deinde poteſt hoc accipi in malam partem, vt ſignificet ardenter expetere exitium, & necem alicuius. Et ad hanc ſententiam pertinet illud Dauidis in pſalmo vigeſimo ſexto; *Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas.* Et hac ratione Iudæi hoſtes CHRISTI, vehementer cupiebant edere carnem CHRISTI. Tum in contraria ſignificatione, pro eo, quod eſt, ardentiſſimo amore quempiam proſequi. Secundum hanc ſignificationem accipiendum eſt illud, quod ſerui Iob de eo dixerunt; *Quis det de carnibus eius, & ſaturemur?* Ad hæc,myſticè,ita vt nomine corporis CHRISTI intelligatur Eccleſia Catholica, quæ eſt corpus eius myſticum: & manducare corpus CHRISTI ſignificet incorporari Eccleſiæ, & in eius vnitate manere. Atque hac ratione Beatus Auguſtinus pluribus locis accommodat hanc ſententiam ad myſticam intelligentiam, dicens, omnes baptizatos, eo ipſo manducare corpus CHRISTI. Præterea, omninò ſpiritualiter manducare CHRISTVM, per fidem nempe viuam meditando, & imitando paſſio-

Locus Iob cap. 31.

nem Domini, in qua pro nobis caro eius crucifixa eſt, & ſanguis eius effuſus. Sexto modo, tantùm ſacramentaliter; accipiendo tantummodò ſacramentum, non autem rem ſacramenti: quo modo manducant carnem CHRISTI, qui ſacramentum Euchariſtiæ indignè accipiunt. Septimo, & vltimo modo, ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter manducare corpus CHRISTI; quæ eſt perfecta eius manducatio, de qua CHRISTVM in his verbis eſſe locutum ſecundum ſenſum literalem nos arbitramur.

Auctores, qui ſupradicta Domini verba de reali, & ſacramentali mãducatione Chriſti ſunt interpretati.
Cyrillus. Euthymius. Rupertus. Theophyl. Chryſoſt.

Quod autem in his verbis agatur de reali, & ſacramentali manducatione corporis CHRISTI, probari poteſt multorum, magnorúmque doctorum auctoritatibus. Cyrillus in libro quarto commentariorum in Ioannem cap. 14. Euthymius, Theophylactus, & Rupertus, ſecundum literalem ſenſum, hanc Domini ſententiam interpretantur de ſacramento Euchariſtiæ. Chryſoſtomus explanans hæc Domini verba, ita ſcribit; Capharnaitæ putabant impoſſibilem eſſe manducationem corporis CHRISTI: CHRISTVS autem non ſolùm eam poſſibilem eſſe; ſed etiam neceſſariam aſſerit, dicens; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ne quis putaret eum obſcurè, & parabolicè loqui, ideò ſæpiùs idem repetiuit, & pluribus verbis confirmauit. Sic ille. Si autem CHRISTVS non loqueretur de reali manducatione, qualis fit in ſacramento, profectò admodùm obſcurè, nec propriè: ſed parabolicè, ac figuratè locutus eſſet. 93

Cyprianus. Caſſiodorus. Auguſtinus. Bernardus.

Hanc quoque ſententiam Domini, ita, vt diximus, interpretati ſunt Cyprianus in libro tertio ad Quirinum cap. 25. & 26. & Caſſiodorus ſuper pſalmo centeſimo nono, Bernardus in ſermone primo de Reſurrectione Domini, Auguſtinus in Leuiticum quæſt. 57. & libro primo contra Creſconium grammaticum cap. 25. & libro primo de peccatorum remiſſione cap. 20. & in Tractatu vndecimo in Ioannem explanans illa verba, quæ ſunt in capite ſecundo; *Ipſe autem non credebat ſemetipſum eis.* Rurſus Cyprianus in Tractatu de oratione Dominica, & Cyrillus libro tertio in Ioannem cap. 37. & Concilium Cabilonenſe cap. 46. docent, periculoſum eſſe, & detrimentoſum diu abſtinere à perceptione ſacramenti Euchariſtiæ; nec de hoc dubitari poſſe: quia Dominus dixit; 94

Cyprianus. Cyrillus. Cõcliũ Cabilonenſe.

Niſi

Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Sanctus Baſilius in libro primo de baptiſmo capite tertio ita ſcribit; Sicut carnaliter generati non poſſunt carnalem vitam diu ſeruare, niſi cibo vtantur carnali: ſic regenerati ſpiritualiter per baptiſmum, non poſſunt vitam, quam acceperunt, ſeruare, niſi nutriantur diuino cibo: de quo Dominus dixit; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* *Baſilius.*

TRIGESIMA DISPVTATIO.

Explicatur ſententia quædam Beati Auguſtini aientis, ſupradicta Domini verba eſſe accipienda non propriè: ſed figuratè, eiſque ſignificari meditationem, & communicationem paſſionis CHRISTI.

95 BEATVS Auguſtinus in capite decimoſexto libri tertij de Doctrina Chriſtiana, tradens regulam; qua cognoſci, & iudicari queat, quando figurata ſit locutio diuinæ Scripturæ: & quando non ſit figurata; exemplum figuratæ locutionis ponit hæc Domini verba; *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam cùm iſtis verbis aliquid præcipi videatur abſurdum, ea profectò figuratè accipienda ſunt: ſignificatur autem iſtiuſmodi locutione figurata communicandum eſſe paſſioni CHRISTI, & ſuauiter atque vtiliter memoria repetendum, quemadmodum caro CHRISTI pro nobis crucifixa ſit, eiúſque ſanguis effuſus. Auguſtini verba ſunt hæc; *Auguſtinus.* Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans: aut vtilitatem, ſiue beneficentiam iubens, non eſt figurata locutio. Si autem flagitium, aut facinus videtur iubere: aut vtilitatem, & beneficentiam vetare, figurata eſt locutio: qualis eſt in illis verbis Domini; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Facinus enim, vel flagitium videntur iubere: figurata igitur eſt oratio, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter, atque vtiliter recolen-

nem Domini, in qua pro nobis caro eius crucifixa eſt, & ſanguis eius effuſus. Sexto modo, tantùm ſacramentaliter; accipiendo tantummodò ſacramentum, non autem rem ſacramenti: quo modo mānducant carnem CHRISTI, qui ſacramentum Euchariſtiæ indignè accipiunt. Septimo, & vltimo modo, ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter manducare corpus CHRISTI; quæ eſt perfecta eius manducatio, de qua CHRISTVM in his verbis eſſe locutum ſecundum ſenſum literalem nos arbitramur.

Auctores, qui ſupradicta Domini verba de reali, & ſacramentali mãducatione Chriſti ſunt interpretati.

Cyrillus. *Euthymius.* *Rupertus.* *Theophyl.* *Chryſoſt.*

Quod autem in his verbis agatur de reali, & ſacramentali manducatione corporis CHRISTI, probari poteſt multorum, magnorúmque doctorum auctoritatibus. Cyrillus in libro quarto commentariorum in Ioannem cap. 14. Euthymius, Theophylactus, & Rupertus, ſecundum literalem ſenſum, hanc Domini ſententiam interpretantur de ſacramento Euchariſtiæ. Chryſoſtomus explanans hæc Domini verba, ita ſcribit; Capharnaitæ putabant impoſſibilem eſſe manducationem corporis CHRISTI: CHRISTVS autem non ſolùm eam poſſibilem eſſe; ſed etiam neceſſariam aſſerit, dicens; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ne quis putaret eum obſcurè, & parabolicè loqui, ideò ſæpiùs idem repetiuit, & pluribus verbis confirmauit. Sic ille. Si autem CHRISTVS non loqueretur de reali manducatione, qualis fit in ſacramento, profectò admodùm obſcurè, nec propriè: ſed parabolicè, ac figuratè locutus eſſet. 93

Cyprianus. *Caſſiodorus.* *Auguſtinus.* *Bernardus.*

Hanc quoque ſententiam Domini, ita, vt diximus, interpretati ſunt Cyprianus in libro tertio ad Quirinum cap. 25. & 26. & Caſſiodorus ſuper pſalmo centeſimo nono, Bernardus in ſermone primo de Reſurrectione Domini, Auguſtinus in Leuiticum quæſt. 57. & libro primo contra Creſconium grammaticum cap. 25. & libro primo de peccatorum remiſſione cap. 20. & in Tractatu vndecimo in Ioannem explanans illa verba, quæ ſunt in capite ſecundo; *Ipſe autem non credebat ſemetipſum eis.* Rurſus Cyprianus in Tractatu de oratione Dominica, & Cyrillus libro tertio in Ioannem cap. 37. & Concilium Cabilonenſe cap. 46. docent, periculoſum eſſe, & detrimentoſum diu abſtinere à perceptione ſacramenti Euchariſtiæ; nec de hoc dubitari poſſe: quia Dominus dixit; 94

Cyprianus. *Cyrillus.* *Cõcilium Cabilonenſe.*

Niſi

Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Sanctus Baſilius in libro primo de baptiſmo capite tertio ita ſcribit; Sicut carnaliter generati non poſſunt carnalem vitam diu ſeruare, niſi cibo vtantur carnali: ſic regenerati ſpiritualiter per baptiſmum, non poſſunt vitam, quam acceperunt, ſeruare, niſi nutriantur diuino cibo: de quo Dominus dixit; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* *Baſilius.*

TRIGESIMA DISPVTATIO.

Explicatur ſententia quædam Beati Auguſtini aientis, ſupradicta Domini verba eſſe accipienda non propriè: ſed figuratè, eiſque ſignificari meditationem, & communicationem paſſionis CHRISTI.

95 BEATVS Auguſtinus in capite decimoſexto libri tertij de Doctrina Chriſtiana, tradens regulam; qua cognoſci, & iudicari queat, quando figurata ſit locutio diuinæ Scripturæ: & quando non ſit figurata; exemplum figuratæ locutionis ponit hæc Domini verba; *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam cùm iſtis verbis aliquid præcipi videatur abſurdum, ea profectò figuratè accipienda ſunt: ſignificatur autem iſtiuſmodi locutione figurata communicandum eſſe paſſioni CHRISTI, & ſuauiter atque vtiliter memoria repetendum, quemadmodum caro CHRISTI pro nobis crucifixa ſit, eiúſque ſanguis effuſus. Auguſtini verba ſunt hæc; *Auguſtinus.* Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans: aut vtilitatem, ſiue beneficentiam iubens, non eſt figurata locutio. Si autem flagitium, aut facinus videtur iubere: aut vtilitatem, & beneficentiam vetare, figurata eſt locutio: qualis eſt in illis verbis Domini; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Facinus enim, vel flagitium videntur iubere: figurata igitur eſt oratio, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter, atque vtiliter recolen-

dum memoria quia pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata eſt. Sic Auguſtinus.

Ianſe. mini. Ianſennius iſta Domini verba tractans in capite quinquageſimo nono ſuæ concordiæ Euangelicæ, hanc Beati Auguſtini ſententiam., & verborum Domini interpretationem valde vrget; ex ea putans clarè demonſtrari, in his verbis Domini non agi de reali manducatione carnis CHRISTI. At enim ſi propterea hæc ſententia Domini non eſt propriè: ſed figuratè accipienda: quia videtur aliquod præcipere flagitium, & quod abſurdum ſit; ergo etiam locutio CHRISTI in vltima cœna; cùm inſtituens ſacramentum Euchariſtiæ dixit; *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum:* non eſſet propria: ſed figurata: cùm ſimiliter idem flagitium, & abſurdum præcipi videatur: ſicut volunt Hæretici ſacramentarij: quod tamen nullo modo vult Ianſennius. 96

Quemadmodum interpretanda ſit ſupradicta Auguſtini ſententia. Nos itaque oſtendamus quemadmodum iſta Beati Auguſtini ſententia minimè aduerſetur ſententiæ noſtræ. Duobus modis interpretari licet dictũ Auguſtini. Ac primò quidem ſuprà nos præmonuimus, in hac poſteriori parte ſermonis Domini agi de manducatione corporis CHRISTI non ſolùm reali: ſed etiam ſimul de ſpirituali. Si ergo in iſtis verbis Domini ſpectetur ſpiritualis manducatio, ſine dubio figurata eſt locutio: & ad hanc ſolam reſpexit Auguſtinus, quia hæc erat prompta, & expedita ad intelligendum: realem verò, quæ fit in ſacramento, manducationem corporis CHRISTI nõ excluſit: ſed tacuit; quia difficilior erat ad explicandum paucis verbis, & ipſe obiter iſtud dixerat feſtinans ad alia. 97

Deinde illud quoque reſponderi poteſt, etiam ſacramentalem manducationem corporis CHRISTI poſſe dici partim figuratam, & partim propriam. Propria dici poteſt ratione rei, quæ ſumitur: nam verè, & realiter ſumitur caro CHRISTI: figurata verò dici poteſt ratione modi ſumendi; ſi comparetur huiuſmodi manducatio cum manducatione aliarum carnium; quas lacerando, coquendo, & dentibus terendo, & in ſubſtantiam noſtri corporis conuertendo, manducamus: hoc enim vulgo appellatur comedere carnes. In ſacramento autẽ Euchariſtiæ caro CHRISTI impaſſibiliter, atque inuiſibiliter ſumitur. Et ſic intellexit Auguſtinus. 98

ſtinus. Præterea ſacramentalis manducatio dicitur figurata ; non quia fiat per tropum quendam, & metaphoram ; vt volunt Hæretici : ſed quia fit per ſigna ſacramentalia panis, & vini ; vt idem ſignificet, figuratè ſumi, atque in myſterio, & in ſacramento ſumi.

99 Illa porrò verba ; *Niſi manducaueritis, & niſi biberitis :* quia indefinitè poſita ſunt, denotant indefinitum tempus : quo realiter, & ſacramentaliter manducare oportet carnem CHRISTI. CHRISTVS enim noluit ſuo decreto, & præcepto ſancire, quando, & quoties ſumendum ſit hoc ſacramentum : ſed id reliquit Eccleſiæ decernendum, & præcipiendum pro varia hominum deuotione, ſiue ſemel in anno, ſiue ſæpiùs, ſiue etiam quotidie. Et verò, reſpectu ſacerdotum, rectè dicitur quotidianum ſacrificium, & quotidiana ſacramentalis manducatio CHRISTI : qua etiam de cauſa appellari ſolet iuge ſacrificium ; præfiguratum olim Iudaico illo iugi ſacrificio, in quo quotidie vnus agnus mane, & alter veſperi ſacrificabatur.

An Chriſtus certũ, & definitum tẽpus manducandæ carnem ſuam præſtituerit

Exod. 29.

TRIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

Soluuntur duæ rationes ex iſtis Domini verbis ductæ ; quibus probari videtur, in his verbis non agi de reali, & ſacramentali manducatione corporis CHRISTI.

100 PRIMA ratiò, qua vſus eſt Caietanus in tertia parte B. Thomæ ſuper articulo duodecimo quæſtionis octogeſimæ, eſt huiuſmodi ; Hæc verba ; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, apertè demonſtrant, hìc agi de manducatione corporis CHRISTI ſimpliciter omnibus neceſſaria ad ſalutem: vt potè ſine qua ſpiritualis vita animæ conſtare non queat ; Id enim ſignificant illa verba ; *Non habebitis vitam in vobis.* At ſine ſacramentali manducatione CHRISTI poteſt conſtare vita animæ ; per ſolum nempè baptiſmum, vel perfectam animi conuerſionem ad DEVM : Ergo in iſtis verbis CHRISTVS non egit de reali, & ſacramentali manducatione ſuæ carnis. Patet etiam hoc in

Caietanus.

paruulis

paruulis baptizatis, qui multo tempore habent in ſe vitam gratiæ ſine ſumptione ſacramenti Euchariſtiæ.

Quomodo ſacramentalis mãducatio ſit neceſſaria ad ſalutem.

101 Ad hanc rationem dupliciter poteſt reſponderi. Primò, dici poteſt ſacramentalis manducatio eſſe ſimpliciter neceſſaria omnibus; ſed vel in re, vel in voto, vt ſuo tempore ſumatur. Nam etiam baptiſmus implicitè continet votum percipiendi ſuo tempore ſacramentum Euchariſtiæ: Deinde illud etiam reſponderi poteſt; hîc non agi de prima acquiſitione gratiæ, & vitæ ſpiritualis: ſed de eius conſeruatione, atque confirmatione. Hoc enim indicant verba illa, quæ ſubiunxit Dominus; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Illud enim, *manet*, ſignificat quandam continuationem, & conſeruationem, & perſeuerantiam in vita ſpirituali iam accepta. Quinetiam perſpicuè hoc declarant verba ipſa manducandi, & bibendi. Non enim manducamus, & bibimus vt acquiramus vitam corporalem, quam non habemus: ſed vt quam iam habemus, reficiamus, & conſeruemus. Sanè ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum per ſe fuit à CHRISTO ad reficiendam, & roborandam, atque conſeruandam vitam ſpiritualem.

Chriſtum illis verbis agere tantùm de adultis, non de infantibus.

102 Illud verò, quod allatum eſt de paruulis baptizatis, perinfirmum eſt argumentum. Hoc enim in loco CHRISTVS non agit niſi de adultis: nam manducare, & bibere, ſiue corporaliter ſumantur, ſiue ſpiritualiter, actus ſunt hominum adultorum: non autem infantium, & lactentium.

103 Altera ratio Caietani hæc eſt; Hæc verba Domini; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ex eo tempore, quo dicta ſunt, obligabant homines ad manducationem carnis CHRISTI: ſed non poterant obligare ad ſacramentalem manducationem eius: quia tunc nondum erat inſtitutum ſacramentum Euchariſtiæ: ſed poſteà inſtitutum à CHRISTO eſt in vltima eius cæna: ergo in iſtis Domini verbis non agitur de ſacramentali manducatione corporis CHRISTI. Ad iſtam rationem licet reſpondere dupliciter: Primò; obligabant iſta verba ad manducationem carnis CHRISTI tunc: ſed non pro tunc, vt ſcholaſtica vtar locutione: ſed pro eo tempore; quo inſtitutum eſſet hoc ſacramentum, eiúſque neceſſitas, & obli

Quando iſta Domini verba obligauerint homines ad manducationem carnis eius.

& obligatio ſufficienter hominibus promulgata, & notificata. Quemadmodum etiam illa Domini ſententia, quam ipſe dixit Nicodemo Ioannis tertio; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum* DEI, obligabat homines ad perceptionem baptiſmi; non quidem pro tunc: ſed pro eo tempore, quo lex baptiſmi publicata eſſet mundo; vt copioſè, doctéque demonſtrat B. Bernardus in Epiſtola ſeptuageſima ſeptima, quam *Bernardus.* ſcripſit ad magiſtrum Vgonem; & nos copioſè oſtendimus ſupra in diſputationibus noſtris ſuper tertium caput huius Euangelij, illam Domini ſententiam tractantes. Illud quoque ad iſtam rationem poteſt reſponderi; iſta Domini verba obligaſſe tunc, & pro tunc homines; non quidem ad ſumendum realiter, & ſacramentaliter corpus CHRISTI: ſed ad credendum talem manducationem carnis eius poſſibilem eſſe; & ad ſperandum, CHRISTVM ſuo tempore, inſtituto ſacramento, daturum eam hominibus: Quemadmodum articulus Fidei de futura mortuorum reſurrectione ad vitam immortalem, obligat omnes ad credendum poſſibilem eſſe carnis reſurrectionem, & in tempore ſuo futuram.

TRIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

An iſta Domini verba; Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; *de reali, & ſacramentali manducatione, & potione accepta, faueant errori Hæreticorum aientium, ſacramentum Euchariſtiæ ſub vtráque ſpecie etiam Laicis dari oportere.*

104 FVIT hic error quorundam Hæreticorum apud Bohemos, qui appellati ſunt Vſſitæ, qui ex hac Domini ſententia concludi putabant, ſacramentum Euchariſtiæ ſub vtráque ſpecie dandum eſſe omnibus, etiam Laicis: quia Dominus apertè dixit; *Niſi mãducaueritis carnem Filij hominis:* quod fit ſub ſpecie panis: *Et biberitis eius ſanguinem:* quod fit ſub ſpecie vini; *Non habebitis vitam in*

vobis. Hoc argumentum vſque adeò validum quibuſdam doctoribus catholicis viſum eſt, vt negauerint, commodè ipſum aliter ſolui poſſe, niſi dicatur, CHRISTVM in his verbis non egiſſe de reali, & ſacramentali manducatione ſuæ carnis: ſed tantùm de ſpirituali manducatione: hac nempè ratione Turrecremata in Tractatu de Eccleſia, & Ruardus Tàper in ſecundo Tomo articulorum Louanienſium, in tractatu articuli decimi quinti, reſpondent ſupradicto Hæreticorũ argumento. Nos autem, quò clariùs cognoſcatur infirmitas iſtius argumenti, magíſque roboretur veritas ſententiæ noſtræ, multis modis reſpondebimus iſti argumento.

Turrecrem. Ruard. Tap.

Non poſſe ex iſtis Domini verbis verè probari, ſacramentum Euchariſtiæ ſub vtráque ſpecie Laicis dari oportere.

Ac primò quidem perſuaſum, ac certum eſſe debet omni viro 105
catholico, ex hac ſententia Domini, etiam accepta de manducatione reali, & ſacramentali, non poſſe concludi, ſacramentum Euchariſtiæ dandum eſſe ſub vtráque ſpecie Laicis: quia hoc iam decretum fuit in Concilio Tridentino in capite primo ſeſſionis vigeſimæ primæ; idémque anteà declaratum, & conſtitutum fuerat in Concilio Conſtantienſi aduerſus iſtos Hæreticos congregato, in quo iſte Vſſitarum error ex profeſſo diſcuſſus, & damnatus eſt. Deinde, in his Domini verbis non agitur de inſtitutione ſacramenti Euchariſtiæ; & ideò propriè non traditur, ſub vnáne ſpecie; an ſub duplici dandum ſit: ſed demonſtratur, quid ſit illud, quod CHRISTVS daturus eſſet hominibus in hoc ſacramento; caro nimirum, & ſanguis eius: Et idcircò hac de re præcipuè agit. Quoniam autem ad integritatem huius ſacramenti, & ad efficaciam virtutis eius nihil refert dari ſub vna, vel ſub duplici ſpecie: ideò Dominus in hoc ſuo ſermone aliquãdo vtramque ſpeciem ſacramentalem ſignificauit: vt in his verbis; *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c.* Et in illis; *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Interdum verò vnam duntaxat ſpeciem ſacramentalem ſignificauit; ipſius videlicet panis: vt in illis verbis; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Et in illis; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Nonnunquàm etiam neutram ſignificat ſpeciem: vt in illis verbis; *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Sicut igitur Hæretici

Conc. Trid. Conc. Conſt.

tici vrgent hæc verba Domini, in quibus ſignificatur duplex ſpecies ſacramentalis; ita licet aduerſus eos vrgere ea Domini verba: in quibus vnius tantùm ſpeciei ſacramentalis datur ſignificatio.

106 Enimuerò ſciebat CHRISTVS fore in Eccleſia ſua vt in aliquo tempore ſacramentum Euchariſtiæ ſub vtráque ſpecie diſpenſaretur fidelibus:in aliįs verò temporibus ſub vna tantùm ſpecie. Sciebat etiam hoc ſacramentum in Eccleſia à quibuſdam ſemper ſub vtráque ſpecie ſumptum iri; vt à ſacerdotibus: ab aliis verò; vt à Laicis, ſub vna tantùm ſpecie. Idcircò in hoc ſuo ſermone variè locutus eſt de hoc ſacramento, quibuſdam verbis duplicem eius ſpeciem ſignificans: in aliis autem verbis ſuis vnam duntaxat ſpeciem indicans. Quanquam illud etiam verè dici poteſt, CHRISTVM per iſta verba, manducare, & bibere, non tam ſignificaſſe ſacramentales ſpecies panis, & vini, quàm ſignificare voluiſſe plenam refectionem ſpiritualem, quam dat animæ noſtræ hoc ſacramentum. Nam quia plena refectio corporalis conſtat cibo, & potu; idcircò plenam quoque refectionem ſpiritualem animæ noſtræ ſignificauit CHRISTVS per verba manducandi, & bibendi.

107 Repetendum quoque memoria eſt hoc loco documentum illud, quod in capite decimoſeptimo libri tertij de doctrina Chriſtiana tradit Auguſtinus: monet enim attentè conſiderandum, & obſeruandum eſſe in Scriptura, cùm dantur hominibus præcepta, quando dentur ea omnibus, & ſingulis hominibus; & quando non omnibus,& ſingulis: Exẽpli gratia; *Diliges Dominum* DEVM *tuum ex toto corde tuo*; præceptum eſt pertinens ad omnes, & ad ſingulos homines: illud verò; *Creſcite, & multiplicamini*; pertinet ad communitatem hominum: non autem ad ſingulos omnes homines. In hoc etiam ſermone Domini aliquid præcipitur commune omnibus: vt eſt illud; *Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum*: aliquid etiam præcipitur, quod non omnibus, & ſingulis conuenit:ſed pertinet ad communitatem fidelium, & Eccleſiæ, in qua ſunt ſacerdotes, qui conficiunt hoc ſacramentum, & offerunt hoc ſacrificium ſub vtráque ſpecie: ſine quorum miniſterio neque conſtaret hoc ſacramentum, neque fideles eo frui poſſent:

Documẽtum Auguſtini ad intelligẽtiam Scripturæ cõducens.

Deuter. 6.

Gen. 1. & 9.

& idcircò vitam ſpiritualem ex eo prouenientem habere non poſſent.

Thomas Valdenſis.

Thomas Valdenſis in tomo ſecundo, capite nonageſimo ſe- 108
cundo, cùm reſpondiſſet ad ſupradictum argumentum hæreticorum ductum ex his Domini verbis, negans, CHRISTVM in hoc ſermone egiſſe de manducatione reali, & ſacramentali corporis ſui: ſed de ſpirituali tantùm: deinde non fidens huic reſponſioni ſuæ, quòd infirmam eſſe animaduerteret, & plurimorum, atque maximorum doctorum ſententiæ contrariam; in ſequenti capite nonageſimo quarto affert aliam quandam reſponſionem ad idem argumentum, tanquàm probabiliorem. Ea verò eſt huiuſmodi; Qui ſumit ſacramentum Euchariſtiæ ſub vna tantùm ſpecie, is manducat carnem, & bibit ſanguinem CHRISTI, quo ad rem ſignificatam, & quo ad gratiæ cauſalitatem, & virtutis ſacramentalis efficaciam: licèt non quo ad expreſſionem ſigni, & quo ad euidentem repræſentationem paſſionis CHRISTI. Quemadmodum ſi illud manna Iudaicum plenam dediſſet Iudæis ſumentibus ipſum refectionem corporalem, auferendo famem, & ſitim corporalem; verè dici potuiſſet, Iudæos ſumendo ipſum, manducaſſe, & bibiſſe: quia per ipſum & cibi, & potus effectum, atque fructum percepiſſent. Et hoc ſpiritualiter contingit dignè ſumentibus ſub vna ſpecie ſacramentum Euchariſtiæ.

Quomodo ſumens ſacramentum Euchariſtiæ ſub vna tantùm ſpecie, verè dicatur manducare carnē, & bibere ſanguinem Chriſti.

TRIGESIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 55. & 57. Qui manducat meam carnem; & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. *Et paulò poſt;* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

Exponuntur ſententiæ doctorum, qui hæc Domini verba de reali, & ſacramentali corporis CHRISTI *manducatione interpretati ſunt.*

Beatus

109 BEATVS martyr Irenæus in lib. 4. aduerſus Hæreſes, *Irenæus.*
cap.34.& in quinto eiuſdem operis libro, ex iſtis Do-
mini verbis probat, corpora noſtra eſſe capacia im-
mortalitatis, & aliquando reſurrectura cum dono in-
corruptibilitatis: quia nos alimur cibo, de quo Dominus clarè
dixit; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet
vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Hilarius in lib. *Hilarius.*
8. de Trinitate, ita ſcribit; De veritate corporis, & ſanguinis Do-
mini nullus eſt relictus ambigendi locus. Eſt autem CHRISTVS
in nobis per ſuam carnem, quam in ſacramento dat nobis; non
modò per conſenſum voluntatis, qui per gratiam fit: ſed etiam
per naturalem quandam manſionem in nobis, atque vnionem.
Ipſe enim Dominus dixit; *Qui manducat meam carnem, & bibit
meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Neſtorius hæreticus ex *Neſtorius.*
hac CHRISTI ſentētia probare voluit, duas eſſe in CHRISTO
perſonas; alteram quidem diuinam; alteram verò humanam: &
hoc ſic ipſe argumentabatur; In ſacramento Euchariſtiæ verè co-
meditur CHRISTVS, ſicut ipſe in hoc ſermone ſæpiùs dixit: ſed
non comeditur DEVS; ſed homo: ergo alia eſt in ipſo perſona
DEI, & alia eſt perſona hominis. Ad hanc eius argumenratio-
nem reſpōdet Cyrillus in libro ad Eutropium, ſuper decimo Ana- *Cyrillus.*
thematiſmo: reſpondet etiam Concilium Epheſinum in epiſtola *Concilium Epheſinum.*
ad ipſum Neſtorium, concedendo, verè, ac realiter ſumi CHRI-
STVM in ſacramento: ſed negando cōſequentiam Neſtorij. Nam
propter hypoſtaricam vnionem verbi DEI cum carne humana,
& DEVS dicitur homo, & homo DEVS: & caro hominis dici-
tur etiam caro DEI: quamobrem cùm comeditur caro CHRI-
STI, dicitur comedi caro DEI, & ipſe DEVS.

110 Beatus Auguſtinus in ſermone vndecimo eorum ſermonum, *Auguſtinus.*
quos inſcripſit, De verbis Domini, hoc modo ſcribit; Nihil eſt tam
ſanctum, nec tam ſalubre, quo peccator non poſſit vti ad ſuam
pernicem: ſicut Apoſtolatu Iudas, & baptiſmo Simon Magus.
Quid enim ſanctius, quid ſalubrius corpore Domini, de quo ipſe
dixit; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me
manet, & ego in eo.* Ipſum tamen, cùm primò fuit inſtitutum hoc
ſacramentum, Iudas manducauit: num igitur propterea Iudas *Matth.26.*

Cyrillus. manſit in CHRISTO, aut CHRISTVS in eo? Cyrillus in libro decimo commentariorum in Ioannem cap. 13. Communicatio, inquit, corporis CHRISTI, quæ fit nobiſcum in ſacramento Euchariſtiæ, facit ipſum CHRISTVM habitare in nobis corporaliter. Ipſe enim dixit; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo:* non ſolùm manſione, quæ per charitatem intelligitur: ſed etiam naturali quadam participatione. Si quis enim ceram igne liquefactam alij ceræ miſceat liquefactæ, vnum quodammodo ex vtráque fieri videtur: ita communicatione corporis CHRISTI, & ipſe in nobis manet, & nos in eo. Non enim aliter mortalis natura corporis noſtri ad immortalitatem traduci poterat; niſi ei coniungeretur corpus CHRISTI, habens in ſe naturalis vitæ indeficientem fontem. Si autem non credis mihi hæc dicenti, quæſo te, vt credas Filio DEI teſtificanti; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

TRIGESIMAQVARTA DISPVTATIO.

Explicatur ſententia Baſilij, Bernardi, & Auguſtini, qui hæc Domini verba non de reali, & ſacramentali: ſed de ſpirituali corporis eius manducatione interpretati ſunt.

Pſal. 90. Baſilius. Bernardus.

SED poſſet nobis opponi auctoritas magni Baſilij in Epiſtola 141. & ſancti Bernardi ſuper Pſal.90. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi:* qui hæc verba CHRISTI non de manducatione reali, & ſacramentali: ſed de ſpirituali manducatione interpretati ſunt, aientes verè manducari carnem CHRISTI, communicando paſſionibus eius; & conuerſationem eius, & quæcunque in carne ſua mortali egit, piè, & vtiliter meditando, atque imirando. Sed reſpondeo, iſtos doctores in eo loco non excluſiſſe realem manducationem corporis CHRISTI: ſed illud tantùm docere voluiſſe; quemadmodum realis manducatio corporis CHRISTI; niſi coniunctam ſecum habeat ſpiritualem manducationem; nec dignè, nec fructuoſè fiat.

fiat. Illud etiam oſtendere voluerunt, qua ratione fieri poſſit, vt etiam ſine reali, & ſacramentali perceptione corporis CHRISTI poſſimus in omni tempore & in omni loco, & quotieſcunque, & quandocunque voluerimus, verè manducare carnem CHRISTI: verè, inquam, quod attinet ad ſpiritualem effectum, & fructum ex manducatione carnis CHRISTI prouenientem. Hoc autem fit per ſpiritualem manducationem, piè meditando, & ſtudioſè, ac feruenter imitando actiones, & paſſiones CHRISTI, dum in terris fuit.

112 Poſſet etiam nobis opponi auctoritas Beati Auguſtini, qui in Tractatu 26. in Ioannem, hæc verba CHRISTI de ſpirituali, & myſtica corporis eius manducatione interpretatur. Ait enim, manducare carnem CHRISTI, eſſe adhærere myſtico CHRISTI corpori, quæ eſt ſocietas electorum in Eccleſia. Ad hoc reſpondeo, Auguſtinum manifeſtè hanc Domini ſententiam interpretatum eſſe eo in loco de reali manducatione corporis CHRISTI: ſed illis verbis docere voluiſſe, ſacramentum Euchariſtiæ inter alia multa, quæ ſignificat, præcipuè ſignificare vnitatem corporis myſtici, quæ eſt ſocietas ſanctorum. Quod apertè licet cognoſcere ex verbis eius, quæ ſunt huiuſmodi; Huius rei, hoc eſt, vnitatis corporis myſtici, ſacramentum, in menſa Domini alicubi quidem quotidie: alicubi verò certis tantùm dierum interuallis paratur, & ex menſa Domini datur: quibuſdam quidem ad vitam; aliis autem ad exitium. Res autem ipſa, quæ hoc ſacramento ſignificatur, nemini poteſt non dignè ipſum ſumenti contingere. Et paulò infrà; Manducare carnem CHRISTI, eſt manere in eo, & ipſum in ſe manentem habere: ac per hoc, qui non manet in CHRISTO, non manducat ſpiritualiter carnem eius; licèt dentibus premat ſacramentum corporis, & ſanguinis eius. Sed magis tantæ rei Sacramenta ad iudicium ſibi manducat, & bibit, quæ indignè ſumere præſumit; Illa enim nemo dignè ſumit, niſi qui mundus eſt. Hæc Auguſtinus. Ex cuius verbis hîc commemoratis patet, illum non excluſiſſe realem manducationem carnis CHRISTI: ſed voluiſſe docere, eàm, niſi coniuncta fuerit cum ſpirituali manducatione, quam facit pietas mentis, & munditia cordis, & integritas vitæ, atque conuerſationis, non modò

Auguſtinus.

dò non prodeſſe quidquam: ſed etiam obeſſe plurimùm.

TRIGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

Soluuntur duæ rationes, quibus probari videtur, CHRISTVM *in ſupradictis verbis ſuis non de reali, & ſacramentali: ſed de ſpirituali tantùm ſuæ carnis manducatione locutum eſſe.*

PRIMA ratio eſt hæc; CHRISTVS loquens in 113
præſenti tempore de manducatione ſuæ carnis ait; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, &c.* Qui modus loquendi ſatis apertè ſignificat, illo etiam tempore, quo CHRISTVS hæc verba dixit, manducandam fuiſſe carnem ſuam: ſed tunc caro CHRISTI non poterat manducari realiter, & ſacramentaliter: quia tunc nondum erat inſtitutum ſacramẽtum corporis CHRISTI: ſed poſteà inſtitutum eſt in vltima cœna: ergo CHRISTVS in iſtis verbis locutus eſt de ſpirituali manducatione ſuæ carnis: non autem de reali, & ſacramentali. Ad hanc rationem licet reſpondere dupliciter. Primò, cùm CHRISTVS in hoc ſuo ſermone priùs egiſſet de ſpirituali manducatione ſui corporis: deinde cœpit agere de reali eius manducatione, incipiens ab illa ſententia; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Sic enim hæc verba leguntur in Græca ſcriptura: vt nos etiam ſuprà monuimus lectorem. Hæc itaque Domini ſententia eſt caput, & fundamentum; ex quo pendent, & quo nituntur ſequentes deinceps ſententiæ; & ad cuius interpretationem, & intelligentiam, cæterarum quoque interpretatio reuocanda, & accommodanda eſt. Cùm igitur illa Domini ſententia manifeſtè pronunciata ſit non de præſenti: ſed de futuro tempore; cæteras quoque ſententias de futuro itidem tempore interpretari, & intelligere conuenit: vt tempus præſens poſitum ſit pro futuro.

Deinde, eſt apud dialecticos genus quoddam propoſitionum, 114
in quibus verbum præſentis temporis poſitum non ſignificat exiſtentiam præſentis temporis: ſed tantùm denotat naturalem quandam,

dam, & neceſſariam connexionem prædicati cum ſubiecto: vt in hac propoſitione; (Quod volat, habet alas;) non ſignificatur,eſſe nunc aliquid, quod volet: ſed hoc, quod eſt volare, habere neceſſariam connexionem cum eo, quod eſt habere alas. Similiter in hac propoſitione; (Hydropicus ſemper ſitit;) non ſignificatur nunc eſſe hydropicum aliquem ſitientem: ſed illud tantùm, hydropiſim habere ſemper coniunctam ſecum inſatiabilem ſitim. Conſimili etiam ratione hæc ſententia CHRISTI; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo;* non ſignificat fuiſſe tunc, cùm hæc verba dixit Dominus, manducandam carnem eius: ſed tantùm oſtendit; digna carnis eius manducatio quem in manducante præſtet effectum;illum ſcilicet, manere ipſum in CHRISTO, & CHRISTVM manere in eo.

115 Altera ratio, quæ demonſtrare videtur, CHRISTVM in his verbis non eſſe locutum de reali, & ſacramentali manducatione ſuæ carnis, eſt huiuſmodi; De ea manducatione ſuæ carnis locutus eſt CHRISTVS, quæ ſemper illum, quem ipſe dixit, manducanti præſtat effectum;manere ſcilicet ipſum in CHRISTO,& CHRISTVM in eo: ſed hunc effectum non ſemper ſacramentalis manducatio corporis CHRISTI præſtat manducanti: vt patet in Iuda, qui ſacramentum corporis CHRISTI ſumpſit in vltima cœna Domini: idémque patet in omnibus indignè ſumentibus ſacramentum Euchariſtiæ: qui tantùm abeſt, vt per hoc ſacramentum fiant manentes in CHRISTO; vt eo ipſo, quòd ſumunt indignè, longiùs à CHRISTO ſeparentur: ergo CHRISTVS non eſt locutus de reali, & ſacramentali manducatione ſui corporis: ſed de ſpirituali, quæ ſemper hunc præſtat effectum manendi in CHRISTO. Tripliciter hæc ratio ſolui poteſt: Primò, ſacramentalis manducatio, quantùm in ipſa eſt, ſemper eum præſtat effectum: quia ſemper virtutem habet ipſum præſtandi: Si autem non ſemper hic effectus ſequitur; id fit per accidens reſpectu ſacramenti: prouenit enim ex ſumente ſacramentum: quia ſumens indignè, obicem ponit ne talem ipſe à ſacramento recipiat effectum. Deinde ratio iſta concluderet, ſi nos diceremus, CHRISTVM in his verbis locutum eſſe de reali tantùm,& ſacramentali manducatione ſuæ carnis: nos autem ſuprà non ſemel

Quomodo intelligi debeat, manducãtem corpus Chriſti manere in Chriſto, & Chriſtum in eo.

diximus, CHRISTVM in hac poſteriore ſermonis ſui parte agere de perfecta manducatione ſui corporis; nempè quæ realem, ſimúlque ſpiritualem manducationem complectitur. His accedit
Auguſtinus. ſolutio huius rationis, quam tradit Beatus Auguſtinus in ſermone vndecimo de verbis Domini. Ea verò eſt huiuſmodi; Cùm non omnis, qui ſumit ſacramentum corporis CHRISTI, maneat in CHRISTO; manifeſtum eſt, cùm Dominus dixit; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo:* id non eſſe intelligendum de manducatione, quocunque, & qualicunque modo fiat: ſed de ſacramentali manducatione, quæ fit dignè, & debito modo. Quis verò ſit iſte debitus modus, CHRISTVS hoc in loco tacuit: ſed poſteà fidelis CHRISTI diſcipu-
Locus 1. Cor. cap. 11. lus Paulus expreſsè declarauit, ſcribens ad Corinthios illa verba; *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

TRIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 56. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.

Probatur auctoritate illuſtrium doctorum, hæc verba pertinere ad ſacramentum Euchariſtiæ.

HÆC verba de ſacramentò Euchariſtiæ interpretantur, & ex ipſis probant veram, & realem corporis CHRISTI præſentiam in eo ſacramento 116
Origenes. Cyrillus Hieroſolymitanus. Hilarius. Ambroſius. Euſebius, & Niſſenus. Cyrillus Alexandrinus. Origenes homilia 7. in librum Numerorum, Cyrillus Hieroſolymitanus in myſtagogica catecheſi 4. Hilarius de Trinitate lib. 8. Ambroſius lib. 6. de ſacramentis cap. 1. & libro quarto de fide cap. 5. Euſebius, & Niſſenus homilia 5. in Sanctum CHRISTI Paſcha. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. commentariorum in Ioannem cap. 16. explanans hæc Domini verba, ſic ait; Corpus CHRISTI ad immortalitatem nos nutriens, verè

verè eſt cibus: & ideò corpus CHRISTI, & membra eius vocamur: quia carnem, & ſanguinem eius verè per benedictionem myſticam intra nos accipimus.

117 Beatus Auguſtinus hæc ipſa verba tractans in Tractatu 27. in Ioannem, hunc in modum ſcribit; Cùm homines cibo, & potu id appetant, vt neque eſuriant, neque ſitiant: id verè non præſtat niſi hic cibus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales facit. Quo etiam cibo ſignificatur ſocietas, pax, & vnitas fidelium in Eccleſia: ac propterea, ſicut quidam homines DEI ante nos dixerunt; Dominus noſter carnem, & ſanguinem ſuum in iis rebus exhibere voluit, quæ ex multis ad vnum aliquod rediguntur. Panis enim ex multis granis in vnum conficitur, & conſtat: vinum etiam ex multis acinis in vnum confluit. *Auguſtinus.*

118 Hoc ipſum confirmari poteſt auctoritate ſanctæ Eccleſiæ, quæ in Miſſa de feſto corporis CHRISTI legit Euangelium ſumptum ex his Domini verbis, & incipiens ab hac ſententia; *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus:* eo ipſo ſatis indicans, iſta verba pertinere ad realem, & ſacramentalem manducationem corporis CHRISTI. Nec dici poteſt, Eccleſiam tunc adhibere iſta verba, non ſecundum literalem ſenſum accepta; ſed per quandam tantùm accommodationem: quemadmodum in feſto de aſſumptione Beatæ virginis legit Euangelium de Martha, & Magdalena: hoc, inquam, rectè dici non poteſt: tunc enim id facit Eccleſia, cùm non reperit aliquid in Euangelio, reuera & propriè pertinens ad feſtum, quod celebratur. At in ſacramento Euchariſtiæ habebat Eccleſia ſcripta à tribus Euangeliſtis verba Domini, ab eo dicta cùm inſtituit hoc ſacramentum, quæ poterat ipſa in Miſſa pro Euangelio legere. Cùm igitur hæc verba potiùs adhibuerit, quàm illa, apertè oſtendit, verba hæc propriè pertinere ad ſacramentalem corporis CHRISTI manducationem.

Auctoritas Eccleſiæ Catholicæ. *Luc. 10.* *Matth. 26.* *Marc. 14.* *Luc. 22.*

119 Quanquam autem cùm hæc verba dixit CHRISTVS, tunc non eſſet caro eius cibus ſacramentaliter manducandus: erat tamen iam tunc ex æterna DEI Patris ordinatione, & voluntaria CHRISTI acceptatione, atque oblatione, caro eius ordinata ad cibum ſacramentalem poſteà ſumendum: & ex deſiderio, quo CHRISTVS flagrabat, inſtituendi hoc ſacramentum, & dandi

Quomodo intelligẽdum ſit, cùm iſta verba dixit Dominus, tunc fuiſſe carnem eius verè cibum.

Matth.26. in eo carnem ſuam hominibus: de quo deſiderio ipſe dixit; *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, ante quàm patiar:* ob hæc igitur etiam tunc verè dici potuit caro CHRISTI eſſe cibus. Adiice, quòd etiam eo tempore, quo dixit hæc verba Dominus, corpus eius verè dici poterat cibus: habebat enim in ſe omnia pertinentia ad cibum Euchariſticum: nempè habebat carnem, ſanguinem, animam, & diuinitatem. Vnum duntaxat tunc deerat, quod tamen non pertinet ad rationem cibi: ſed ad modum manducandi ipſum, qui eſt, inuiſibilem rem ſumere ſub viſibili ſpecie panis, & vini: qui modus poſteà conſtitutus eſt, cùm inſtitutum fuit hoc ſacramentum.

TRIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Quomodo caro CHRISTI *dicatur eſſe verus cibus; cùm ea multas cibi corporalis proprietates non habeat.*

EXPLICARI hoc loco dignum eſt, quomodo caro 120
CHRISTI eſſe dicatur verè cibus; cùm ea quatuor veri cibi corporalis proprietates non habeat. Primò, cibus corporalis eſt nutrimentum corporis viuentis: ſed non poteſt nutrire ipſum; niſi priùs ipſe ſecundum ſubſtantiam corrumpatur. Hoc nullo modo conuenit carni CHRISTI: ea quippè in ſacramento ſumitur non ſolùm incorruptibiliter: ſed omninò etiam impaſſibiliter. Deinde, cibus corporalis, vt fiat idoneum nutrimentum viuentis, amittit ſubſtantiam, & naturam, quam priùs habebat, & mutatur in ipſam viuentis ſubſtantiam: Exempli cauſa; Erat anteà panis, vel caro arietina, aut vitulina, vel piſcis: ſed cùm fit nutrimentum corporis humani, deſinit eſſe iſta, quæ priùs fuerat, & fit caro humana. At CHRISTI caro, quæ ſumitur in ſacramento, non mutatur in ſubſtantiam manducantis eam: ſed contrà potiùs manducans quodãmodo mutatur in CHRISTVM; per ardentem ſcilicet dilectionis affectum, & arctiſſimam charitatis vnionem: ſicut Dominus dixit Beato Auguſtino, quod ipſe refert in capite decimo libri ſeptimi ſuarum Confeſſionum; Cibus,

Dictũ Domini ad Beatum Auguſtinum.

bus,inquit,ego ſum grandium; creſce, & manducabis me:Nec tu me mutabis in te,ſicut cibum carnis tuæ: ſed tu mutaberis in me. Ad hæc, cibus corporalis virtutem, qua fit nutrimentum conueniens,& vtile nutriendo viuenti,potiſſimùm accipit ab anima vegetatiua,& à calore naturali,qui eſt in viuente: per hæc enim primò conficitur in ſtomacho,& vertitur in chilum: poſteà tranſmiſſum ad hepar, ibi mutatur in ſanguinem,qui per venas delatus ad partes corporis, iiſque agglutinatus, denique mutatur in earum ſubſtantiam. Hoc dici non poteſt de carne CHRISTI, quæ vim nutriendi animum hominis non ab eo accipit; quin potiùs animus hominis virtutem, qua dignè,atque vtiliter à CHRISTO nutriri per hoc ſacramentum queat, ab ipſo CHRISTO accipit. Poſtremò, corporalis cibus, qualiſcunque ſit, non totus fit nutrimentum eius,à quo ſumitur: quinetiam non parua eius pars,tanquàm ſuperflua,& inutilis, à natura reijcitur: ita vt pars cibi ſumpti efficiatur nutrimentum; pars verò fiat excrementum. Sacramentalis verò cibus, totus, & ex toto conuenientiſſimum, atque vtiliſſimum eſt animæ nutrimentum: quod ſit inutile, aut ſuperfluum,habens prorſus nihil. Ergo,cùm ſacramentalis cibus,qui eſt caro CHRISTI, non habeat ſupradictas quatuor proprietates cibi corporalis,quæritur,cur ea eſſe dicatur verè cibus.

Octo effectus cibi corporalis, quorũ totidem ſimiles præſtat caro Christi in ſacramẽto ſumpta.

121 Ad iſtam ergo quæſtionem ita reſpondeo: Sacramentalis cibus verè conuenit cum cibo corporali,non quidem ſecundum ea,quę in cibo corporali ſignificant imperfectionem,& defectum: cuiuſmodi ſunt quatuor illæ proprietates cibi corporalis, quas paulò ſuprà expoſuimus: ſed conuenit cum cibo corporali ſecundum ea, quæ non ſignificant imperfectionem, vel defectum. Ea verò ſunt huiuſmodi; Reuera,& corporaliter manducari, ore ſumi; intra corpus manducantis recipi, delectare, ac recreare manducantem: quod in eo conſumptum, & perditum fuerat, inſtaurare, ac reficere, famem adimere, & moleſtiam ex ea prouenientem abſtergere, manducantis corpus augere, ac roborare, ac demùm vitam longo tempore conſeruare, & mortem arcere. Hæc omnia ſecundum ſpirituales effectus ſimiles iſtis corporalibus verè præſtat animis noſtris caro CHRISTI in ſacramento à nobis dignè ſumpta.

TRIGESIMAOCTAVA DISPVTATIO.

De ſeptem ciborum generibus, quorum comparatione caro CHRISTI *eſſe dicitur verè cibus.*

IN illis verbis; *Caro mea verè eſt cibus*; aduerbium 122 illud, *verè*, idem ſignificat, quod perfectè. Caro enim CHRISTI perfecto modo cibat, & nutrit eum, qui dignè manducat eam in ſacramento, & bonos cibi effectus præſtat ipſa perfectè. Ergo iſtud aduerbium, *verè*, diſtinguit cibum carnis CHRISTI ab aliis cibis, qui non ſunt verè cibi, & quorum comparatione caro CHRISTI eſſe dicitur verè cibus. Sunt autem ſeptem iſtiuſmodi ciborum genera. *Cibus corporalis non eſt verè cibus.* Primus cibus, eſt cibus corporalis, qui ſecundum vulgarem cibi appellationem propriè dicitur cibus. Is autem non eſt verè cibus hominis: tum quia eſt cibus hominis tantùm ſecundum eius corpus: non autem ſecundum principalem eius partem; intellectum dico, & voluntatem: tum quia ſeruat vitam, & arcet mortem ad breue duntaxat tempus: Cibus autem CHRISTI plenè nutrit, & reficit animum, & virtutem habet præſtandi immortalitatem corporis homini. *Cibus omninò ſpiritualis.* Secundus cibus, eſt cibus omninò ſpiritualis; vt verbum DEI, & cōtemplatio rerum cœleſtium, & obedientia voluntatis DEI, & mandatorum eius: ſicut *Ioan. 4.* CHRISTVS ipſe dixit: *Cibus meus eſt vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, & perficiam opus eius.* Sed hic non eſt verè cibus: non enim propriè: ſed metaphoricè, ac per ſimilitudinem quandam vocatur cibus. Non enim corporali modo ſumitur, nec ore manducatur, nec intra corpus noſtrum recipitur: hæc autem habet ſacramentalis cibus CHRISTI. *Cibus mūdanus.* Tertius cibus, eſt cibus mundanus; comparatio ſcilicet, & poſſeſſio diuitiarum, & honorum, atque voluptatum huius mundi: quo cibo amatores huius mundi auidè paſcuntur, & iucundè delectantur: ſed hic non eſt verè cibus: tantùm enim abeſt vt manducantibus ipſum adimat famem, & cupiditatem earum rerum, vt magis etiam augeat, & incendat.

Quartus cibus, fuit cibus à DEO datus Hebræis, & appellatum manna; quo DEVS nutriuit Hebræos per quadraginta an- 123

nos, quibus in deſerto peregrinati ſunt. Sed illud manna non erat verè cibus: quia erat tantùm cibus hominis ſecundum corpus, nec niſi per quadraginta annos; & quia erat figura veri cibi, qui eſt CHRISTVS in ſacramento: datum eſt enim illis manna non modò in præſens, & temporarium nutrimentum; ſed etiam in figuram, & myſticam ſignificationem huius cibi ſacramentalis. Quocircà Beatus Paulus in capite decimo prioris Epiſtolæ ad Corinthios, loquens de Iudæis, qui comederant manna in deſerto, ait; *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt.* Dixit, *ſpiritalem:* quia manducantes manna, quod habebat figuram, & myſterium cibi CHRISTI, etiam ſecundum ſpiritalem ſignificationem, & intelligentiam, manducabant hunc cibum CHRISTI. Quintus cibus, fuit cibus arboris ſcientiæ boni, & mali, quæ erat in Paradiſo: quem cibum Diabolus perſuaſit primis noſtris parentibus edere; promittens eis per eius eſum fore, vt fierēt tanquam dij, ſcientes bonum & malum: ſed iſte cibus non fuit verè cibus; imò fallax, & mortiferus non ſolùm illis primis hominibus: ſed etiam omni eorum poſteritati. Sextus cibus, fuit cibus arboris vitæ, quæ erat in medio Paradiſi: qui cibus ſeruabat corpus hominis à morte temporali: ſed non animum eius: nec dabat immortalitatem homini; cùm arbor illa naturam haberet corruptibilem; ſed tantùm ſeruabat hominem à morte ad longum tempus: vt doctè Beatus Thomas in prima Parte, quæſtione 97. artic. 4. declarat, & probat tum auctoritate Beati Auguſtini, tum optima ratione philoſophica.

Manna non fuiſſe verè cibum. *Exod.16.* *Locus 1. ad Cor.cap.10.* *Cibus arboris ſcientiæ boni, & mali.* *Geneſ.3.* *Geneſ.2.* *Cibus arboris vitæ.* *B.Thomas.*

124 Septimus cibus, eſt cibus Beatorum in cœlo, quem illi comedunt ſuper menſa CHRISTI in regno Patris eius; vt ipſe promiſit. Hic cibus licèt veriſſimus cibus ſit & quantùm ad rem ipſam, quæ eſt CHRISTVS ipſe & DEVS; & quantùm ad effectum, & fructum cibi, qui eſt, immortalem & beatam vitam præſtare: quo ſpectat tamen ad modum manducandi, non dicitur verè cibus; quia nec modo corporali ſumitur, nec ore manducatur, nec intra corpus recipitur, quæ ſunt propria cibi corporalis, qui propriè dicitur cibus, & ab eo nomen cibi per quandam ſimilitudinem transfertur ad alia. Cibus itaque CHRISTI, qui datur in ſacramento, eſt verè cibus: cùm propter alia, tum quia corporali

Cibus Beatorum. *Luc.22.* *Cur cibus ſacramentalis Chriſti dicatur verè cibus.*

modo

modo ſumitur, ore manducatur, intra corpus recipitur, exhibetur ſub ſpecie veri cibi, id eſt, ſub ſpecie panis: quamobrem maximam habet ſimilitudinem cibi corporalis quantùm ad modum ſumendi eum: quantùm verò ad effectus cibi corporalis, habet & ipſe eoſdem omnes: ſed multo excellentiori modo: vt nos paulò ſuprà docuimus.

TRIGESIMANONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 58. Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.

IN iſtis verbis continentur tres ſententiæ cum quadam 125
comparatione, ac ſimilitudine. Prima eſt; *Sicut miſit me viuens Pater.* Secunda; *Et ego viuo propter Patrem.* Tertia; *Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Sed vt hæc tertia ſententia congruè, aptéque reſpondeat duabus prioribus, & illi coniunctioni, ſicut, initio poſitæ, ſuppleri, & addi debet coniunctio, ſic, vel ita, hunc in modum; Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem; ita qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Eſt autem omiſſa hoc loco iſta coniunctio ſecundum proprietatem, & conſuetudinem linguæ Hebrææ: propter quam ſacra Scriptura in eiuſmodi comparationibus ſolet eam omittere: vt in hoc loco, & in Oratione Dominica; *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra:* pro eo, quod eſt, ita & in terra. Et Latinus quidem interpres proprietatem ſeruans locutionis Hebraicæ eam quoque omittit in Latina tranſlatione: interdum tamen eam de ſuo addidit, vt abſolutam redderet Latinè ſententiam: vt in Pſalmo 47. *Sicut audiuimus: ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Et alibi: *Sicut populus, ſic ſacerdos.*

Documentum in Scriptura obſeruandum ſuper particula, ſicut, & ſic, vel ita.

Matth. 6.

Eſa 24.

Cæterùm iſtis Domini verbis indicatur magnum diſcrimen 126
inter ſacramentalem cibum CHRISTI, & cibum corporalem. Qui enim manducat cibum corporalem, is nõ viuit propter eum cibum:

Diſcrimẽ inter cibum corporalẽ, & cibũ ſacramentalem.

cibum: cùm enim cibus,qui manducatur, nec formaliter, nec effectiuè ſit viuens; non poteſt viuificare manducantem: imò verò cibus, qui manducatur, viuit propter manducantem. Nam cùm per ſe careret vita, cùm ſit nutrimentum manducantis, conuertitur in ſubſtantiam eius,& ſit animatus & viuens. Non itaq; manducans cibum corporalem,propter eum viuificatur:ſed cibus propter manducantem viuificatur,& perficitur. At verò in ſacramentali cibo contrà ſe res habet. Cùm enim ſit cibus viuus, & vitalis; qui manducat ipſum, viuit propter eum: non autem ille propter manducantem.

127 Hanc porrò ſententiam Domini pertinere ad realem manducationem CHRISTI, quæ fit in ſacramento, apertè declaratum eſt in Concilio Tridentino in capite ſecundo ſeſſionis decimætertiæ. Ex hac enim ſententia ibi probatur, ſacramentum Euchariſtiæ habere vim dandi vitam dignè ipſum ſumenti. Verba Concilij ſunt hæc; Sumi voluit CHRISTVS ſacramentum hoc tanquàm ſpiritalem animarum cibum; quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit; *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.*

Hanc Domini ſententiã propriè ad ſacramentum Euchariſtia pertinere.

Conciliũ Tridentinum.

128 Hoc ipſum confirmatur auctoritate Patrum, & doctorum, qui ſimiliter hanc ſententiam Domini de ſacramento Euchariſtiæ interpretantur. Dupliciter autem ſententia hæc à Patribus explicatur ſecundum Chryſoſtomum, & Theophylactum, & Auguſtinum, & Bedam, & Rupertum: hoc modò; Sicut Pater, qui me ab æterno genuit, & in tempore miſit in mundum, viuit, id eſt, perfectè, & ſubſtantialiter habet vitam; & ego viuo propter Patrem: vbi illud, *propter*; non ſignificat accidentalem participationem, vel dependentiam cauſalem: ſed tria poteſt denotare. Primò, vt ſignificet principium originis: vt idem ſit, *Viuo propter Patrem:* quod, viuo à Patre, & habeo vitam per originem generationis meæ à Patre. Deinde, vt ſignificet vnionem Patris cum Filio;in hunc ſenſum; Et ego propterea viuo: quia Pater in me eſt, & ego, & Pater vnum ſumus ſubſtantialiter. Ad hæc,vt ſignificet rationem cur Filius neceſſariò debeat eſſe viuens: hoc ſenſu; Si Pater meus eſt viuens, ego, qui naturalis Filius ſum Patris viuentis, etiam viuens eſſe debeo: nempè Filius eſt conſubſtantialis

Probatur auctoritate Patrum, hanc ſententiã Domini pertinere ad ſacramentum Euchariſtia.

Chryſoſt. *Theophylact.* *Auguſtinus.* *Beda.* *Rupertus.*

Quid ſit Chriſtum viuere propter Patrẽ, exponitur tripliciter.

Patri : quamobrem viuens Pater gignit Filium viuentem.

Altera interpretatio, quæ eſt Cyrilli, & Baſilij. Altera interpretatio, quæ mihi ſatis videtur probabilis, eſt Cy- 129
rilli in hoc loco, & Baſilij in Epiſt. 141. qui dictum hoc Domini referunt ad humanitatem CHRISTI vnitam perſonaliter diuinæ naturæ Verbi: vt ſit hic ſenſus; Sicut ego, qua homo ſum, viuo propter Patrem, id eſt, propter diuinam vitam Patris, in me perſonaliter habitantem: ita manducans me, viuet propter me realiter, & corporaliter in ipſo habitantem. *Hilarius.* Hilarius in libro octauo de Trinitate, ex hac ſententia probat, Patrem eſſe in Filio ſubſtantialiter, contra Arrianos: nam ait CHRISTVM dixiſſe, ſicut qui manducat me, viuit propter me: ita & ego viuo propter Patrem: ſed manducans CHRISTVM, viuit propter CHRISTVM realiter, & ſubſtantialiter in eo habitantem; ergo Filius DEI viuit propter Patrem in ipſo ſubſtantialiter manentem. Ex quibus Hilarij verbis perſpicuè liquet, hæc Domini verba pertinere ad realem manducationem CHRISTI, quæ fit in ſacramento: idcircò enim commemoranda hoc loco eſſe duximus.

QVADRAGESIMA DISPVTATIO.

Explicatur comparatio, & ſimilitudo, quæ traditur in iſtis Domini verbis, inter Patrem viuentem, & CHRISTVM viuentem propter Patrem: & eum, qui manducans CHRISTVM, viuit propter ipſum.

IN hac comparatione, & ſimilitudine duo potiſſimùm 130
perpendenda ſunt; & id, in quo fit iſta comparatio, & ſimilitudo; & ipſa ratio, & quaſi fundamentum iſtius comparationis, & ſimilitudinis. Id, in quo fit comparatio, & ſimilitudo, eſt viuere: in hoc enim quodammodo conueniunt tria illa, Pater, CHRISTVS, & manducans CHRISTVM. Eſt autẽ iſtud viuere, non qualecúnque: ſed viuere ſpirituale, & ſupernaturale, & diuinum. In quo tamen viuere; vt ſcitè dixit *Rupertus.* Rupertus, eſt diſſimilis ſimilitudo & diſſimilitudo ſimilis. Pater habet vitã diuinã ſubſtantialiter, & infinitè, nec ab alio, vel propter aliud: ſed à ſemetipſo: CHRISTVS iſtam ipſam Patris vitam diuinam

uinam habet propter Patrem. Et dupliciter;Primò;vt DEVS eſt, habet eam à Patre per communicationem eiuſdem ſubſtantiæ, & vitæ, quam ab eo genitus accepit ab æterno. Deinde, eandem vitam diuinam habet CHRISTVS, vt homo eſt; non quidem per eſſentiam: ſed propter vnionem perſonalem humanæ naturæ eius cum diuina natura: propter quam fit, vt quæ ſunt propria DEI, etiam homini CHRISTO tribuantur.

131 Eſt prætereà diuinum viuere non per ſe ſubſiſtens, & ſubſtantiale: ſed participatum, & per gratiam communicatum homini. In hoc autem viuere primum, & ſupremum locum tenet anima CHRISTI, quæ vitam diuinam, quæ eſt per gratiam, perfectiſſimè habuit, non ſolùm in ſe, & ſibi: ſed etiam vt principium vniuerſale alios omnes electos viuificans: nam vt ſuprà dictum eſt; *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* In aliis porrò electis omnibus viuere diuinum ſimiliter eſt participatum per gratiam eis à DEO datam: ſed particulari modo, & ſecundum certam quandam donationis diuinæ menſuram. Ioan. 1.

132 Ratio autem, & fundamentum, quo nititur iſta comparatio, & ſimilitudo, eſt vnio. Vnio enim Patris cum CHRISTO eſt ratio cur CHRISTVS viuat propter Patrem: & vnio CHRISTI; qui manducatur in ſacramento, cum manducante ipſum, eſt ratio cur manducans ipſum viuat propter eum. Verùm in huiuſmodi vnione, maxima eſt diſſimilitudo. Etenim vnio Patris cum CHRISTO: vt DEVS eſt, eſt vnio ſubſtantialis, & eiuſdem numero naturæ; ex quo fit, vt CHRISTVS habeat totam Patris vitam, & æquè perfectam, atque Pater ipſe. Vnio autem Patris cum CHRISTO, prout homo eſt, & ſecundum vitam diuinam, quam habet Pater, eſt propter vnionem perſonalem naturæ humanæ CHRISTI cum Verbo habente diuinam vitam à Patre. Vnio autem CHRISTI cum eo, qui manducat ipſum, eſt realis quidem, & corporalis: ſed neque eſt ſubſtantialis; vt in diuinis perſonis: neque perſonalis; vt in CHRISTO homine: ſed quia CHRISTVS ipſe in ſacramento realiter, & corporaliter accipitur, & intra corpus noſtrum recipitur, & tandiu intra nos realiter manet, dum manent ſpecies ſacramentales, quas ſumpſimus: idcircò talis vnio CHRISTI cum manducante ipſum, appellatur

à Patribus vnio vera, realis, & corporalis: propter quam, dicunt ipſi, qui dignè manducant CHRISTVM in ſacramento, eos fieri quodammodo concorporeos, & conſanguineos CHRISTO.

QVADRAGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

De duplici vita diuina; & de nouem modis habendi diuinam vitam.

DVPLICITER dicitur vita diuina. Vno modo 133
propriè dicitur vita diuina, quæ eſt vita ſubſtantialiter: & eſt vita æterna, & eſt infinitæ perfectionis; qualis vita in rebus creatis eſſe non poteſt: ſed eſt in ſolo DEO. Et hæc vita tribus modis habetur; Primo modo; huiuſmodi vitam diuinam habet DEVS Pater; non ab alio, nec propter aliud: ſed à ſeipſo tantùm. Secundo modo; hanc ipſam vitam diuinam Patris; & totam, & eandem omninò habet Filius DEI: non tamen à ſeipſo: ſed à Patre, per æternam ſui generationem ab ipſo. Tertio modo; hanc ipſam vitam diuinam Patris, & Filij habet Spiritus ſanctus, non à ſeipſo: ſed à Patre, & Filio per æternam ſpirationem ipſius ab illis. Itaque ſicut Pater non poteſt verè dici viuere propter aliquem; ita Filius, ea ratione, qua dictum eſt, verè dicitur viuere propter Patrem; & Spiritus ſanctus propter Patrem, & Filium. Et hæc quidem vita diuina ſubſtantialiter non eſt niſi in tribus diuinis perſonis: quarto tamen modo hæc ipſa vita eſt in CHRISTO homimine: non quidem ſubſtantialiter: ſed propter perſonalem vnionem humanitatis CHRISTI cum Verbo DEI: propter quam, ſecundum cõmunicationem idiomatum, quæ ſunt propria DEI, tribuuntur homini CHRISTO.

Quatuor modi habẽdi vitam diuinam ſubſtãtialem, & increatã.

Altero modo, dicitur vita diuina non ſecundum ſubſtantiam: 134
ſed ſecundum accidentalem quandam participationem vitæ diuinæ ſubſtantialis: quæ participatio fit per donum gratiæ gratum facientis; per quam homo participat eſſe ſupernaturale, & viuere diuinum. Huiuſmodi porrò vita diuina quinque modis habetur; Primo modo; habuit eã pleniſſimè, & perfectiſſimè anima CHRI-

Quinque modi vitæ diuinæ participatæ.

STI; non ſolùm in ſe propter ſe: ſed tanquàm vniuerſale principium, & quaſi fons omnis vitæ diuinæ, quam participant omnes electi. Secundo modo; habent ſancti vitam diuinam per gratuitum donum gratiæ gratum facientis; ſecundum variam, & diſparem menſuram donationis DEI, aliis plus, & aliis minus dantis. Tertio modo, hæc vita diuina peculiari quadam ratione communicatur dignè manducanti carnem CHRISTI in ſacramento. Ipſe enim dixit; *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Ipſe etiam dixit; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quarto modo, vita diuina communicatur intellectui hominis, vel Angelis, per vnionem cum eo diuinæ eſſentiæ tanquam obiecti intelligibilis & beatifici. Si enim ipſum intelligere, vt dixit Philoſophus, eſt viuere; & quidem inter gradus viuendi, eſt perfectum viuere; intelligere, & videre diuinam eſſentiam: vt intelligunt & vident Beati; ſine dubio eſt perfectum & diuinum viuere. Quinto modo, vita diuina non ſolùm communicatur animæ: ſed etiã in glorioſa corporum reſurrectione communicabitur corpori per quandam ceu redundantiam gloriæ, ac fœlicitatis animæ in corpus: nam vita diuina eſt vita immortalis, & beata; corpus autem glorificatum habebit vitam immortalem, & beatam, idqóque vitam quoque diuinam.

XLII. DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Sciens autem IESVS apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis; Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat priùs. Ver. 62. & 63.

135 VT hæc verba ſententiam reddant abſolutam, illud eſt addendum. Quid dicetis? vel; An tum non credetis? ſed quem ad finem hæc verba dixerit Dominus, ſubobſcurum eſt: eáque obſcuritas varias fecit explanatorum huius Euangelij ſuper ea re- *Quorſum hæc verba Domini ſpectet, triplex doctorum ſententia.*

Chryſoſt. Theophylact. Caietanus. re ſententias. Prima ſententia eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, & Caietani arbitrantium, CHRISTVM his verbis probare voluiſſe id,quod ſuprà ipſe dixerat, *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi:* propter quod aduerſus ipſum Iudæi murmurauerant. Ait itaque CHRISTVS, cur nõ creditis me de cœlo deſcendiſſe; cùm apertè viſuri ſitis me aſcendentem in cœlum? Nam,vt ſuprà ipſe dixit; Ioan.3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo.* Verùm propterea non videtur hæc ſententia probabilis: quia murmuratio illa Iudæorum lõgiùs diſtat ab hoc loco,pluribus aliis interpoſitis,quàm vt verba hæc ad eam congruè referri queant. Adijce, quòd illi murmurationi Iudæorum ſatis Dominus reſponderat illis verbis; *Nolite murmurare adinuicem: nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me,traxerit eum,&c.*

136 Auguſtinus. Beda. Rupertus. Altera ſententia eſt Auguſtini, Bedæ, & Ruperti aientium, his verbis CHRISTVM voluiſſe tollere falſam opinionem, quam habebant Iudæi credentes, carnem CHRISTI eſſe manducandam carnali modo, ferro laniatam, igne toſtam, dentibus contritam: Dicit ergo nunc Dominus illis, Si videritis me, impaſſibili carne mea, integro corpore, membríſque omnibus inuiolatis, aſcendere in cœlum, tunc profectò cognoſcetis carnem meam non eſſe manducandam carnali modo: ſed modo quodam ſacramentali,atque impaſſibili.

137 Cyrillus. Euthymius. Tertia ſententia,ſanè quàm probabilis,eſt Cyrilli,& Euthymij. Hi cenſent CHRISTVM his verbis voluiſſe, miraculum realis manducationis ſuæ carnis demonſtrare poſſibile eſſe, ex alio miraculo non minori aſcenſionis ſuæ carnis in cœlum: quaſi hunc in modum argumentando; Videtur incredibile vobis, quòd ego poſſim dare meam carnem manducandam;& quòd ea manducata præſtet vitam æternam: ſed cùm videbitis hanc ipſam carnem meam,inſtar volucris, per aëra, virtute ſua in cœlum aſcendere,& penetratis, & tranſcenſis omnibus cœlis, ad dexteram DEI Patris conſidere: nónne tunc credetis, id, quod de manducanda carne mea dixi, eſſe poſſibile? Sanè, moris eſt in diuina Scriptura, vnum miraculum probare per aliud miraculum: quemadmodum CHRISTVS Nathanaëli dixit; Ioan.1. *Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis: Amen, amen dico vobis, videbitis*

tis cœlum apertum, & Angelos DEI *aſcendentes, & deſcendentes ſupra* *Luc.1.*
Filium hominis. Et Archangelus Gabriel miraculum incarnationis Filij DEI ex matre virgine ſine virili ſemine, probauit ex alio miraculo generationis Ioannis Baptiſtæ ex matre ſene, & ſterili.

138 Ex his porrò Domini verbis patet, & probatur euidenter, CHRISTVM eſſe locutum hoc loco de mãducatione carnis ſuæ, non tantùm ſpirituali: ſed etiam reali, quæ fit in ſacramento. Nam ſpiritualis tantùm manducatio CHRISTI, neque adeò eſt admirabilis, atque incredibilis: & exemplum corporalis aſcenſionis CHRISTI in cœlum, ad probandam, vel demonſtrandam ſpiritualem manducationem CHRISTI nihil facit: ad comprobandam verò, & perſuadendam realem manducationem eius, plurimùm valet.

XLIII. DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Spiritus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt quidquam. VER. 64.

139 EXVLTANT hoc loco Hæretici ſacramentarij, quaſi apertè his verbis demonſtretur, manducationem carnis CHRISTI, de qua hoc loco ipſe locutus eſt, non eſſe realem; qualem Catholici faciunt in ſacramento Euchariſtiæ: ſed eſſe tantùm ſpiritualem, quæ fit per actus fidei, & dilectionis, & imitationis CHRISTI. Dominus enim dixit, carnem non prodeſſe quidquam: ſed ſpiritum eſſe, qui viuificat. Sed iſti ſatis inſcitè, atque impudenter faciunt, qui clariſſimam CHRISTI doctrinam tenebricoſis infuſcare ratiunculis ſuis, & per ſanctiſſima eius verba fucare ſuos errores, & impia dogmata fallaciter perſuadere conantur. Et CHRISTVS quidem hoc loco non dixit; (Caro mea non prodeſt quidquam:) ſed dixit præcisè; *Caro non prodeſt quidquam.* Nam quòd caro ſua futura eſſet mundo ſalutifera, æternámque vitam allatura, ſuperioribus illis verbis ſuis nos ipſe docuerat; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* *Hæretici ſacramentarij.*

Eſt

Quomodo intelligendum ſit carnem non prodeſſe quidquam: ſed, ſolum ſpiritum viuificare, variæ interpretationes.

Auguſtinus. Cyrillus.

140 Eſt itaque declarandum à nobis, quemadmodum intelligi debeat hæc Domini ſententia, carnem nihil prodeſſe, & Spiritum tantùm viuificare. Auguſtinus, & Cyrillus dupliciter interpretantur hæc verba. Primò quidem hac ratione; Caro per ſe, & nudè ſumpta non poteſt conferre quidquam diuinum, nedum vitam æternam: at caro vnita perſonaliter diuino Spiritui viuificanti omnia, qualis erat caro CHRISTI, hæc caro poteſt dare vitam æternam. Deinde hoc modo; caro CHRISTI ſi tantùm ſumatur ſacramentaliter, ſine fide, ac dilectione, nihil confert: quia Spiritus eſt, qui viuificat; id autem eſt, quia tunc manducatio carnis CHRISTI prodeſt manducanti, cùm habet adiunctam ſimul ſpiritualem manducationem, quæ fit per actus fidei, & deuotionis.

Chryſoſt. Theophylact. Euthymius.

141 Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius hunc in modum interpretantur hæc Domini verba: Caro, id eſt, doctrina, quam dedi de manducanda carne mea, carnaliter intellecta, non confert quidquam: ſi autem ſpiritualiter intelligatur, tunc viuificat. Sic iſti. Sanè huic interpretationi ſatis conſonat, quod proximè CHRISTVS ſubiunxit; *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt:* id eſt, verba, quæ ego dixi de manducanda mea carne, ſpiritualiter intelligenda ſunt: & ſic intellecta vitam afferunt. Aiunt porrò iſti doctores, doctrinam CHRISTI de manducanda carne ſua, ſpiritualiter eſſe intelligenda: non quòd CHRISTI caro non ſumatur realiter in ſacramento: id enim ſuprà apertiſſimis verbis Chryſoſtomi commemoratis oſtendimus: ſed quia non debet CHRISTI caro manducari carnali modo. Manducare autem carnem CHRISTI ſpiritualiter, & non carnaliter, tria ſignificare poteſt. Primò, vt carnaliter manducare ſit viſibiliter, & paſſibiliter manducare; ſimiliter vt carnes animalium: ſpiritualiter autem manducare, ſit manducare in myſterio, & ſacramento, inuiſibili & impaſſibili modo. Deinde iſto modo loquendi ſignificatur, non ſufficere ſolam realem manducationem: ſed cum ea coniungendam eſſe ſpiritualem manducationem; qua ſpiritus hominis cum fide, & dilectione, ac deuotione realem manducationem comitatur, ſine quo realis manducatio non prodeſt. Ad hæc, ſignificatur etiam, non manducari carnem CHRISTI ad efficiendos corporales effectus; quales faciunt cibi corporales: ſed

Carnē Chriſti manducari, nō carnaliter: ſed ſpiritualiter, tribus modis intelligi poſſe.

ad

ad producendos effectus ſpirituales: ad gratiam ſcilicet augendam, virtutéſque roborandas, & feruorem ſpiritus excitandum.

142 Beatus Auguſtinus in tractatu vigeſimo ſeptimo in Ioannem, ſuam interpretationem huius ſermonis Domini cóncludit his verbis; Totum ergo, quod in hoc ſermone de manducanda carne ſua dixit, ad hoc nobis valeat, dilectiſſimi, vt non ſolùm carnem CHRISTI edamus in ſacramento: nam hoc & multi faciunt mali homines: ſed comedamus eam, etiam vſque ad participationem Spiritus, vt Spiritu CHRISTI vegetemur. Et ne ſcandalizemur, ſi multi, qui nobiſcum nunc ſumunt temporaliter Domini ſacramenta, in fine æterna habebunt tormenta. *Auguſtinus.*

XLIV. DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Reſpondit ei Simon Petrus; Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognouimus; quia tu es CHRISTVS Filius DEI. VER. 70.

143 HÆC à Petro facta confeſſio dignitatis, & diuinitatis CHRISTI; eſt perſimilis eius confeſſionis, quam idem alio tempore fecit verbis illis, quæ Matthæus cap. 16. commemorans, ait; *Reſpondens Simon Petrus dixit; Tu es* CHRISTVS *Filius* DEI *viui.* Quam eius confeſſionem maiorem in modum approbans, & laudans CHRISTVS, dixit ei; *Beatus es Simon Bar-Iona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi; quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quæritur itaque hoc loco cur illam Petri confeſſionem, quæ hoc loco narratur à Ioanne, non minus illuſtrem, minúſque memorabilem, atque prædicabilem, quàm fuit hæc alio tempore ab eodem facta, & ab aliis tribus Euangeliſtis Matthæo cap. 16. Marco 8. Luca 9. enarrata, nulla

Cur Chriſtus hanc Petri cõfeſſionem non commendauerit, ſimiliter vt alteram eiuſdem, quæ narratur Matthæi 16.

nulla CHRISTVS commendatione proſecutus ſit, cùm hanc mirè commendauerit, & beatificauerit.

Ad quæſtionẽ triplex reſpõſum. Reſpondent quidam, confeſſionem illam Petri narratam à tribus Euangeliſtis, fuiſſe priori tempore factam: hanc verò narratam hoc loco à Ioanne, fuiſſe poſteà factam: & quia iam illa fuerat à CHRISTO valde laudata; propterea non opus fuiſſe iterum eam à CHRISTO commendari. Sed enim iſtos refellit ratio temporum; Scrutanti enim rectam Euangelicæ hiſtoriæ chronologiam manifeſtum fit, contra potiùs, illam confeſſionem Petri fuiſſe poſteriorem: hanc verò commemoratam à Ioanne hoc loco, fuiſſe priorem. Reſpondent alij, Petrum illam confeſſionem deſcriptam à tribus aliis Euangeliſtis, edidiſſe ſuo proprio nomine: hanc verò commemoratam hîc à Ioanne, pronunciaſſe omnium nomine Apoſtolorum: inter quos cùm eſſet Iudas, qui non credebat IESVM eſſe CHRISTVM, & Filium DEI; non erat verum illud Petri dictum; *Nos credimus: quia tu es* CHRISTVS *Filius* DEI. At enim non ſolùm hanc confeſſionem: ſed etiam illam Petrus fecit nomine omnium Apoſtolorum. Hoc enim tradunt Doctores: & in primis Hieronymus ſuper illo Matthæi loco: ídque patet ex illa interrogatione Apoſtolorum, quam CHRISTVS proximè antè fecerat, dicens; *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Et proximè ſubſequitur; *Reſpondens autem Simon Petrus dixit; Tu es* CHRISTVS *Filius* DEI *viui.* Ex quo ſatis apparet, Petrum dixiſſe hoc & ſuo, aliorúmque Apoſtolorum nomine. 144

Auctoris ſententia. Illud veriſimilius fit, & probabilius videtur; Petrum confeſſionem illam à tribus aliis Euangeliſtis enarratam eximia quadam, & ſingulari pietate, ac religione, intimóque ſenſu animi, & per ſpecialem quandam DEI reuelationem edidiſſe: præmiſſa CHRISTI valde ſeria, & graui Apoſtolorum illa interrogatione, *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis.* Et cùm illi expoſuiſſent aliorum opiniones, ipſe interrogauit eos ſententiam ipſorum, dicens; *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Multa itaque concurrerunt ad illam Petri confeſſionem, quæ eam maximè commemorabilem, atque prædicabilem fecerunt. 145

XLV.

XLV. DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Reſpondit eis IESVS; Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus eſt? Dicebat autem Iudam, Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditúrus eum, cùm eſſet vnus ex duodecim. VER. 71.

146 HÆC verba nonnullas ferunt quæſtiones, ſilentio minimè ſupprimendas hoc loco. Harum quæſtionum prima ſit ſuper illis verbis; *Nónne ego vos duodecim elegi?* quibus ſignificatur, Iudam fuiſſe electum à CHRISTO. At infrà contrarium videtur CHRISTVS indicaſſe: nam in capite decimo tertio de Iuda loquens, aliis Apoſtolis dixit; *Non de omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegerim. Sed vt adimpleatur Scriptura, qui manducat meum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum.* Ex quibus verbis videtur concludi, Iudam non fuiſſe à CHRISTO electum. Verùm facilè quæſtio hæc ſoluitur; ſi diſtinguatur nomen electionis. Eſt enim duplex electio; Altera quidem ad conſortium ſanctorum in æterna beatitudine, & ad participationem æternæ vitæ: & hæc non conuenit niſi prædeſtinatis ad vitam æternam: & hæc non fuit in Iuda; quippè qui reprobatus, & damnatus eſt: & de huiuſmodi electione loquens CHRISTVS infrà cap. 13. ſignificauit, Iudam non fuiſſe de numero eorum, quos ipſe CHRISTVS elegerat. Altera eſt electio ad gradum aliquem muneris, & dignitatis in Eccleſia; Supremus autem gradus muneris, & dignitatis in Eccleſia eſt Apoſtolicus gradus, ad quem Iudas electus eſt à CHRISTO. Et de huiuſmodi electioné locutus eſt CHRISTVS in hoc loco, cùm dixit; *Nónne ego vos duodecim elegi?*

An Iudas fuerit electus à Christo.

Pſal. 40.

147 Illud porrò quod quidam dixerunt, Iudam non eſſe à CHRISTO electum ad honorem, & dignitatem Apoſtolatus; ſed ad corporale quoddam miniſterium procurandi, & diſpenſandi ea, quæ pertinebant ad victum CHRISTI, & Apoſtolorum; & quæ ſupereſſent, in eleemoſynas pauperum erogandi; hoc, inquam, mi-

Cõtra eos, qui dixerũt Iudã non fuiſſe electum ad munus & dignitatẽ Apoſtolatus.

nimè verum eſt: Iſtis enim apertè contradicit ſacra Scriptura; nempè Lucas cap. 6. ſcribit, CHRISTVM ex omnibus ſuis diſcipulis, & ſectatoribus elegiſſe duodecim, quos & Apoſtolos nominauit, inter quos recenſet Iudam. Et Petrus de Iuda dixit; *Qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius & Apoſtolatus.* Et idcircò Dauid miniſterium eius appellauit Epiſcopatum. De Iuda enim Petrus interpretatur illa verba Dauidis, quæ ſunt in Pſalmo centeſimo octauo; *Et epiſcopatum eius accipiat alter.* Hoc etiam probatur euidenter eo argumento, quòd Matthias electus eſt, & ſuffectus in locum Iudæ: eſt autem electus ad gradum muneris, & honoris Apoſtolici; quod indicarunt verba illa, quæ dixerunt Apoſtoli in electione Matthiæ; *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus: de quo præuaricatus eſt Iudas.*

Act. 1.

Sed illud nobis quiſpiam fortaſſe obiiciet. Electio DEI eſt immutabilis, & infallibilis. Si ergo Iudas fuiſſet electus à CHRISTO; non vtique fuiſſet reprobatus, & damnatus; quomodo igitur intelligendum eſt illud, quod CHRISTVS dixit hoc loco; *Nónne ego vos duodecim elegi?* Beatus Auguſtinus reſpondet, CHRISTVM iſtis verbis non eſſe locutum de illis duodecim perſonis: ſed de ipſo numero duodenario, quem ipſe in Apoſtolis ratum, & fixum, & inuiolabilem eſſe voluit. Nam quamuis Iudas defecerit, in eius tamen locum ſubrogatus eſt Matthias, & ita duodenarius Apoſtolorum numerus integer permanſit. Sed iſti expoſitioni ipſa CHRISTI verba non videntur ſuffragari: non enim CHRISTVS dixit; (Ego duodecim elegi:) ſed dixit; *Ego vos duodecim elegi.* Illud enim, *vos*, apertè demonſtrat, & propriè deſignat illas perſonas, & non tantùm ipſum numerum duodenarium. Poteſt itaque obiectio hæc ad eum modum ſolui, quo ſoluta eſt prima quæſtio; adhibita ſcilicet diſtinctione duplicis electionis. 148

Auguſtinus. Quomodo ſit immutabilis electio Dei.

XLVI. DISPVTATIO.

Cur Iudas hoc loco appelletur à CHRISTO *Diabolus: & an Iudas eo tempore, quo vocatus eſt à* CHRISTO *ad Apoſtolatum, fuerit vir bonus; an verò etiam tunc malus eſſet.*

149 QVæri hoc loco poteſt, cur Iudam CHRISTVS appellauerit Diabolum. Putant quidam, nomen Diaboli hoc loco non eſſe nomen proprium ſignificans propriè Dæmonem: ſed eſſe nomen commune ſignificans calumniatorem: & hoc nomen tribui Iudæ, quòd eo eſſet ingenio, atque animo, vt dicta, factaque CHRISTI, quoquo modo poſſet, calumniari ſoleret. Huic opinationi videtur ſuffragari Beatus Hieronymus in commentariis ſuis in Matthæum, ita ſcribens; Iudas calumniabatur miracula CHRISTI, exiſtimans ea magicè fieri: ſed veriſimilius ſit, quod tradit Cyrillus, & plures alij, Iudam appellatum eſſe Diabolum ἐμφατικῶς; ſcilicet ad exagerandam eius malignitatem, atque malitiam, quòd ea Diabolica magis videretur, quàm humana. Simili etiam locutione vti ſolent homines in vulgari ſermone. Nam de homine perditiſſimo, & maligniſſimo vulgò dici ſolet, iſte eſt Diabolus: Quemadmodum (inquit Cyrillus) qui adhæret DEO, vnus ſpiritus fit cum eo: ita qui penitùs adhæret Diabolo, & ipſe quodammodo fit Diabolus. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hoc CHRISTI de Iuda dictum, eodem modo interpretantur.

Iudas appellatus Diabolus. *Hieronymus.* *Cyrillus.* *Chryſoſt.* *Theophylact.* *Euthymius.*

150 Illud denique in quæſtionem adduci poteſt; An Iudas eo tempore, quo vocatus à CHRISTO eſt ad Apoſtolatum, fuerit vir bonus, an malus. Auguſtinus putat, eum tunc etiam fuiſſe malum: ideò autem eſſe vocatum, & electum à CHRISTO: quia CHRISTVS voluit eius malitia vti in commune bonum totius mundi. Neque huic opinioni abnuit Beda: & Beatus Thomas eius aſtipulatorem, & probatorem laudat Ambroſium. Ex aduerſo Chryſoſtomus, Cyrillus, Euthymius, Lyranus, & Caietanus veriſimilius

An Iudas, cùm eſt vocatus ad Apoſtolatum, fuerit bonus, an malus. *Auguſtinus.* *Beda.* *B. Thomas.* *Chryſoſt.* *Cyrillus.* *Euthymius.* *Lyranus.* *Caietanus.*

eſſe putant, eum fuiſſe tunc virum bonum: neque enim conueniens,& decens fuiſſet, à CHRISTO eligi ad Apoſtolatum; ſupremum videlicet Eccleſiaſticæ dignitatis, atque poteſtatis gradum, hominem peſſimum, atque perditum; cùm ipſe ad quoſlibet Eccleſiaſticos gradus,non niſi viros bonos prouehi iubeat. Ac licèt res hæc per ſe in obſcuro, & incerto ſit; quis enim diuinare poteſt, qualis fuerit tum Iudas, cùm eſt à CHRISTO vocatus, bonúſne, an malus? ego tamen ſum ad hanc poſteriorem opinionem, tanquàm rationi magis conſentaneam propenſior.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM
EVANGELII IOANNIS.

POST *hæc autem ambulabat* IESVS VERS. 1.
in Galilæam : non enim volebat in
Iudæam ambulare : quia quærebant
eum Iudæi interficere. Erat autem in* 2
proximo dies feſtus Iudæorum, Sceno-
pegia. Dixerunt autem ad eum fra-* 3
tres eius ; Tranſi hinc , & vade in
Iudæam, vt & diſcipuli tui videant
opera tua, quæ facis. Nemo quippè in occulto quid facit, & quærit* 4
ipſe in palam eſſe : ſi hæc facis, manifeſta teipſum mundo. Neque* 5
enim fratres eius credebant in eum. Dicit ergo eis* IESVS; 6
Tempus meum nondum aduenit : tempus autem veſtrum ſemper
eſt paratum. Non poteſt mundus odiſſe vos : me autem odit :* 7
quia ego teſtimonium perhibeo de illo , quòd opera eius mala ſunt.
** Vos aſcendite ad diem feſtum hunc ; ego autem non aſcendo ad* 8
diem feſtum iſtum : quia meum tempus nondum impletum eſt.
** Hæc cùm dixiſſet , ipſe manſit in Galilæa.* Vt autem aſcende-* 9. 10
runt fratres eius ; tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum , non ma-
*nifeſtè : ſed quaſi in occulto. * Iudæi ergo quærebant eum in die* 11
*feſto , & dicebant ; Vbi eſt ille ? * Et murmur multum erat in* 12
turba de eo. Quidam enim dicebant : quia bonus eſt. Alij autem
dicebant ; Non : ſed ſeducit turbas. Nemo tamen palam loque-* 13
batur

14 *batur de illo propter metum Iudæorum.* Jam autem die feſto*
15 *mediante, aſcendit* IESVS *in templum, & docebat.* Et mira-*
bantur Iudæi, dicentes; Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didi-
16 *cerit?* Reſpondit eis* IESVS, *& dixit; Mea doctrina non*
17 *eſt mea: ſed eius, qui miſit me.* Si quis voluerit voluntatem eius*
facere: cognoſcet de doctrina, vtrum ex DEO *ſit; an ego à me-*
18 *ipſo loquar.* Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit:*
qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt, & in-
19 *iuſtitia in illo non eſt.* Nónne Moſes dedit vobis legem: & ne-*
20 *mo ex vobis facit legem?* Quid me quæritis interficere? Reſpon-*
dit turba, & dixit; Dæmonium habes: quis te quærit interficere?
21 ** Reſpondit* IESVS, *& dixit eis; Vnum opus feci, & omnes*
22 *miramini.* Propterea Moſes dedit vobis circumciſionem: (non*
quia ex Moſe eſt: ſed ex Patribus,) & in ſabbato circumciditis
23 *hominem.* Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, vt non*
ſoluatur lex Moſi: mihi indignamini quia totum hominem ſanum
24 *feci in ſabbato?* Nolite iudicare ſecundum faciem: ſed iuſtum*
25 *iudicium iudicate.* Dicebãt ergo quidam ex Hieroſolymis: Nón-*
26 *ne hic eſt, quem quærunt interficere?* Et ecce palam loquitur, &*
nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt principes, quia hic
27 *eſt* CHRISTVS?* *Sed hunc ſcimus vnde ſit:* CHRISTVS
28 *autem cùm venerit, nemo ſcit, vnde ſit.* Clamabat ergo* IESVS
in templo docens, & dicens; Et me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis:
& à meipſo non veni: ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos
29. 30 *neſcitis.* Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Quæ-*
rebant ergo eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus:
31 *quia nondum venerat hora eius.* De turba autem multi credi-*
derunt in eum, & dicebant: CHRISTVS *cùm venerit, num-*
32 *quid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?* Audierunt Pha-*
riſæi turbam murmurantem de illo hæc: & miſerunt Principes, &
33 *Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum.* Dixit ergo eis* IE-
SVS; *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum,*

qui

qui me miſit. * *Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum,* 34
vos non poteſtis venire. * *Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos;* 35
Quò hic iturus eſt; quia non inueniemus eum? Numquid in di-
ſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? * *Quis eſt* 36
hic ſermo, quem dixit; Quæretis me, & non inuenietis: & vbi
ſum ego, vos non poteſtis venire? * *In nouiſſimo autem die magno* 37
feſtiuitatis ſtabat IESVS, *& clamabat, dicens; Si quis ſitit, ve-*
niat ad me; & bibat. * *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura,* 38
flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. * *Hoc autem dixit de* 39
Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim
erat Spiritus datus; quia IESVS *nondum erat glorificatus.* * *Ex* 40
illa ergo turba cùm audiſſent ſermones eius, dicebant; Hic eſt verè
propheta. * *Alij dicebant; Hic eſt* CHRISTVS. *Quidam au-* 41
tem dicebant; Numquid à Galilæa venit CHRISTVS? * *Non-* 42
ne Scriptura dicit; Quia ex ſemine David, & de Bethleem caſtel-
lo, vbi erat David, venit CHRISTVS? * *Diſſenſio itaque* 43
facta eſt in turba propter eum. * *Quidam autem ex ipſis volebant* 44
apprehendere eum: ſed nemo miſit ſuper eum manus. * *Venerunt* 45
ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi;
Quare non adduxiſtis illum? * *Reſponderunt miniſtri; Num-* 46
quam ſic locutus eſt homo; ſicut hic homo. * *Reſponderunt ergo* 47
eis Phariſæi; Numquid & vos ſeducti eſtis? * *Numquid ex* 48
Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? * *Sed tur-* 49
ba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt. * *Dixit Nicodemus* 50
ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis:
* *Numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo,* 51
& cognouerit quid faciat? * *Reſponderunt, & dixerunt* 52
ei; Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas,
& vide quia à Galilæa propheta non ſurgit.
* *Et reuerſi ſunt vnuſquiſque in* 53
domum ſuam.

IN CAPVT SEPTIMVM DISPVTATIONES DECEM.

PRIMA DISPVTATIO.

De connexione huius capitis cum ſuperioribus: & de pluribus CHRISTI *factis, & dictis prætermiſſis in hoc loco à Beato Ioanne.*

TOTVM ferè hoc caput conſumitur 1 in enarrandis altercationibus, quæ inter Iudæos, & CHRISTVM in feſto Scenopegię vltrò, citróq; agitatę ſunt. Sed ante omnia ſcire conuenit, inter hiſtoriam proximi ſuperioris capitis, & hiſtoriam huius capitis ſeptimi interceſſiſſe tẽpus ſex menſium; quantũ ſcilicet interfluxit inter feſtũ Paſchæ, quod primo menſe celebrabatur; & feſtum Scenopegiæ, quod agebatur in ſeptimo menſe. Hoc toto tempore CHRISTVS in Galilæa verſatus eſt: vel, vt Ioannes initio huius capitis dixit, ſecundum phraſim Hebraicam, ambulauit in Galilæam. Quæ autem iſto ſex menſium tempore à CHRISTO dicta, & facta ſunt, eorum narratione ſuperſedit Ioannes; vt quæ ab aliis Euangeliſtis iam eſſent literis prodita. Iſta verò, quæ inſigniora fuerunt, huiuſmodi ſunt; Sanata eſt filia mulieris Cananææ, Matthæi 15. Marc. 7. Sanatus eſt à CHRISTO ſurdus, & mutus, Marc. 7. Septem panibus ſatiauit quatuor millia hominum, Matthæi 15. Marci 8. Illuminatus eſt cæcus in Bethſaida, Marci 8. Beatificatur confeſſio, quam de CHRISTO fecit Petrus, Matthæi 16. Marci 8. Lucæ 9. Tranſ

Octo inſignia Christi facta, & miracula; quorum narrationem prætermiſit Ioãnes.

Transfiguratus eſt CHRISTVS in monte, Matthæi 17. Marci & Lucæ 9. Eiicitur à CHRISTO Dæmonium;quod non potuerant eiicere Apoſtoli; ibidem. Petrus ſtatere in ore piſcis inuento, pro CHRISTO, & pro ſe ſoluit didrachma.

2 Poſt hæc appropinquante feſto Scenopegiæ; quod erat vnum de tribus illis feſtis,ad quæ celebranda lex iubebat Iudæos aſcendere Hieroſolymam: proficiſci voluit CHRISTVS ex Galilæa in Iudæam, non ſolùm propter celebrationem iſtius feſti: ſed etiam quòd iam in propinquo eſſet tempus paſſionis eius; vt ſignificauit Lucas cap.9.nominans id,tempus aſſumptionis CHRISTI. Etenim mors CHRISTI in Scriptura Euangelica variis nominibus denotatur. Appellatur enim aſſumptio, & baptiſmus, & exceſſus, & tranſitus, & exaltatio, & conſummatio. Proficiſcenti autem CHRISTO ex Galilæa in Iudæam tranſeunda erat Samaria; vbi duo acciderunt ſatis memorabilia. Alterum fuit, quòd Samaritanis hoſpitio eum vbique excludentibus, indignati Iacobus, & Ioannes vrgebant eum, vt igne cœlitùs demiſſo tantam illorum inhumanitatem, ſibíque factam iniuriam, & contumeliam vlciſceretur: ſicut narrant Matth.cap.19. Marcus 10. Lucas 9. Alterum fuit,quod in eo ipſo itinere decē leproſi ſanati ſunt à CHRISTO, Lucæ 17. Denique peruenit CHRISTVS Hieroſolymam medio feſto Scenopegiæ:ea nàmque feſtiuitas per octo dies agebatur, & celebrabatur.

Paſſio, & mors Chriſti ſex nominibus denotatur, & deſignatur in ſcriptura Euangelica.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Mirabantur Iudæi, dicentes; Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit. VER. 16.

3 HÆc dicebant Iudæi non admirantes excellentiam doctrinæ CHRISTI: ſed ſimulantes ignorantiam modi, quo eam doctrinam ipſe acquiſiuiſſet, volebant odioſam, & ſuſpectam reddere; ſcilicet, vt quæ humano ſtudio non eſſet acquiſita, Dæmonum

Malitia Iudæorum. monum magiſterio crederetur accepta: Nam vt miracula eius: ita & doctrinam Dæmonibus acceptam referebant: hoc malitioſè agentes, vt quæ in eo mira erant, & fidem ei maximam, atque auctoritatem conciliabant, magica, & diabolica exiſtimarentur, ob idq́ue magis eum facerent inuiſum, & exoſum. Dicunt eum non didiciſſe literas, quia nouerant eius educationem in vrbe Nazareth; vbi à pueritia fabrilem artem cum Ioſepho, qui pater eius putabatur, tractauerat. Non viderant eum libros verſantem, nec ſtudiorum cauſa vel Hieroſolymam, vel alia loca; vbi ſacræ literæ docebantur, frequentantem, neque cum Doctoribus, ſciendi cauſa conuerſantem. Dicunt itaque Iudæi; *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?*

Cõfutatio Iudæorum. Verùm ab iſtis Iudæis quæri viciſſim potuiſſet; Quomodo hic 4
IESVS; cùm ſit homo mortalis, & paſſibilis, opera facit ſupra humanam facultatem, & planè diuina, illuminando cæcos, & viuificando mortuos? Vnde illi tantorum operum eſt potentia, indidem eſt doctrina: Quaſi verò, ſcire literas poſſibile non ſit, niſi quis eas ab alio didicerit. Quomodo igitur ſcientiam rerum omnium, quam vtique non didicerat ab alio, habuit Adam? quomodo tantam ſcientiam, & ſapientiam habuit Salomon? Quomodo artem ſculpendi, & pingendi habuit Beſeleel? *Exod. 36.* Quomodo Prophetæ res longè remotas, & obſcuriſſimas ſciuerunt? Oportebat conſiderare potiùs qualitatem doctrinæ, quàm modum habendi eam.

Tres modi acquirendi ſcientiam. Cæterùm ſcire conuenit, tres eſſe modos acquirendi doctri- 5
nam. Vnus eſt humanus; & hic eſt duplex; vel per propriam inuentionem; vel ab aliis diſcendo. Alter modus eſt diabolicus, per inſtinctum, & ſuggeſtum Dæmonis; quo modo ſciuntur artes Magicæ. Tertius modus eſt diuinus: & hic triplex eſt; vel per ſingulares quaſdam reuelationes, & inſpirationes DEI: quemadmodum multa diuinitùs Prophetæ docebantur; vel per habitus ſcientiæ à DEO infuſos: & hac ratione Adam, & Salomon habuêre ſcientiam rerum naturalium: vel per claram diuinæ eſſentiæ viſionem: ſicut Beati ſciunt omnia in Verbo.

Ruſſus cognitio diuina, ſeu rerum diuinarum poteſt accipi 6
vel ab homine, vt eam acceperunt Iudæi à Moſe, & Prophetis; &

Chriſtiani ab Apoſtolis, & Euangeliſtis: vel ab Angelis, à quibus multa docti ſunt Prophetæ: vel immediatè ab ipſo DEO, à quo CHRISTVS Dominus, quà homo, ſcientiam rerum omnium habuit. Denique diuina doctrina vel per partes, & per interualla temporum datur homini: & ſic data eſt à DEO Prophetis: vel tota ſimul datur: quemadmodum data eſt CHRISTO. Huius diuerſitatis exemplum quodammodo cernitur in vulgari Scriptura; quæ vel humana manu per partes ſucceſſiuè exaratur: vel quæ typis excuſa, tota ſimul quadantenùs exprimitur. Excutitur enim typis tota aliqua pagina, vel etiam plures: idque ſimul ſecundum omnes verſus, & ſyllabas.

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Reſpondit eis IESVS, & dixit; Mea doctrina non eſt mea: ſed eius, qui miſit me. VER. 17.

7 QVIA CHRISTVS erat DEVS & homo; erat quoque duplex eius doctrina. Altera, tanquàm DEI, diuina; altera, tanquàm hominis, humana. Doctrina diuina quatuor habet propria; quibus ab aliis omnibus doctrinis diſcernitur. Eſt enim æterna; eſt increata; eſt infinita; eſt ſubſtantialis DEO; quoniam re ipſa idem eſt cum ſubſtantia DEI. Hæc doctrina erat CHRISTI ſubſtantialiter: ſicut eſt DEI Patris; non erat tamen CHRISTI originaliter: ſicut enim ſubſtantiam diuinam non à ſe habebat: ſed à DEO Patre per æternam generationem acceperat: ita quoque & doctrinam diuinam. Et de hac quidem doctrina diuina verè intelligi poteſt hoc Domini dictum; *Mea doctrina non eſt mea.* Patet enim ex his, quæ dicta ſunt, doctrinam hanc diuinam & eſſe ipſius CHRISTI, & non eſſe ipſius.

Quatuor eſſe propria diuinæ doctrinæ.

8 Doctrina verò CHRISTI tanquàm hominis, triplex fuit. Vna fuit beatifica; claram habens diuinæ eſſentiæ viſionem; & hanc ipſe ab initio ſuæ conceptionis habuit, & per eam omnia ſciuit.

Triplex doctrina Chriſti tanquàm hominis.

Hæc autem non fuit ipſius, neque effectiuè, neque meritoriè: non enim ipſe meruit ſibi gratiam, & gloriam eſſentialem. Altera doctrina CHRISTI tanquàm hominis, fuit infuſa à DEO animæ ipſius, omnes complexa habitus ſcientificos; per quam doctrinam homo CHRISTVS omnia naturaliter ſcibilia perfectiſſimè ſciebat: & hæc doctrina CHRISTI non ab ipſo tanquàm homine fuit: ſed à DEO infuſa animæ eius ab initio fuerat. Tertia doctrina CHRISTI tanquàm hominis, fuit acquiſita, quam ipſe tanquam homo viator, & cæterorum hominum, citra peccatum, ſimilis, per virtutem intellectus paſſibilis & agentis, & miniſterio ſenſuum, & per varias obſeruationes, & experimenta ſibi comparauerat. Hæc porrò doctrina, ſicut magis eſſe ipſius dici poterat, quàm ſuperiores: ita longè illis & dignitate, & perfectione ſcientiæ inferior erat. Hoc autem loco nomine, doctrinæ, ſignificari videtur doctrina; non vt eſt habitus quidam inhærens, & manens in hominis mente: ſed vt ea verbis explicatur, & traditur aliis hominibus: vt hæc ſit germana horum verborum Domini ſententia, & interpretatio; *Mea doctrina:* quod ego vos doceo, & quod prædico eſſe vobis credendum, & agẽdum, *non eſt mea*, non eſt meum inuentum, ex proprio ſenſu, & arbitrio profectum: *ſed eius, qui miſit me*: ſed eſt DEI Patris mei, qui miſit me in mundum, cùm me hominem fieri voluit, & docuit me hæc ipſa, quæ ego vos doceo: & mandauit mihi, vt ea nomine ipſius denunciarem, & traderem vobis. Vos itaque non meam: ſed DEI doctrinam contemnitis, & abiicitis; nec mihi: ſed DEO aduerſamini.

Quod ita eſt hominis, vt non ſit Dei, id non eſſe bonũ.

Sciendum prætereà eſt, quod ita proprium eſt hominis, vt non 9
ſit etiam DEI, id nullo modo bonum eſſe poſſe: nempè omnis boni auctor eſt DEVS; & ad omne bonum, quod ab homine fit, & inchoandum, & promouendum, & abſoluendum, tanquàm principalis cauſa eius boni, concurrit DEVS. Doctrina igitur, quæ ita eſt hominis, vt non ſit etiam DEI, ea nec vera eſt, nec vtilis homini, nec DEO grata eſſe poteſt. Dicens itaque Dominus; *Mea doctrina, non eſt mea: ſed eius, qui miſit me:* ſatis indicauit, doctrinam, quam ipſe prædicabat, eſſe veriſſimam, & vtiliſſimam, Deóque acceptiſſimam, & ab ipſis approbandam, & amplectendam.

10 Illud quoque hîc aduertendum eſt, hoc eſſe, præter alia, diſcrimen inter gentiles philoſophos, profanóſque doctores; & inter diuinæ doctrinæ prædicatores, & doctores, atque ſcriptores; quòd illi maximè ſtudebant, & contendebant perſuadere hominibus, doctrinam, quam ipſi profitebantur, & tradebant illis, eſſe nouam, nec ab vllo priorum cognitam: ſed ſuum eſſe inuentum, ſuique ingenij fœtum, & opus eſſe proprium: glorioſius enim fore ſibi putabant, ſi nihil ab aliis didiciſſe, & accepiſſe viderentur: ſed omnia ſibi ſuo ingenio, ſuóque ſtudio peperiſſe.

Diſcrimẽ inter Philoſophos, & ſacræ doctrinæ prædicatores, atque doctores.

11 Contrà verò, Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, aliíque diuinæ doctrinæ prædicatores, & doctores, atque ſcriptores, maximè ſtudebant, & laborabant perſuadere hominibus, doctrinam, quæ ab ipſis tradebatur, non eſſe ipſorũ: ſed eſſe à DEO profectam, & ab eo traditam ipſis. Atque hæc eſt cauſa, cur inter omnes diuinæ doctrinæ ſcriptores mira ſit ſententiarum, & doctrinæ conſonantia, & concordia: cùm inter gentiles philoſophos maxima ſemper fuerit ſententiarum varietas, atque diſſenſio. Apud illos enim non parua ducebatur ingenij laus, nec doctrinæ gloria, & ſapientiæ exiſtimatio, diſcipulos à magiſtris diſſentire, & poſteriores aduerſari prioribus. Cùm itaque CHRISTVS dixit; *Mea doctrina, non eſt mea: ſed eius, qui miſit me*; oſtendit, doctrinam ſuam non eſſe philoſophicam, neque humanam: ſed eſſe diuinam, & à DEO ſibi traditam, & DEI nomine eam ab ipſo prædicari hominibus.

12 Solet etiam humana doctrina tribus præcipuè vitiis eſſe obnoxia; mendacio ſiue falſitati, & vanitati, & ſuperbiæ. Hoc demonſtrant illæ, quæ leguntur in Sacris litteris ſententiæ; *Omnis homo mendax: Dominus ſcit cogitationes hominum: quoniam vanæ ſunt. Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scientia inflat.* Ab huiuſmodi vitiis penitùs vacua, & pura eſt diuina doctrina. Eius namque principalis auctor, & doctor eſt DEVS, qui eſt ipſa veritas; vt neque ipſe falli, neque fallere alios queat. Et apud Iſaiam ait; *Ego Dominus docens te vtilia.* Et ſecundum Iacobum Apoſtolum; *Sapientia, quæ deſurſum eſt, pudica eſt, modeſta, pacifica, ſuadibilis, bonis conſentiens, &c.*

Hominũ doctrina tribus vitijs obnoxia.

Pſal. 115.
Pſal. 95.
Pſal. 4.
1. Cor. 8.

Eſa. 48.
Iacob. 3.

13 Denique ſententia hæc Domini: *Mea doctrina, non eſt mea: ſed*

eius, qui miſit me: ſalutare admodùm præbet nobis documentum. Vnicuique enim noſtrum ſeriò cogitandum eſt, penitúſque perſuaſum nobis eſſe debet, ſi quid boni eſt in nobis, qualecumque & quantumcumque ſit, id magis eſſe à DEO, quàm à nobis; magíſque DEI eſſe, quàm noſtrum; quamobrem non eſſe id tribuendum nobis: ſed acceptum DEO ferendum. Quod etiam confirmat Apoſtolus illis verbis; *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quare gloriaris, quaſi non acceperis?* Sanè, bonum, quod eſt in nobis, & noſtrum eſt, & non eſt noſtrum: ſed magis non eſt noſtrum, quàm eſt noſtrum. Eſt quidem noſtrum: quia datum nobis eſt ad vſum, & vtilitatem noſtram; quia pertinet, & conducit ad ornamentum, & perfectionem animæ noſtræ: quia poſſumus eo bono, ſi eo, vt oportet, vtamur, demereri nobis DEVM, & vitam æternam comparare. Non eſt autem noſtrum; quia principalis eius auctor, & cauſa non ſumus nos: ſed DEVS: ſecundum illud Apoſtoli Iacobi dictum; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Non eſt etiam noſtrum; quia non eſt datum nobis vt id vanè iactemus, & venditemus, ac de eo ſuperbè gloriemur; ſed vt per id, quoad poſſumus, glorificemus DEVM, alióſque iuuemus. Non eſt etiam noſtrum: quia nobis non licet vti eo vtcumque nobis libitum fuerit: ſed ſecundum regulam, & menſuram diuinæ voluntatis: nec ſumus nos bonorum, quæ habemus, abſoluti domini: ſed tanquàm depoſiti cuiuſdam, & commiſſi cuſtodes; & talenti nobis traditi fœneratores; de quo ſcilicet à nobis exigenda ſubtiliter ratio eſt, quemadmodùm ſit à nobis conſeruatum, & adminiſtratum, & cum lucro auctum.

Bona, quæ sũt in nobis, quomodo ſint noſtra, & non ſint noſtra; & quòd magis nõ ſint noſtra, quàm noſtra.

Matth. 25.

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 27. & 28. Sed hunc ſcimus, vnde ſit: CHRISTVS autem cùm venerit, nemo ſcit, vnde ſit. Clamabat ergo IESVS in templo docens; & dicens; Et me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis.

In

14 IN ſupradictis verbis Iudæorum duplex videtur eſſe contradictio. Altera eſt hæc; Dicunt Iudæi ſe ſcire, vnde ſit Dominus IESVS: cùm tamen infrà in capite 9. huius Euangelij narret Ioannes eos dixiſſe; *Nos ſcimus: quia Moſi locutus eſt* DEVS: *hunc autem neſcimus vnde ſit*. Altera contradictio eſt huiuſmodi; Dicunt hîc Iudæi, neminem ſcire; vnde Meſſias futurus ſit. At paulò infrà in hoc ipſo ſermone, teſtimonio Scripturæ confirmant, CHRISTVM ex ſemine Dauid futurum, & naſciturum in oppido Bethleem. Sed neutrum Iudæorum dictum veram continet contradictionem. Etenim Iudæi Dominum IESVM ſecundum aliqua cognoſcebant, & ſecundum alia plura, & maiora ignorabant. Cognoſcebant eum, quantùm ad matrem eius Beatam MARIAM: quantùm ad educationem in vrbe Nazareth; quantùm ad fabrilem artem, quam à puero exercuerat; quantùm ad doctrinam, quòd à nullo eam didicerat; ac demum quantùm ad veritatem naturæ humanæ; & quantùm ad humilitatem, & paupertatem vitæ, atque conuerſationis eius. Infrà verò in capite 9. negant ſe ſcire vnde ſit Dominus IESVS: id autem eſt, à quo fuerit miſſus ad prædicandum, & docendum alios: quis ei tantam dederit auctoritatem, & poteſtatem, quantam præ ſe ipſe ferebat: à quo doctrinam, quam tradebat, didicerit, & acceperit. Nolebant enim fateri ipſum fuiſſe miſſum à DEO, & ab eo doctum: ſicut de Moſe fateri non dubitabant.

Quomodo Iudæi Dominū noſtrū & cognoſcerent, & non cognoſcerent.

15 Sed erant alia plura, & maiora in CHRISTO, quæ Iudæi neſciebant. Ea verò ſunt hæc; ipſum & verum eſſe hominem, ſimúlque verum DEVM: Ipſum eſſe verum, & naturalem filium DEI, ab eo genitum ante omnia ſæcula: Ipſum eſſe DEO Patri coæternum, & conſubſtantialem, & æqualem: Ipſum, quà homo erat, fuiſſe generatum ex matre virgine, ſine virili ſemine; ideóque veram matrem habere in terris; non autem Patrem: Ipſum denique, licèt ſecundum corporalem conditionem, & cõuerſationem eſſet mortalis, ac paſſibilis, & pauper, atque humilis: ſecundum partem tamen ſuperiorem animæ ſuæ, etiam cùm in terris verſaretur, eſſe glorioſum, & beatum. Ex his apparet, in ſupradictis verbis Iudæorum, quibus illi dicebant, ſe Dominum noſtrum IE-

Quinque præcipua in Domino noſtro Ieſu, quæ non ſciebāt Iudæi.

ſvm & ſcite, & non ſcite, non fuiſſe veram, ſecundum mentem ipſorum, contradictionem. Multò autem minus vlla fuit contradictio in verbis Domini, cùm dixit hoc loco; *Et me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis.* Et cùm infrà in capite 8. dixit; *Neque me ſcitis, neque Patrem meum*; ſatis enim declaratum à nobis eſt, Iudæos, ſecundum aliqua ſciuiſſe Dominum, & ſecundum aliqua neſciuiſſe.

Circa verò alterum illud Iudæorum dictum, Christvs *autem cùm venerit, nemo ſcit, vnde ſit*; ſcire conuenit, Iudæos eo tempore putaſſe, Meſſiam, ſecundum aliqua fore notum hominibus: ſecundum alia verò occultum, & ignotum. Sex autem ſunt, ſecundum quæ Meſſias futurus erat notus Iudæis. Primò, ſecundum Tribum, quia futurus erat de Tribu Iuda; vt prædixerat Iacob illis verbis; *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat, qui venturus eſt; & ipſe erit expectatio gentiũ.* Deinde ſecundum genus, & familiam eius; quia futurus erat ex ſemine Dauid; vt ei Devs iureiurando promiſerat. Tum ſecundum natalem locum eius; quia, ſecundum Michææ vaticinium, naſciturus erat in vrbe Bethleem. Ad hæc, ſecundum tempus aduentus eius; quia venturus erat, cùm primùm defeciſſet Principatus Iudaicus, tranſiens ad alienigenas: ſicut in illo ſuo nobili vaticinio ſignificauit Iacob. Et poſt illas ſeptuaginta hebdomadas, quibus Daniel tempus Meſſiæ præſignauit. Prætereà ſecundum miracula, quæ facturus erat in terris, quæ prędicta fuerant ab Iſaia in capite 35. dando viſum cæcis, ſurdis auditum, & claudis ingrediendi, & ſaliendi virtutem. Poſtremò, quia venturus erat maxima cum poteſtate, & gloria; & redempturus erat populum Iſraël, & ſubiecturus erat imperio ſuo alia regna; vt prædixerat Daniel in capite ſecundo, & ſeptimo, & octauo. 16

Secundum ſex res Meſſiam futurũ Iudæis notum. *Geneſ. 49.* *Pſal. 131.* *Mich. 5.* *Geneſ. 49.* *Daniel. 9.*

17 At verò putabant Iudæi, ſecundum alia quædam Meſſiam fore ignotum hominibus; nonnullis diuinæ Scripturæ ſententiis perſuaſi. Etenim Iſaias in capite 53. de eo dixit; *Generationem eius quis enarrabit?* Deinde Dauid in Pſalmo 109. de Meſſia dixit; *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Ipſius autem Melchiſedech & parentes, & genealogia, & tempus ortus, atque obitus ignota erant: vt ſcribit Apoſtolus in capite 7. Epiſtolæ ad Hebræos. Quinetiam ipſe Michæas, qui natalem locum Meſſiæ

Secundũ quas res Meſſias futurus eſſet ignotus. *Michæa 5.*

præ

prænunciauerat, ſignificauit, ipſum fore incomprehenſibilem, dicens; *Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Putabant quoque Iudæi, hoc ipſum fuiſſe ſignificatum à Daniele per illum lapidem de monte exciſum ſine manibus, qui præfigurabat Meſſiam, & à quo portentoſa illa ſtatua præſignans regna huius mundi, percuſſa & in puluerem redacta eſt. *Dan.2.*

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. VER.34.

18 APVD explanatores huius Euangelij triplicem ego interpretationem horum verborum reperio. Rupertus, & Caietanus putant verba hæc in malam partem eſſe accipienda; in hanc ſcilicet ſententiam: Non ſolùm vos Iudæi me viuum perſequemini: ſed etiam mortuum. Quæretis enim me iam mortuum tenere clauſum in ſepulchro: ſed non inuenietis. Exibo enim de ſepulchro clauſo, & à mortuis exurgam viuus, atque immortalis. Quæretis etiam, iniuriis me, atque contumeliis afficere, meíque memoriam, & nomen meum ex animis hominum euellere, ac penitùs delere; ſeruos quoque meos vbíque hoſtili odio perſequemini? ſed non inuenietis, id eſt, nihil proficietis: nam & illi veſtra perſecutione magis in dies multiplicabuntur, magíſque in confeſſione mei nominis, & in profeſſione, atque prædicatione doctrinæ meæ confirmabuntur: meum quoque nomen per omnem terrarum orbem celebrabitur, & illuſtrius, atque glorioſius in dies exiſtet. *Triplex interpretatio. Prima, Ruperti, & Caietani.*

19 Chryſoſtomus autem, & Theophylactus, & Euthymius referunt hæc Domini verba ad tempus obſidionis Hieroſolymitanæ, quæ facta eſt ſub Tito Romanorum Imperatore. Eo namque tempore cùm Iudæi maximis verſarentur in anguſtiis, grauiſſimiſque malis, & calamitatibus premerentur, atque conflictarentur: multi ex ipſis quæſierunt Dominum noſtrum, id eſt, recordati ſunt eum *Secunda interpretatio, quæ eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij.*

prædixiſſe ipſis omnia illa mala, quæ tunc patiebantur: recordati etiam ſunt inſignium virtutum eius, & miraculorum, & beneficiorum, quæ in ipſos contulerat: quamobrem eum ſibi tunc adeſſe optaſſent: Sed vanum fuit, atque irritum iſtorum deſiderium: in quos ſcilicet verè, aptéque dici potuit illud, quod per Salomonem Dominus dixit; *Quia vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cùm irruerit repentè calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: Quando venerit ſuper vos tribulatio, & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane conſurgent, & non inuenient me; eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſilijs ſaturabuntur.*

Prouerb. cap. 1.

Tertia interpretatio, quæ eſt Auguſtini, & Bedæ.

At verò Beatus Auguſtinus, & Beda hoc Domini dictum re- 20
ferunt ad eos Iudæos, qui poſt aduentum Spiritus ſancti, cognita veritate doctrinæ CHRISTI, ad fidem eius conuerſi ſunt: & qui eum anteà fuerant inſectati, tunc piè colebant, & amabant: tales fuère illi Iudæi, qui in ipſo die Pentecoſtes, prædicante Beato Petro, conuerſi ſunt ad CHRISTVM, quorum fuiſſe tria millia narrat Lucas. Iſti ergo pro maximo duxiſſent beneficio ſi tunc ipſum Dominum, ſecundũ præſentiam corporalem, videre, & alloqui; & ſuauiſſimis, atq; ſaluberrimis eius ſermonibus frui potuiſsẽt.

Actorum 2.

Illud porrò, quod in ſupradictis verbis Dominus dixit; *Vbi ego* 21
ſum, vos non poteſtis venire, ſignificat ſtatum immortalitatis, & gloriæ CHRISTI futurum poſt reſurrectionem eius à mortuis: in quo ſtatu nec infideles Iudæi vllo modo eum lædere poterant; nec ad eum propter peccatum infidelitatis peruenire: & fideles, quoad mortalem hanc vitam agebant, ad eum ſtatum aſſumi non poterant. Dixit autem in præſenti tempore; *Vbi ego ſum:* vel more Scripturæ ponens tempus præſens pro futuro; vel quòd iam ibi eſſet ſecundum Diuinitatem, vbi paulò poſt futurus erat ſecundum humanitatem; vel quia, etiam vt homo in terris exiſtens, in cœleſti, & æterna gloria erat, & fuerat ab initio ſuæ conceptionis ſecundum ſuperiorem partem animæ ſuæ.

SEX

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos; Quò hic iturus eſt; quia non inueniemus eum? Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? VER. 35.

22 IN his verbis illud tantùm videtur ſuboſcurum, explicationémque requirens; quid hoc loco ſignificet diſperſio gentium. Putarunt quidam, per diſperſionem gentium hoc loco ſignificatos eſſe Iudæos, qui extra Palæſtinam habitantes, per varias diſperſi erant regiones, Syriam, Ægyptum, Aſiam, Græciam, & Italiam; vt nunc taceam decem Tribus Iſraël vltra Euphratem commorantes. Huic ſententiæ ſuffragari videtur Beatus Petrus, hoc ipſo nomine diſperſionis denorans Iudæos: nam ad eos ſcribens in prioris Epiſtolæ ſuæ exordio ſic ait; *Petrus Apoſtolus* IESV CHRISTI *electis aduenis diſperſionis Ponti, Galaciæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, &c.*

Quid hoc loco ſignificet diſperſio gentiũ.

23 Diſtinguebantur autem eo tempore quinque genera, ſiue gradus Iudæorum. In primo loco, tanquàm omnium honoratiſſimi, habebantur Iudæi Hieroſolymitæ. In ſecundo loco erant Galilæi, & qui habitabant Palæſtinam, quæ vocabatur Terra Promiſſionis; licèt extra Hieruſalém manerent. In tertio loco erant Iudæi, qui habitabant extra Palæſtinam, per varias diſperſi regiones: ſed erant ex illis Iudæis, qui reuerſi fuerant ex captiuitate Babylonica, & pertinebant ad Tribum Iuda, & Beniamin. In quarto loco erant Iudæi ex decem Tribubus, quæ fuerant à Rege Aſſyriorum Salmanazar ductæ in captiuitatem, & vltra Euphratem collocatæ. In quinto & vltimo loco, & tanquàm omnium viliſſimi, erant Samaritani, quos veri Iudæi, ne ipſo quidem Iudæorum nomine dignabantur; & quia erant ſemiiudæi, & ſemigentiles, contemptui, & odio habebant eos veri Iudæi.

Quinque genera, ſiue gradus Iudæorũ.

24 Sed enim altera ſententia & plurium, & probabilior eſt Chryſoſtomi, Auguſtini, & Ruperti. Hi diſperſionem gentium interpretan

Altera ſententia de diſperſione gẽtium, quæ eſt Chryſoſtomi, Auguſtini, & Ruperti.

pretantur ipſos gentiles, qui vocantur diſperſi; tùm quòd eſſent, quantùm ad eorum habitationem, per omnes ferè diſperſi regiones mundi; tùm quòd non vna omnes lege, vnáque religione inuicem adunati eſſent: ſed diuerſiſſimis, ac ſæpe contrariis diſtracti eſſent inſtitutis, ac ſuperſtitionibus: cum quibus Iudæi, quoad poſſent, commercia inire, atque conuerſari refugiebant. Hanc interpretationem planè comprobat, validéq; confirmat illud, quod iſtis verbis adiungunt Iudæi: *Et docturus gentes.* Vocabulum enim, *gentium*, in ſacra Scriptura vſurpatur tanquàm ſignificans omnes alios homines præter Iudæos. Significarunt itaque Iudæi iſtis verbis, fortaſſe CHRISTVM derelictis Iudæis longè abiturum ad populos gentium, vt apud eas tutiùs ipſe, atque vtiliùs doctrinam

Iſtos Iudæos quodammodo prophetaſſe. ſuam prædicare poſſet. Hæc autem dicentes iſti Iudæi, quodammodo neſcientes prophetarunt. CHRISTVS enim; licèt ſecundum corporalem præſentiam ſuam non erat iturus ad gentes; ſic

Matth. 15. enim miſſus fuerat ad oues tantùm Iſraël; erat tamen relictis Iudæis iturus ad docendas, & conuertendas ad DEVM gentes per Apoſtolos, & diſcipulos, alióſque ſectatores ſuos, qui cunctis gentibus Euangelium prædicaturi erant. Hoc autem apertè dixerunt

Act. 13. poſteà Iudæis Paulus, & Barnabas. Sic enim ſcriptum eſt; *Tunc conſtanter Paulus, & Barnabas dixerunt; Vobis oportebat primùm loqui verbum* DEI; *ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis*

Iſaiæ 49. *æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus; Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.*

SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 38. Qui credit in me; ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.

IN his verbis illud; *ſicut dicit Scriptura*, non paruam habet quæſtionem, in qua Scriptura veteris Teſtamenti 25
ſit illa ſententia Domini: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Videtur enim in Sacris libris, qui nunc extant, nuſquàm inueniri. Huius rei difficultas, & obſcuritas varias fecit

fecit Doctorum ſuper ea re ſententias,& interpretationes. Prima ſententia eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij, qui illud, *Sicut dicit Scriptura*, non iungunt cum eo, quod ſequitur; *Flumina de ventre eius fluent:* ſed cum eo, quod antecedit; *Qui credit in me:* in hanc videlicet ſententiam; Qui credit in me, ſicut Scriptura dicit eſſe credendum in me. In Scriptura enim prophetarum, pluribus locis traditum eſt,credi oportere in CHRISTVM. Verùm duriuſcula eſt interpretatio hæc; nam illud: *ſicut dicit Scriptura*, iunctum cum illo, *Qui credit in me*, ſatis impropriam habet,atque incongruam & inuſitatam in Sacris litteris locutionem: quapropter cæteri explanatores huius loci illud; *Sicut dicit Scriptura*, non cum præcedentibus: ſed cum ſequentibus verbis iungunt.

Quinque ſententiæ: & Prima eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, & Euthymij.

26 Altera ſententia eſt Caietani,qui ait,ſi illud,*Sicut dicit Scriptura:* iungatur cum illo, *Qui credit in me*, reddi ſenſum indubiè verum, & facilem intellectu: ſin autem iungatur cum eo, quod ſequitur, *Flũmina de ventre eius fluent*, reddi ſenſum valdè obſcurum, & incertum:quia in Sacris libris, quos nunc habemus, non inuenitur hæc à Domino citata ſententia. Dico autem, inquit Caietanus, non reperiri hanc ſententiam in libris Sacris,quos nunc habemus; quoniã multos libros Prophetarũ non haberi, qui fortè in tẽpore Domini noſtri extabant,apparet ex libris Paralipomenon, in quibus fit mentio librorum Nathan,& Gad,& Ahiæ, & Addo,& Semeiæ, & Oziæ. Sic Caietanus. At enim mihi quidem certè non fit credibile fuiſſe tempore CHRISTI Scripturam vllam canonicam, & ſacram, quæ poſteà perierit, & nunc non extet: præſertim verò cùm id à nullo traditum ſit veterum; qui in ſtudio Sacrarum litterarum fuêre diligentiſſimi & curioſiſſimi, & antiquitatis obſeruantiſſimi atque peritiſſimi; Clementem dico Alexandrinum,Origenem,Euſebium,& Beatum Hieronymnm. Nec id profectò latuiſſet Hebræos Rabbinos, à quibus tamen nullum ea de re verbum eſt factum.

Secũda ſententia, quæ eſt Caietani.

An tempore Chriſti Domini fuerit aliqua Scriptura ſacra, quæ nunc non extet.

27 Tertia ſententia eſt Beati Hieronymi, quam complures alij ſecuti ſunt. Is ait in ſua Præfatione in Pentateuchum, & in libros Paralipomenon,multa teſtimonia veteris Scripturæ ſacræ citari in nouo Teſtamento, quæ nõ inueniuntur in libris Sacris ſecundum tranſlationem ſeptuaginta Interpretum: ea tamen inueniri in

Tertia ſententia, quæ eſt ſancti Hieronymi.

Scriptura

Scriptura Hebraica, quam in Latinum ſermonem ipſe conuertit. Inter alia verò teſtimonia Scripturæ citata in nouo Teſtamento, quæ non inueniuntur apud ſeptuaginta interpretes: ſed inueniuntur in Scriptura Hebraica, commemorat ipſe hoc teſtimonium à Domino citatũ in hoc loco; *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* quod apud ſeptuaginta interpretes nuſquàm inuenitur; inuenitur autem in Scriptura Hebraica in libro Prouerbiorum. Et hæc quidem eſt Beati Hieronymi ſententia. Sed quia ipſe nullum libri Prouerbiorum locum nominatim ponit, propterea in obſcuro, & incerto reliquit, ex quo eius libri loco depromptum ſit hoc

Rupertus, B. Thomas, & Lyranus. Domini teſtimonium. Rupertus, Beatus Thomas, & Lyranus putant eſſe ſumptum ex capite quinto eius libri: non quidem expreſſis iiſdem verbis: ſed verborum duntaxat indicata ſententia. Sunt autem in capite quinto libri Prouerbiorum

Locus Prouer. cap. 5. hæc verba; *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.*

Diſcutitur tertia ſententia. At enim duo huic interpretationi valdè obſtant: Primò, quòd 28
hanc ipſam ſententiam ſicut habet Scriptura Hebraica: ita etiam habet Græca tranſlatio ſeptuaginta Interpretum: quod tamen negat Beatus Hieronymus. Niſi forte dicat quiſpiam, quæ nunc extat Græca tranſlatio ſacræ Scripturæ, eam non eſſe germanam, & propriam tranſlationem ſeptuaginta Interpretum. Deinde illud aduerſus iſtam ſententiam præualidum eſt argumentum, quòd Salomon eo in loco, ſecundum literalem ſenſum, non agit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in CHRISTVM: ſed hortatur maritum, vt poſthabita muliere meretrice, vel adultera, ſoli adhæreat vxori ſuæ. Hoc autem apertè indicant verba illa, quæ proximè ſequuntur; *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ; cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus: vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore eius delectare iugiter. Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in ſinu alterius?* Niſi quis fortè reſpondeat, iſtum Salomonis locum eſſe à Domino hìc citatum non ſecundum literalem ſenſum: ſed myſticum; vel per quandam, vt dici ſolet, congruam applicationem, & accommodationem ad propoſitum ſuum: quod haud ſcio an inoffenſis auribus à doctis, & piis viris audiendum ſit.

OCTA

OCTAVA DISPVTATIO.

Explicantur aliæ duæ ſententiæ ſuper eadem quæſtione.

29 QVARTA ſententia, quam omnium maximè Ianſennius approbat, & laudat, eſt huiuſmodi; Nullam hoc loco citari à CHRISTO certam alicuius ſacræ Scripturæ ſententiam: ſed tantùm ſignificata eſſe ea diuinæ Scripturæ loca, in quibus prædixit DEVS per Prophetas ingentem Spiritus, & gratiæ ſuæ abundantiam communicandam cum iis, qui credituri erant in Meſſiam: quæ quidem Spiritus, & gratiæ abundantia declarari ſolet in Scriptura variis ſimilitudinibus, & vocabulis aquarum; vt fontis, putei, torrentis, fluminis, & maris. Huiuſmodi autem Scripturæ loca, lectori in Sacris litteris minimè rudi, reperire non erit difficile. Sed ille apud Iſaiam cap. 41. perilluſtris eſt locus; *Egeni, & pauperes*, inquit DEVS, *quærunt aquas, & non ſunt; lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, & non derelinquam eos: aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum*. Eſt quoque inſignis, & luculentus alter ille locus apud eundem, capite quadrageſimo quarto; *Effundam*, inquit, *aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam: & germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas*. Ad hæc loca Iſaiæ Dominum noſtrum ſpectaſſe in citatione Scripturæ, quam fecit hoc loco, putaſſe videtur Beatus Cyprianus in tertia epiſtola libri ſecundi ſuarum epiſtolarum.

Quarta ſententia Ianſennius.

Beatus Cyprianus.

30 Non minus, quàm hæc, placet mihi quinta ſententia. Hæc autem ſic habet; CHRISTVM in hac citatione Scripturæ illud tantùm ſignificare voluiſſe; idem prorſus euenturum fuiſſe credentibus in ipſum, quod ſacra Scriptura multifariàm ait euenire viris iuſtis, & ſapientibus; vt ex eorum mente, atque ore profluant gratiæ, ac ſapientiæ flumina: quod indicatur apud Iſaiam cap. 48. *Ego Dominus* DEVS *tuus docens te vtilia, & gubernans te in via, qua ambulas. Vtinam attendiſſes mandata mea; facta fuiſſet ſicut flumen*

Quinta ſententia, quæ placet auctori.

pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris, &c. Simile eſt, quod legitur apud Salomonem in capite 18. libri Prouerbiorum; *Aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redundans, fons ſapientiæ.* Et paulò pòſt; *De fructu oris viri replebitur venter eius; & genimina labiorum eius ſaturabant eum.*

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus; quia IESVS nondum erat glorificatus.

HÆC verba duas ferunt quæſtiones; Alteram; quæ fue- 31
rit illa glorificatio IESV, ante quàm Spiritus ſanctus non erat datus hominibus: Alteram verò; quomodo intelligendum ſit, Spiritum Sanctum non eſſe datum hominibus ante glorificationem IESV; cùm negari nullo modo queat, ante Filij DEI aduentum in mundum, Spiritum ſanctum in veteri Teſtamento datum fuiſſe quamplurimis; vt Patriarchis, & Prophetis, aliiſque & viris, & mulieribus iuſtis, ac ſanctis. Super priori quæſtione tres ſunt doctorum ſententiæ. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Rupertus vocabulo, *glorificationis* IESV, ſignificari putant paſſionem, & mortem eius. Mors enim crucis; vt anteà ſummi erat dedecoris, & ignominiæ, & opprobrij, & pro maximis criminibus, & viliſſimorum hominum erat ſupplicium: ita CHRISTO ſummum attulit honorem, & gloriam. Dederat autem CHRISTVS ante paſſionem ſuam diſcipulis poteſtatem eiiciendi Dæmonia, & ſanandi morbos corporales: ſed poſt crucem, & paſſionem ſuam dedit eis Spiritum ſanctum, tanquàm per immolationẽ Agni immaculati iam reconciliatis DEO, & in eius gratiam, & amicitiam admiſſis. Pro hac ſententia facit, quod Dominus ipſe dixit infrà cap. 12. *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Et Paulus in ſecundo capite Epiſtolæ ad Hebræos ait; *Videmus* IESVM *propter paſſionem mortis gloria, & ho*

Quæ fuerit illa glorificatio Ieſu, tres doctorũ ſententia.

Prima ſentẽtia, quæ eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, & Ruperti.

An glorificatio Ieſu, fuerit paſſio, & mors eius.

& honore coronatum. Sed non videtur admodùm probabilis hæc ſententia. Nam etſi CHRISTVS per paſſionem, & mortem ſuam meruit glorificationem corporis, & nominis ſui: non tamen in ipſa paſſione eſt glorificatus coram hominibus: ſed humiliatus, & abiectus, & exinanitus: quemadmodum Paulus de eo dixit; *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis.* Iſaias quoque in capite quinquageſimotertio, multas, & varias, magnaſque humiliationes, & abiectiones in paſſione, ac morte ipſius Meſſiæ futuras graphicè deſcripſit; appellans eum nouiſſimum virorum, & virum dolorum, & quaſi leproſum, & & humiliatum, & percuſſum à DEO, & attritum, atque vulneratum, & cui non erat neque ſpecies, neque decor, neque aſpectus. Ergo paſſio, & mors CHRISTI fuit quidem cauſa meritoria glorificationis, quæ poſtea facta eſt in corpore, & in nomine eius: in ipſa tamen, propriè loquendo, non eſt Dominus IESVS euidenter, & coram hominibus glorificatus.

Ad Philipp. 2.

32 Beatus Auguſtinus, & Beda, & hos ſecuti complures alij, glorificationem IESV interpretantur eius reſurrectionem. Per hanc enim glorificatus eſt IESVS in corpore ſuo; Tunc dixit ipſe, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Tunc iuſſit diſcipulos prædicare Euangelium in omni mundo; per quod apud omnes gentes nomen eius clarificatum eſt. Sed enim licèt hæc ſecunda ſententia ſimilior, & propior vero ſit, quàm prima: attamen perfecta glorificatio non contigit Domino IESV ante aſcenſionem eius in cœlum. Tunc enim verè, ac manifeſtè glorificatus eſt, cùm quaſi triumphans, & cum nobili pompa aſcendit in cœlum, captiuam ducens captiuitatem, & dona dans hominibus. Tunc aſcendenti ſupra omnes cœlos, & ad thronum DEI Patris, venienti dixit DEVS Pater; *Sede à dextris meis.* Hæc mihi ſatis probatur, & placet ſententia, quam Lyranus, & Caietanus ſecuti ſunt.

Secunda ſententia, quæ eſt Auguſtini, & Bedæ.

Tertia ſententia, quæ eſt Lyrani, & Caietani, & placet auctori.

Pſal. 109.

33 Ad poſteriorem autem quæſtionem ſit hoc breue reſponſum. Non loquitur hoc loco Beatus Ioannes de qualicumque datione Spiritus ſancti: ſed loquitur tantùm de quadam inſigni, & eximia & ſingulari Spiritus ſancti datione; qualis anteà non erat facta: ſed facta eſt poſt Domini Aſcenſionem in cœlum: Dominus enim

Poſt Aſcẽſionem Domini tribus modis datũ eſſe hominibus Spiritum ſanctũ: quibus modis anteà datus non fuerat.

Iesvs poſt glorificationem ſuam, quæ potiſſimùm facta eſt per Aſcenſionem eius in cœlum, tribus modis dedit hominibus Spiritum ſanctum, quibus modis ante non dederat. Dedit, inquam, & vniuerſaliter,& abundanter,& ſenſibiliter. Dedit vniuerſaliter; quia non vni, & alteri homini: ſed & multis ſimul, & ſeparatim propemodùm innumerabilibus. Dedit non Iudæis tantùm: ſed etiam gentibus ex omni natione hominum, quæ ſub cœlo eſt, & vbique terrarum. Dedit abundanter; quia ſecundum omnem affluentiam, & exuberantiam gratiarum Spiritus ſancti: gratias dico Spiritus ſancti, tam quæ dicuntur gratum facientes, quàm quæ vocantur gratis datæ. Dedit ſenſibiliter; quia dedit per externa quædam ſigna conſpicua,& ſenſibus hominum manifeſta; quibus euidenter declarabatur Spiritus ſancti aduentus, & deſcenſus ſuper fideles: cuiuſmodi ſigna erant, loqui variis linguis, & prophetare. Hoc itaque loco dicens Beatus Ioannes non fuiſſe Spiritum ſanctum datum hominibus ante glorificationem Iesv, locutus eſt de datione Spiritus ſancti tribus hiſce modis inſigni; & qualis poſt Domini Aſcenſionem in cœlum facta eſt.

DECIMA DISPVTATIO.

Exponuntur duodecim modi glorificationis Iesv.

Duplex glorificatio Ieſu in cõceptione, & generatione eius.

Etsi Beatus Ioannes locutus eſt hoc loco de glo- 34
rificatione Iesv, quæ in eius Reſurrectione, & Aſcenſione ad cœlum facta eſt: non abs re tamen fuerit enarrare complures alios modos glorificationis Domini Iesv. Primò; glorificatus eſt ſtatim in ſui conceptione, & generatione; quia ſecundum ſuperiorem partem animæ ſuæ habuit beatificam Dei viſionem, atque fruitionem, & cœleſtis gloriæ fœlicitatem. Secundò; tunc etiam glorificatus eſt ab omnibus Angelis, eum tanquàm Regem ſuum adorantibus; ſecundum illa Pauli verba in primo capite epiſtolæ ad Hebræos; ***Et cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; Et adorent eum omnes Angeli*** Dei. Tertiò; glorificatus eſt in natiuitate ſua per cœleſtem exercitum Angelorum annunciantium, &

Glorificatio Ieſu in natiuitate eius.

cele

celebrantium eam:& per nouam,& admirabilem ſtellam indicem *Luc.2.*
ortus eius,quæ in cœlo apparuit:& per Magos ab Oriente venien- *Matth.2.*
tes,& ipſum tanquàm Regem, & DEVM adorantes. Quartò; glo- *Glorificatio Ieſu in deſerto.*
rificatus eſt in deſerto; vbi erat cum beſtiis: vt ſcribit Marcus; *Marc.1.*
tunc enim Angeli famulabantur ei. Sic enim ſcribit Matthæus; *Matth.4.*
Et ecce, acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Quintò; ſed ante hoc *Glorificatio Ieſu in baptiſmo.*
fuerat glorificatus in baptiſmo ſuo: tunc enim, vt narrat Matth.
cap.3. aperti ſunt cœli, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ de-
ſcendit ſuper eum,& vox DEI Patris de cœlo miſſa eſt, dicentis;
Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Sextò; glorificatus *Glorificatio Ieſu in trãſfiguratione.*
eſt inſigniter in ſua Transfiguratione; cùm facies eius viſa eſt re-
ſplendens tanquàm ſol, & veſtimenta eius candida ſicut nix, &
medius apparuit inter Moyſem & Eliam; & audita eſt vox DEI
Patris de eo dicẽtis; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene com-* *Matth.17.*
placui, ipſum audite. Hanc IESV glorificationem Petrus in primo
capite poſterioris epiſtolæ ſuæ prædicat, & magnificat illis verbis:
Accipiens à DEO *Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum hu-
iuſmodi à magnifica gloria; Hic eſt Filius meus dilectus,in quo mihi com-
placui,ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam,cùm
eſſemus cum ipſo in monte ſancto.*

35 Septimò; glorificatus eſt in doctrina ſua; quia cognitus eſt ve- *Glorificatio Ieſu in doctrina.*
niſſe à DEO magiſter: & quia manifeſto DEI Patris teſtimonio
declaratus eſt Doctor omniũ,cùm dixit; *Ipſum audite:* quia ipſum
publicè docentem, etiam inimici, qui audiebant, admirati ſunt,
dicentes; *Nunquam ſic locutus eſt homo:* quia doctrinam ſuam plu- *Ioan.7.*
rimis,& maximis, atque inauditis miraculis comprobat: quamob-
rem dicebatur, *Vir Propheta potens in opere, & ſermone.* Et Nicode- *Lucæ vltimo.*
mus glorificans eũ dixit; *Scimus quia à* DEO *veniſti, magiſter: nemo* *Ioan.3.*
enim poteſt facere ſigna, quæ tu facis; niſi fuerit DEVS *cum eo.* Octauò; *Glorificatio Ieſu in paſſione, & morte eius.*
etiam glorificatus eſt in ſua Paſſione,& Morte: in qua tamen ma-
xima eius fuit coram hominibus humiliatio, & abiectio. Eſt, in-
quam, tunc glorificatus per admiranda illa prodigia, quæ conti-
gerunt & in cœlo, cùm ſol, præter ordinem, & curſum naturæ
eclypſatus eſt: & in terra, cùm ipſa horribili motu contremuit, &
petræ ſciſſæ ſunt; & in hominibus mortuis, qui reſurrexerunt ad
vitam: & in hominibus viuis, qui aderant illic, & viſis illis prodi-

Matt.27. Luc.23.

giis glorificauerunt DEVM, dicentes: *Verè hic Filius* DEI *erat.* Et reuertebantur percutientes pectora ſua. Nonò; Glorificatus

Glorificatio Ieſu in reſurrectione eius.

eſt in ſua Reſurrectione: tunc enim perfectam ſui corporis habuit gloriam: quæ conſiſtit in quatuor illis glorioſi corporis dotibus, Impaſſibilitate, Claritate, Agilitate, & Subtilitate. Decimò; glorificatus

Glorificatio Ieſu in Aſcēſione eius ad cœlum.

eſt in Aſcenſione ſua ad cœlum; quantùm ad habitationem in ſupremo cœli loco; & quantùm ad excellentiam dignitatis, & poteſtatis ſuper omnes cœlicolas; & quantùm ad ſeſſionem ſuam in ſupremo throno ad dexteram DEI Patris. Vndecimò; glorificatus

Glorificatio Ieſu in miſſione Spiritus ſancti. Ioan.16.

eſt in miſſione Spiritus ſancti; ſicut ipſe prædixerat de eo; *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet.* Tunc glorificatus eſt IESVS per ſuos diſcipulos, liberè, feruenter, & conſtanter nomen eius confitentes, doctrinam prædicantes. Tunc glorificatus eſt in multiplicatione Eccleſiæ ſuæ per vniuerſum mundum, & per Euangelij prædicationem in omni terrarum orbe, & per clarificationem nominis ſui apud omnes gentes. Duodecimò; Reſtat

Glorificatio Ieſu, quæ futura eſt in cōſummatione ſæculi, & in extremo iudicio.

etiam nunc maxima quædam glorificatio IESV, quæ futura eſt in conſummatione mundi, & in extremo, atque vniuerſali iudicio hominum: tunc ipſe cùm maxima poteſtate, ac maieſtate veniet ad iudicandum omnes, & reddendum vnicuique ſecundum opera ſua. Tunc perficietur, quod ei aſcendenti ad cœlum DEVS Pater

Pſal.109.

promiſerat, dicens; *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Tunc agnoſcetur ab omnibus Rex regum, & Dominus dominantium. Tunc ſublatis omnibus aliis regnis, & imperiis regnabit ipſe in cœlo, & in terra, & ſuper omnes creaturas.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM EVANGELII IOANNIS.

IESVS autem perrexit in montẽ Oli- Vers. 1.
ueti:* & diluculo iterùm venit in 2
templum, & omnis populus venit ad
eum, & ſedens docebat eos.* Addu- 3
cunt autem Scribæ, & Phariſæi mulie-
rem in adulterio deprehenſam: & ſta-
tuerunt eam in medio;* & dixerunt 4
ei; Magiſter, hæc mulier modò depre-
henſa eſt in adulterio.* In lege autem Moyſes mandauit nobis 5
huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Hoc autem dicebant 6
tentantes eum, vt poſſent accuſare eum. IESVS autem inclinans
ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* Cùm ergo perſeuerarent 7
interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis; Qui ſine peccato eſt
veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Et iterùm ſe inclinans, 8
ſcribebat in terra.* Audientes autem vnus poſt vnum exibant, 9
incipientes à ſenioribus: & remanſit ſolus IESVS, & mulier
in medio ſtans.* Erigens autem ſe IESVS, dixit ei; Mulier, 10
vbi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnauit?* Quæ di- 11
xit; Nemo, Domine. Dixit autem IESVS; Nec ego te con-
demnabo: Vade, & iam ampliùs noli peccare.* Iterùm ergo lo- 12
cutus eſt eis IESVS, dicens; Ego ſum lux mundi: qui ſequitur
me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ.* Dixerunt 13

ergo

ergo ei Phariſæi; Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium
14 *tuum non eſt verum.* * *Reſpondit* IESVS, *& dixit eis; Etſi*
ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum:
quia ſcio vnde veni, & quò vado: vos autem neſcitis vnde ve-
15 *nio, aut quò vado.* * *Vos ſecundum carnem iudicatis: ego non*
16 *iudico quemquam.* * *Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt;*
17 *quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit me, Pater.* * *Et in le-*
ge veſtra ſcriptum eſt; quia duorum hominum teſtimonium ve-
18 *rum eſt.* * *Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſti-*
19 *monium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* * *Dicebant ergo ei;*
Vbi eſt Pater tuus? Reſpondit IESVS; *Neque me ſcitis, neque*
Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.
20 * *Hæc verba locutus eſt* IESVS *in gazophylacio, docens in tem-*
plo: & nemo apprehendit eum; quia necdum venerat hora eius.
21 * *Dixit ergo iterùm eis* IESVS; *Ego vado, & quæretis me: &*
in peccato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis ve-
22 *nire.* * *Dicebant ergo Iudæi; Numquid interficiet ſemetipſum;*
23 *quia dixit; Quò ego vado, vos non poteſtis venire?* * *Et dicebat*
eis; Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc
24 *eſtis, ego non ſum de hoc mundo.* * *Dico ergo vobis, quia morie-*
mini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis quia ego ſum,
25 *moriemini in peccato veſtro.* * *Dicebant ergo ei; Tu quis es? Di-*
26 *xit eis* IESVS; *Principium, qui & loquor vobis.* * *Multa ha-*
beo de vobis loqui, & iudicare. Sed qui me miſit, verax eſt: &
27 *ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* * *Et non cognouerunt*
28 *quia Patrem eius dicebat* DEVM.* *Dixit ergo eis* IESVS;
Cùm exaltaueritis Filium hominis; tunc cognoſcetis quia ego ſum,
29 *& à meipſo facio nihil; ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor:* * *Et*
qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego, quæ
30 *placita ſunt ei, facio ſemper.* * *Hæc illo loquente multi crediderunt*
31 *in eum.* * *Dicebat ergo* IESVS *ad eos, qui crediderunt ei, Iu-*
dæos; Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis:
* *&*

* & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. * Reſpon- 32 33
derunt ei; Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquàm:
quomodo tu dicis: liberi eritis? * Reſpondit eis IESVS; Amen, 34
amen dico vobis; quia omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt pec-
cati. * Seruus autem non manet in domo in æternum: Filius au- 35
tem manet in æternum. * Si ergo vos filius liberauerit, verè li- 36
beri eritis.* Scio quia filij Abrahæ eſtis: ſed quæritis me interfi- 37
cere: quia ſermo meus non capit in vobis.* Ego quod vidi apud 38
Patrem meum, loquor: & vos, quæ vidiſtis apud Patrem ve-
ſtrum, facitis. * Reſponderunt, & dixerunt ei; Pater noſter Abra- 39
ham eſt. Dicit eis IESVS; Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ fa-
cite. * Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veri- 40
tatem vobis locutus ſum, quam audiui à DEO: hoc Abraham
non fecit.* Vos facitis opera Patris veſtri. Dixerunt itaque eis 41
Nos ex fornicatione non ſumus nati: vnum Patrem habemus
DEVM.* Dixit ergo eis IESVS; Si DEVS Pater veſter eſſet: 42
diligeretis vtique me. Ego enim ex DEO proceſſi, & veni: ne-
que enim à meipſo veni: ſed ille me miſit.* Quare loquelam meam 43
non cognoſcitis? Quia non poteſtis audire ſermonem meum. * Vos 44
ex Patre diabolo eſtis: & deſideria Patris veſtri vultis facere.
Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt
veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia
mendax eſt & Pater eius. * Ego autem ſi veritatem dico, non 45
creditis mihi. * Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem 46
dico vobis, quare non creditis mihi? * Qui ex DEO eſt, verba 47
DEI audit: propterea vos non auditis; quia ex DEO non
eſtis.* Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei; Nonne bene 48
dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? * Re- 49
ſpondit IESVS; Ego dæmonium non habeo: ſed honorifico Pa-
trem meum, & vos inhonoraſtis me. * Ego autem non quæro 50
gloriam meam: eſt qui quærat, & iudicet. * Amen, amen dico 51
vobis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in

52 *æternum.* * *Dixerunt ergo Iudæi; Nunc cognouimus quia dæmoniũ*
habes. Abraham mortuus eſt, & Propheta: & tu dicis; Si quis
53 *ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum.* *
Numquid tũ maior es Patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt?
54 *& Prophetæ mortui ſunt. Quem teipſum facis?* * *Reſpondit*
IESVS; *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater*
meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia DEVS *veſter eſt,*
55 * *& non cognouiſtis eum: ego autem noui eum: Et ſi dixero quia*
non ſcio eum; ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſer-
56 *monem eius ſeruo.* * *Abraham Pater veſter exultauit vt videret*
57 *diem meum: vidit, & gauiſus eſt.* * *Dixerunt ergo Iudæi ad eum;*
Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?
58 **Dixit eis* IESVS; *Amen, amen dico vobis, antequàm*
59 *Abraham fieret, ego ſum.* * *Tulerunt ergo*
lapides, vt iacerent in eum: IESVS
autem abſcondit ſe, & exiuit
de templo.

IN

IN CAPVT OCTAVVM DISPVTATIONES SEXDECIM.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Adducunt autem Scribæ,& Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, &c. VERS. 3.

An hiſtoria mulieris adulteræ ſit canonica,& à Beato Ioanne ſcripta: & quid ſuper ea re ſcripſerint Euthymius, B.Hieronymus,Euſebius,& Caietanus.

1 IN hoc capite octauo narratur hiſtoria mulieris adulteræ,& varij ſermones,& altercationes inter CHRISTVM,& Iudæos habitæ. Sed an hiſtoria mulieris adulteræ ſit Scriptura Canonica, & à Beato Ioanne ſcripta, diſquirendum eſt. Nonnulli enim id negarunt, hiſce argumẽtis adducti; Nullus Græcorum ſcriptorum, qui commentaria ediderunt in Euangelium Ioannis, hiſtoriam mulieris adulteræ nec in textu legit, neque in commentariis ſuis attigit. Audiat,lector, quid ſuper ea re Græcus explanator huius Euangelij ſcribat Euthymius,tractans extrema verba præcedentis capitis ſeptimi. *Euthymius.* Scire,inquit, oportet ea, quæ ab hoc loco habentur vſque

ad illa verba; *Iterùm ergo locutus eſt illis* IESVS, *dicens; Ego ſum lux mundi*, in exactioribus exemplaribus aut non inueniri, aut obelo confoſſa eſſe; eò quòd illegitima videantur, & addita. Et huius rei argumentum eſt, quòd ea nullus ſit interpretatus. Nobis tamen animus eſt etiam hæc declarare, quòd vtilitate non careant; ſicut & caput de muliere adultera, quod inter hæc ponitur. Sic Euthymius.

S. Hieronymus. Deinde Beatus Hieronymus in libro ſecundo aduerſus Pelagianos ſcribit, hiſtoriam mulieris adulteræ in multis codicibus Græcis, & Latinis reperiri in Euangelio Beati Ioannis: quibus verbis non obſcurè ſignificauit Hieronymus, eam in multis quoque aliis codicibus non inueniri. At ſi ea hiſtoria eſſet à Ioanne ſcripta, in omnibus codicibus inuenta fuiſſet. *Euſebius.* Euſebius in capite vltimo libri tertij de hiſtoria Eccleſiaſtica ait, eam hiſtoriam fuiſſe proditam à Papia diſcipulo Apoſtolorum, & reperiri in Euangelio, ſecundum Hebræos. Non ſic autem de ea hiſtoria locutus eſſet Euſebius, ſi eam putaſſet à Beato Ioanne ſcriptam, & partem eſſe Euangelij eius. 2

Horum itaque grauium ſcriptorum auctoritas, & teſtimonium 3
non ſolùm hæreticos fecit audaces ad hanc hiſtoriam abiudicandam, & abijciendam: ſed Caietano etiam animum fecit ad eius hiſtoriæ fidem eleuandam, minuendámque auctoritatem. *Caietanus.* Qui licèt fuerit non minùs catholicus, & pius; quàm doctus, & acutus: nonnunquàm tamen quaſdam minimè Catholicas, & pias ſententias, & ſacræ Scripturæ interpretationes in ſuis libris ſecutus eſt. In exordio commentariorum ſuorum ſuper hoc caput octauum ita ſcribit; Prima pars huius capituli cum tota hiſtoria mulieris adulteræ non eſt omninò authentica. Nam Hieronymus in libro ſecundo Dialogorum aduerſus Pelagianos dicit, eã in multis Græcis, & Latinis codicibus inueniri. Dicendo autem, *in multis*, monſtrauit non eſſe authenticam; ſicut pleráſque partes huius Euangelij. Quia tamen in Eccleſia legitur, tanquàm pars Euangelij; nos quoque illam exponemus. Hæc Caietanus. Et Paulò infrà explanans illa verba huius capitis octaui; *Iterùm ergo locutus eſt illis* IESVS, ſic ait; Nulla continuatio præcedentis facti cum iſtis verbis ſubiuncta teſtatur, adiectitiam eſſe præcedentem hiſtoriam

ſtoriam de muliere adultera; nec immeritò ab illuſtribus doctoribus prætermiſſam. Sic ille. Miror equidem Caietanum, qui non eſt veritus dicere, hiſtoriam hanc mulieris adulteræ non eſſe authenticam, nec eſſe partem huius Euangelij: ſed eſſe adiectitiam: cùm ipſe tamen fateatur, eam publicè in Eccleſia legi tanquàm partem Euangelij Ioannis. Sed qui dicit Eccleſiam habere pro canonica Scriptura hanc hiſtoriam: quæ tamen reuera non eſt canonica; is profectò non obſcurè ſignificat, catholicam Eccleſiam circa fidem, & auctoritatem huius hiſtoriæ in errore verſari, & tot iam ſæculis eſſe verſatam; & vniuerſum populum Chriſtianum errore ſuo implicatum, atque deceptum teneri. *Animaduerſio in ſententiam Caietani.*

SECVNDA DISPVTATIO.

Hiſtoriam mulieris adulteræ, canonicam eſſe, & à Beato Ioanne ſcriptam, breuiter probatur.

4 IN Concilio Tridentino, in ſeſſ. 4. & in decreto de Scripturis canonicis, hæc ſunt verba; Si quis omnes libros ſacræ Scripturæ integros, & cum omnibus ſuis partibus; ſicut in Eccleſia catholica legi conſueuerunt; & ſicut eos habet Latina editio vulgata, pro canonicis, & ſacris non ſuſceperit, Anathema ſit. Et hæc quidem fuit Patrum in illo Concilio ſententia, & decretum. Sed Eccleſia legit hiſtoriam mulieris adulteræ, tanquàm ſacram Scripturam, & partem Euangelij Ioannis, in Miſſa Sabbati poſt Dominicam tertiam quadrageſimæ. Et Latina editio vulgata habet eam in omnibus libris, in hoc loco Euangelij Ioannis: ergo hanc hiſtoriam eſſe canonicam Scripturam, & eſſe Beati Ioannis, ab homine catholico, ſaltem poſt Tridentini Concilij decretum, dubitari nullo modo poteſt. Hoc etiam comprobatur auctoritate veterũ Scriptorum. Ammonius in ſua Harmonia Euangelica inter hiſtorias ſcriptas in Euangelio Ioannis, memorat hanc mulieris adulteræ: ſimiliter etiam Athanaſius in ſynopſi eandem quoque hiſtoriam, vt ſacram, & Beati Ioannis refert, & Ambroſius in Epiſtola 58. & 76. & Auguſtinus in libro quarto de con- *Concilium Tridentinum.* *Ammonius.* *Athanaſius.* *Ambroſius.* *Auguſtinus.*

ſenſu Euangeliſtarum cap. 10.& in Epiſtola 54. & 57. Quinetiam Chryſoſtomus in homilia ſexageſima in Ioannem, referens aliquot hiſtorias Euangelicas, inter eas quoque commemorat hiſtoriam mulieris adulteræ.

Chryſoſt.

5 Sed enim, dicet quiſpiam, ſi hæc hiſtoria eſſet à Beato Ioanne ſcripta; ea proculdubiò in omnibus libris huius Euangelij ſiue Græcis, ſiue Latinis,& omni tempore fuiſſet: at ſuprà oſtenſum eſt, eam olim in quibuſdam libris fuiſſe: in aliis non fuiſſe, & Græcos explanatores huius Euangelij eam non habuiſſe: & hæc quidem ratiò principale fuit contrariæ ſententiæ fundamentum, atque firmamentum. Equidem puto, cauſam iſtius varietatis exemplarium Euangelij Ioannis incompertam nobis eſſe: ſi mihi tamen liceat, quaſi diuinando, cōiectare aliquid ſuper ea re, dicam, eam varietatem duabus ex cauſis accidiſſe. Fortaſſe Beatus Ioannes in prima huius Euangelij editione hanc hiſtoriam omiſerat: ſed eius poſteà recordatus, dignámque iudicans eam; vt litteris prodita, in Eccleſia CHRISTI, & in Populo Chriſtiano legeretur; in poſteriori eiuſdem Euangelij editione eam adiecit. Hinc factum eſt, vt prioris editionis exemplaria eam hiſtoriam non haberent: poſterioris verò editionis codices haberent eam. Vel fortaſſe Beatus Ioannes ab initio in hac ſua hiſtoria Euangelica poſuit hiſtoriam mulieris adulteræ: ſed qui poſteà ſcripturam eius in multa exemplaria tranſcripſerunt, eorum partim in ſcribendo negligentes, nonnulla omiſerunt, in quibus etiam fuit hiſtoria mulieris Adulteræ; partim verò diligentiſſimè omnia ſcribentes, non omiſerunt eam hiſtoriam: atque hinc varietas illa codicum extitit: quibuſdam eā hiſtoriam habentibus, aliis verò non habentibus.

Cur hiſtoria mulieris adulteræ non fuerit olim in omnibus huius Euangelij codicibus.

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vers. 6.

IESVS autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.

6 AB omnibus huius Euangelij explanatoribus quæſitum eſt, quid fuerit illud, quod tunc CHRISTVS digito ſuo ſcripſit

pſit in terra. Curioſa profectò magis quæſtio, quàm facilis ad explicandum: cùm nihil ea de re in Sacris litteris traditum, vel à Patribus pro certo proditum ſit: quamobrem variant doctorum ſententiæ, vel potiùs coniecturæ: quod in rebus incompertis, atque incertis fieri neceſſum eſt. Nos iſtas doctorum coniecturas curſim hoc in loco percenſendo, ſatisfactum à nobis fore lectori exiſtimamus.

Quid tunc in terra ſcripſerit Chriſtus, ſex doctorum ſententiæ.

Ambroſius.

Ambroſius in Epiſtola 58. & 76. quia CHRISTVM bis tunc ſcripſiſſe in terra narrat hoc loco Ioannes, putat ipſe, in priori ſcriptione ſcripſiſſe eum ſententiam illam, quæ eſt apud Hieremiam cap. 22. ſecundum tranſlationem ſeptuaginta interpretum, qua vti ferè ſolet Ambroſius; *Terra ſcribe hos viros abdicatos*: quo ſignificabat Dominus IESVS, cenſores illos iam eſſe à DEO abiectos, & in numerum reproborum reiectos, quorum ſcilicet nomina non in cœlo: ſed in terra ſcribuntur: In poſteriori autem ſcriptione opinatur Ambroſius CHRISTVM ſcripſiſſe illam, à ſe aliàs prædicatam, ſententiam; ***Feſtucam, quæ in oculo eſt fratris tui, vides; trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non vides.*** *Matth. 7.*

Beda.

7 Beda exiſtimat CHRISTVM bis eandem illam ſententiam ſcripſiſſe; quam etiam verbis expreſſit; ***Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat***: quaſi diceret; Puniatur peccator: ſed non à præuaricatoribus legis, & maiori dignis punitione. Haymo, & Lyranus, (quæ complurium aliorum eſt opinio) arbitrantur, CHRISTVM ſcripſiſſe tunc vniuſcuiuſque illorum accuſatorum grauiora peccata: ſic tamen vt ſua cuique dumtaxat peccata; non aliis, noteſcerent. Nec ea Scriptura conſtabat litteris: ſed notis quibuſdam, & figuris, ad ſimilitudinem ſpeculi, ſua cuiq; delicta repræſentantibus. At enim, ſi fuiſſet ita factum, Iudæi, viſa priori ſcriptione, continuò diſceſſiſſent. At Ioannes ſcribit hoc loco, etiam poſteà inſtitiſſe eos ſciſcitari à CHRISTO ſententiam eius de illa muliere adultera. Rabanus opinatur CHRISTVM ſcripſiſſe ſententiam illam, quæ eſt apud Hieremiam cap. 17. ***Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra ſcribentur: quia dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.***

Haymo, & Lyranus.

Rabanus.

Auguſtinus. Rupertus, & Caietanus.

8 Auguſtinus, Rupertus, & Caietanus putant, CHRISTVM nullas

las tunc in terra literas formaſſe: ſed illo exteriori geſtu inclinandi ſe deorſum, & digito quaſi ſcribentis in terra, myſterium aliquod deſignaſſe, ac denotaſſe: quodnam verò id fuerit myſterium, quadruplex eſt interpretatio, Prima; ſe maieſtatem ſuam diuinam inclinaſſe deorſum vſque ad terram, aſſumpta humana natura; vt ſaluum faceret genus humanum, quod perierat. Non itaque eius eſſe quemquam punire, ac perdere, qui omnes venerat ſaluos facere. Et hoc ipſe ante dixerat Nicodemo, ſe in mundum veniſſe, non vt iudicaret mundum: ſed vt mundus per ipſum ſaluus fieret. Secunda; proprium eſſe DEI, iuſtitiæ ſeueritatem flectere, atque inclinare ad lenitatem, & ſuauitatem miſericordiæ: nam vt dixit Iacobus Apoſtolus; *Miſericordia ſuperexaltat iudicem.* Tertia; cùm illi Iudæi vehementer vrgerent CHRISTVM auctoritate legis Moſaicæ, ipſe digito ſcribens in terra ſignificauit, ſe Dominum, & conditorem fuiſſe illius legis: vtpotè quam ipſe digito ſuo ſcriptam in tabulis lapideis, eis per Moyſem dederat. Quarta; ſignificatum eſt illo CHRISTI geſtu in terra ſcribentis, diuerſam admodùm forè nquam, & Euangelicam legem à lege veteri Moſaica: hæc enim ſcripta eſt in lapide, qui & durus eſt, & ſterilis, atque infrugiferus; quo ſignificabatur illius legis & rigor, atque durities, ſimúlque inefficacia remittendi peccata, & gratiam, atque virtutem largiendi: legem verò Euangelicam CHRISTVS ſcripſit in terra, quæ eſt mollis, & frugifera; quo ſignificabatur eius legis ſuauitas, & inæſtimabilis fructuum eius prouentus. Et ideò Dominus ipſe dixerat; *Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Quod myſterium deſignatum ſit per illam Chriſti ſcriptionem in terra, quadruplex interpretatio.

Ioan. 3.

Iacobi 2.

Exod. 31.

Matth. 11.

Euthymius etiam putat, nihil à CHRISTO tunc in terra lite- 9
rarum eſſe ſcriptum: ſed eum ſimulaſſe geſtum illum ſcribentis in terra; vt ſic, quaſi rebus aliis intentus, importunam, & malitioſam illorum accuſatorum interrogationem repelleret. Hoc nempè ſolent interdum facere viri prudentes, cùm ad id, quod rogantur, vel interrogantur, reſpondere nolunt; alio vultum auertunt, aliúdque cogitare ſe, atque agere ſimulant; vt alij ab importuna interrogatione, vel poſtulatione deſiſtant. Illud denique commemorabile videtur hoc loco, quod ſcribit Beatus Auguſtinus in epiſtola

Euthymius.

Auguſtinus.

ſtola quinquageſimaquarta, CHRISTVM illis verbis,quæ reſpõdit iſtis Iudæis, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat*; tantum eorum animis incuſſiſſe terrorem, atque tremorem, vt non modò accuſare mulierem illam deſiſterent, deferueſcente intus ſæuitia, & tremente conſcientia: ſed etiam ſe quamprimùm è conſpectu CHRISTI ſubducere contenderent.

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis IESVS, Principium, qui & loquor vobis. VER. 25.

10 PEROBSCVRVS eſt hic locus ad intelligendum, & ad explicandum perdifficilis; tum quia locum hunc multò ſecùs habet Scriptura Græca, quàm ſonant verba Latina: tum etiam quòd nec ipſa Græca Scriptura facilem habet intellectum. Ego varias, quæ ſunt apud doctores, loci huius interpretationes breuiter exponam. Beatus Ambroſius in capite ſecundo, & quarto primi libri in Hexameron, & in quarto capite libri tertij de Fide, hũc locum tractans ait; Iudæis interrogantibus Dominum, *Tu quis es?* reſpondiſſe ipſum; *Ego ſum principium, qui & loquor vobis*, ſignificantem his verbis, ſe DEVM ſimul, atque hominem eſſe: DEVM quidem, appellando ſe principium ſimpliciter, & præciſè; nimirum ex quo, & in quo, & propter quem ſunt omnia: hominem autem oſtendit ſe eſſe, dicendo; *Qui & loquor vobis*. Hanc interpretationem complures Latinorum explanatorum ſecuti ſunt. Sed mirum profectò videri poſſit, Ambroſium, qui Græcè ſciret optimè, cùm tractaret hunc locum, Græcam eius ſcripturam non conſuluiſſe. Si enim conſuluiſſet, planè vidiſſet, cum ea minimè congruentem eſſe interpretationem, quam ipſe tradidit: Nam Græca vox ſignificans principium, non eſt nominatiui caſus: ſed accuſatiui: & in illis verbis; *Qui & loquor vobis*, pro illo relatiuo, *qui*, Græca vox vel eſt relatiuum neutrius generis, (*quod:*) vel eſt coniunctio ſignificans (*quia*, vel *quoniam*.) Ex quo apparet, Græcæ

Prima interpretatio, quæ eſt Ambroſij.

ſcripturæ loci huius, incongruam eſſe interpretationem Ambroſij. Verùm de Græca ſcriptura huius loci paulò infrà enucleatiùs dicturi ſumus.

Secunda interpretatio, quæ eſt Auguſtini.

Altera interpretatio huius loci eſt ea, quam tradit Beatus Auguſtinus. Is putat, in his Domini verbis ſubintelligi oportere verbum, *credite*: hoc ſenſu: Quæritis vos, quis ego ſim: Reſpondeo; credite me eſſe principium: nam vt hoc crederetis, factus ſum homo: vt vobis loqui, & prædicare poſſem. Sed lubet verba ipſa Beati Auguſtini ex tractatu trigeſimo octauo eius in Euangelium Ioannis hunc in locum tranſcribere. Ea verò ſunt huiuſmodi; Dixerunt Iudæi CHRISTO; *Tu quis es?* Ac ſi dicerent, quoniam abs te audiuimus, *Niſi credideritis quia ego ſum*: quid te eſſe credemus? Ad hoc reſpondit Dominus, *principium*: tanquàm diceret; credite me eſſe principium. Et addidit; *Qui & loquor vobis*: id eſt, quia humilis propter vos factus, ad iſta verba deſcendi. Nam ſi principium; ſicuti eſt, ita maneret apud Patrem, & non acciperet formam ſerui, & homo loqueretur hominibus; quomodo ei crederent, cùm infirma corda intelligibile verbum ſine voce ſenſibili audire non poſſint? Ergo, inquit, credite me eſſe principium; quia vt credatis, non ſolum ego ſum; ſed & loquor vobis. Hæc Auguſtinus. In cuius verbis animaduertere licet, eum non legiſſe, *Qui & loquor vobis*: ſed, *Quia & loquor vobis.* Hoc enim indicat eius interpretatio: quamquam Scripturæ textus, qui hoc loco eſt in eius commentario, ſimiliter habet, vt noſtra tranſlatio Latina. 11

Hæc interpretatio Auguſtini, vt eſt veriſſima, & admodùm pia; 12
ita, quin ſit duriuſcula, & quodammodo coacta, negari non poteſt. Sed audacior Eraſmus non dubitauit dicere, eam parùm eſſe Theologicam. Cùm enim, inquit, ad rationem principij pertineat, non eſſe ab alio; non poteſt nomen, principij, ſimpliciter ſumptum conuenire CHRISTO; qui à Patre genitus eſt: ſed ſoli Patri conuenit, qui eſt principium non ſolùm omnium, quæ ſunt extra DEVM: ſed etiam duarum perſonarum diuinarum, Filij & Spiritus ſancti. Sed enim dum videri Eraſmus voluit Theologototos, ſe imperitum Theologiæ, rudémque prodidit. Si enim in diſciplina Theologica verſatus eſſet, didiciſſet vtique, nomen, princi

In Eraſmum pro interpretatione Auguſtini.

principij, dupliciter dici; tum ad extra, reſpectu creaturarum; tum ad intra, reſpectu diuinarum proceſſionum, & perſonarum. Et priori quidem modo ſumptum principium, ſimpliciter dicitur de qualibet perſona diuina, & cuilibet perſonæ æqualiter conuenit. Quamobrem Paulus in 1. cap. Epiſt. ad Coloſſ. appellauit CHRISTVM principiũ, & ipſe CHRISTVS in primo, & vltimo cap. lib. Apocalypſis appellat ſe Alpha & Omega, principiũ & finẽ. Poſteriori autem modo, licèt Filius DEI non dicatur principiũ ſimpliciter, ſicut dicitur Pater; dicitur tamen, & eſt principium reſpectu Spiritus ſancti: nam ipſe & Pater ſunt vnicum principium productionis Spiritus ſancti. *Nomen, principij, dupliciter in Deo dici.*

QVINTA DISPVTATIO.

Explicatur Græca lectio huius loci; eiúſque tres aliæ interpretationes commemorantur.

13 GRÆCA lectio huius loci ſic habet; τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Illud τὴν ἀρχὴν, ponitur vice aduerbij, ſubintelligendo præpoſitionem κατὰ, more Græcorum, qui ſimiles accuſatiuos ponunt pro aduerbiis; vt τὴν πρώτην; id eſt, principio, vel primò: Et τὸ τέλος; id eſt, in finem, poſtremò, denique. Hoc igitur loco, τὴν ἀρχὴν, etiam ponitur aduerbialiter: & dupliciter ſumi poteſt; vel vt ſignificet initium ordinis: ſicut apud Latinos, (principiò, imprimis, ſeu primò:) vel vt ſit confirmantis, & aſſeuerantis, eandem vim habens, atque apud nos, (omninò, & prorſus.) Et ſic vſus eſt, τὴν ἀρχὴν, Nazianzenus in ſermone de Paſchate Domini; & Galenus in libello de optimo docendi genere: vti citat hoc loco Eraſmus. Pro relatiuo, *qui*, Græce eſt ὅτι: quod ſi disiunctè ſcribatur, ὅ τι, eſt relatiuum neutrius generis (quod,) ſin autem ſcribatur coniunctè, ὅτι, eſt coniunctio (quia, vel quoniam,) vel infinitè ſumitur pro (quod, ſiue vt,) ſicut Latinè dicitur, quod tibi iraſcor, tibi imputa.

14 His expoſitis, commemorandæ ſunt tres huius lectionis Græcæ interpretationes. Eſt itaque tertia interpretatio, quæ Chryſo- *Tertia interpretatio.*

Chryſoſt. ſtomo attribuitur: ſed quia Chryſoſtomus nimis præciſè, obſcuréque loquitur: eam verò explicatiùs, & apertiùs tradit Euthymius, nos Euthymio aſſignabimus. *Euthymius.* Sumit Euthymius illud, τὴν ἀρχὴν, pro eo, quod Latinè eſt, (omninò.) Et illud, ὅτι pro eo, quod eſt, (quod, vel vt.) Et illud verbum præſentis temporis, *loquor*, interpretatur per verbum ſubiunctiui temporis, (loquar:) & ſubaudiendum putat illud; (Superfluum eſt; vel, vos indigni eſtis.) Ait enim, in hac Domini oratione deſiderari verba aliqua, & ſuppleri debere. Euthymius itaque vult huiuſmodi eſſe horum Domini verborum ſententiam: Vos quæritis, quis ego ſim: omninò indigni eſtis vt loquar vobis, cùm id non ſtudio cognoſcendæ veritatis interrogetis: ſed tentandi animo, vt ex verbis meis anſam calumniandi, & criminandi me poſſitis arripere. Sic Euthymius: ſed quia multa & inuertit, & addit, propterea eius interpretatio non videtur probabilis.

Quarta interpretatio. Quarta interpretatio illud, τὴν ἀρχὴν, ſumit pro eo, quod Latinè eſt, (principio, vel à principio:) hoc ſenſu; Quæritis, quis ego ſim: reſpondeo, quòd à principio loquor, vel locutus ſum vobis; nimirum, me eſſe lucem mundi; & plura alia, quæ vel paulò ſuprà in hoc ſermone de ſe dixit; vel in aliis ſermonibus, quos habuiſſe eum cum Iudæis Hieroſolymitis narrauit ſuprà Ioannes cap. 5. & 7. Poteſt etiam, ſecundum hanc interpretationem, illud, τὴν ἀρχὴν, accipi pro eo, quod Latinè eſt, (omninò; vel, prorſus:) in hanc ſententiam; Quæritis, quis ego ſim: non reſpondebo aliquid noui; omninò, vel prorſus id ſum, quod loquor, ſiue locutus ſum vobis. *Quinta interpretatio.* Quinta interpretatio ſumit illud, τὴν ἀρχὴν, pro eo quod Latinè eſt, (omninò:) & illud ὅτι, pro (quia.) Et vult, CHRISTVM his verbis non reſpondere ad illam interrogationem Iudæorum, *Tu quis es?* ſed confirmare id, quod proximè antè dixerat, *Niſi credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro*: quaſi diceret, vos quæritis, quis ego ſim: ſed quia hæc veſtra interrogatio nimis curioſa, vel potiùs malitioſa eſt, ad eam non reſpondebo. Illud tantùm dico, omninò euenturum vobis quod prædixi; *Niſi credideritis quia ego ſum, in peccato veſtro moriemini.* Et hoc vobis eo iuſtius accidet, quod ego id palàm prædixi vobis. Hæc interpretatio, quia nihil habet implicatum, atque contortum, ne-

que

que incongruum: ſed plana, & facilis eſt, aptéque cohærens cum antecedentibus, & conſequentibus verbis, propterea nonnullis omnium maximè placet.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Reſponderunt ei Iudæi, Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquàm: Quomodo tu dicis, liberi eritis? Ver. 33.

16 IMPVDENS mendacium: Aiunt iſti, gentem Iudæorum nemini vnquàm ſeruiſſe: cùm ea tamen & ſæpiſſimè, & miſerrimè plurimis gentibus barbaris, & impiis ſeruierit. Et hoc iſti dicunt CHRISTO, quem nihil; vt aliarum rerum, ita neque eorum, quæ in populo Iudæorum ab initio geſta ſunt, latere poterat. Sanè vera libertas hominis duabus rebus cenſetur: ſi neque ipſe ſeruiat cuiquam, vel anteà ſeruierit; neque maiores eius ſeruilis fuerint conditionis. Neutro modo iſti Iudæi veram libertatem tribuere ſibi poterant: ſed mendaciter, atque impudenter ſibi arrogabant. Etenim iſti Iudæi, eo ipſo tempore, quo hæc dixerunt, ſeruiebant Romanis: tunc enim nomine Tiberij Cæſaris Romanorum Imperatoris, omnis Iudææ procurator, & gubernator erat Pontius Pilatus; vt indicat Lucas initio tertij capitis hiſtoriæ ſuæ Euangelicæ. Et huius ſeruitutis clariſſimum fuit indicium, publicum numiſma, quo tunc Iudæi vtebantur, habens imaginem, & ſuperſcriptionem Cæſaris; & ipſi Iudæi confeſſi ſunt ſe Romanorum ſeruos eſſe, cùm dixerunt Pilato; *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.*

Iudæos, tempore Chriſti, ſeruos fuiſſe Romanorum.

Ioan. 19.

17 Iam verò maiores iſtorum Iudæorum ſæpiſſimè miſerrimam ſeruitutem variis gentibus ſeruierunt. Principiò, cùm eſſent in Ægypto, longiſſima, & duriſſima ſeruitute preſſi, & afflictati ſunt ab Ægyptiis. Deinde ingreſſi terrã Promiſſionis, & in tempore Iudicum, ſexies ſeruiſſe eos variis gentibus, ſcriptum eſt in libro Iudicum: Primùm enim ſeruierunt Meſopotamitis: ſecundùm, Cha-

Quoties, & quibus tẽporibus, & quibus gentibus ſeruierint Iudæi.

nanæis : Tertiùm, Moabitis : Quartùm, Madianitis : Quintùm, Ammonitis : Sextùm, Philiſtæis. Poſtquàm verò habuerunt Reges, regnante Sedecia Rege Iuda : ducti ſunt in captiuitatem Babylonicam, & per ſeptuaginta annos ſeruierunt Chaldæis. Poſt reuerſionem autem ex captiuitate Babylonica in Iudæam, ſeruierunt primò Regibus Perſarum; poſteà Regibus Aſiæ, & Græciæ; denique Romanis, ſub quorum dominatione erant CHRISTI tempore. Quo igitur ore, qua fronte auſi ſunt iſti Iudæi dicere CHRISTO; *Nos nemini ſeruiuimus vnquàm.* Noluit autem CHRISTVS tam manifeſtè eos mendacij arguere, & conuincere; quòd aliis eorum maioribus, magíſque pernicioſis erroribus, & peccatis detegendis, & arguendis, atque etiam, ſi vellent ipſi, corrigendis, & ſanandis intentus eſſet. Quo Domini facto etiam nos inſtruimur, vt ſi cum aduerſario ſuper graui quapiam re diſceptamus, non quæcunque eius dicta ad confutandum, & reprehendendum arripiamus : ſed leuia, & cauſæ aliena diſſimulantes : grauiora tantùm errata, & quæ rem ipſam, de qua diſceptatur, propriè attingunt, vrgeamus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 34. Amen, amen dico vobis; quia omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

De ſex modis, quibus intelligi poteſt, peccatorem eſſe ſeruum peccati : & de ſeptem malis, quæ ſunt in ſeruitute peccati.

CVM dicitur, *Seruus eſt peccati*, quid ſignificet no- 18
men, *peccati*, ſex modis declarari poteſt. Primò,
per peccatum, ſecundum nonnullos, ſignificatur
Diabolus, primus omnium peccator; primúſque
peccati ſuaſor, & perpetuus hominis ad peccan-
dum incitator : Diaboli autem poteſtati ſubiectus, & mancipatus
eſt,

eſt, quicunque manet in peccato; quam Diaboli ſeruitutem, & captiuitatem Paulus in ſecundo capite poſterioris Epiſtolæ ad Timothæum declarauit illis verbis; *Et reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.* Secundò; Poteſt etiam nomine, *peccati*, hoc loco ſignificari carnalis concupiſcentia, quæ eſt in homine, quam Paulus in capite ſeptimo epiſtolæ ad Romanos non ſemel appellat peccatum, eiúſque quaſi tyrannicam potentiam, & hominis ſub ea captiuitatem deplorat. Hæc autem concupiſcentia fit peccando acrior, & ardentior, atque potentior: nec eam reſtinguere, & rationi, ac legi DEI ſubiectam, & obedientem tenere poteſt, qui peccati onere grauatus eſt. Tertiò; ſignificari poteſt peccandi habitus, & conſuetudo, quæ ſæpius peccando coaluit, & roborata eſt, & quaſi in naturam conuerſa: propter quam fit, vt ipſum peccare fiat homini tanquàm quid naturale; ob eámque cauſam facile, ac delectabile, & difficile fiat peccati iugum excutere. Quartò; peccati nomine denotari poteſt animæ macula, quæ peccando contrahitur, & qua, ſublato per peccatum gratiæ nitore, inficitur, & inquinatur, & turpificatur animus hominis. Hanc maculam ex animo eluere, ſine DEI gratia nemo poteſt. Quapropter Dauid lachrymabundus, atque gemebundus deprecabatur Dominum; *Dele iniquitatem meam; amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* *Pſal. 50.* Quintò; deſignari etiam poteſt reatus æternæ pœnæ, quam peccando meretur homo: quiſquis enim ſe peccato obſtringit, ſimul etiam obligat ſe reatu luendi ſupplicia æterna: nec eo reatu, niſi per DEI gratiam exolui poteſt. Sextò; ſignificari etiam poteſt nomine, *peccati*, perpetuus in peccatore conſcientiæ ſtimulus, & morſus, atque cruciatus, qui animum eius torquet dies & noctes; nec eo cruciatu leuari poteſt, niſi priùs remiſſo, & deleto peccato: quod perſpicuè licet cernere conſiderando labores, & curas, & inquieti ſemper animi ſollicitudines hominis vel auari, vel ambitioſi, vel inſano carnali amore inflammati.

Septem mala ſeruitutis corporalis, & ciuilis, etiam in peccati ſeruitute reperiri.

19 Quæ autem in humana ſeruitute corporali, & ciuili ſunt oneroſa, & aſpera, & ignominioſa: eorum ſimilia: ſed multo grauiora, & acerbiora atque turpiora ſunt in ſeruitute peccati. Principiò, miſeram planè vitam agit ſeruus; malè comedit, ma-

lè bibit, malè veſtitur, malè habitat. Deinde, multùm vigilat, multúmque laborat, & ſudat; quæ magis laborioſa, & vilia ſunt miniſteria imponuntur ei; quietem autem & breuem, nec ſolidam habet: tum frequenter à domino iniurioſè, & contumelioſè tractatur, nec rarò etiam verberibus, atque fuſtibus cæditur. Præterea multorum, & magnorum laborum ſuorum nullam ſperat mercedem: ſed omnis eius induſtria, omníſque labor, atque omne miniſterium eius, etiamſi quæſtuoſum ſit, nec ei quidquam apportat emolumenti: ſed in ſolius Domini cedit lucrum. Ad hæc, ſeruus non permanet in domo domini ſui; ſicut in hoc loco dixit Dominus, id autem eſt, non habet ius permanendi in domo domini. Sed eum dominus, quandocumq; libitum ipſi fuerit, iure ſuo poteſt domo eijcere. His accedit, quòd qui verè ſeruus eſt, non eſt ciuis, nec cenſetur pars ciuitatis; quamobrem nec ad ciuiles honores, & dignitates admittitur, nec ciuilium munerum particeps eſt. Poſtremò, qui verè ſeruus eſt, non ſolùm ipſe ſeruilis eſt conditionis: ſed quoſcunque in ſua ſeruitute genuerit liberos, ſimilis eos ſeruilis conditionis & ſtatus miſeria excipit, ac tenet. Septem hæc mala ſeruitutis corporalis, & ciuilis, facilè eſt transferre, & applicare ad ſeruitutem peccati: ſi quis eam, quæ inter vtramque ſeruitutem eſt, proportionem, & conuenientiam bene conſideret, atque perpendat.

OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 35. Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.

De ſextuplici libertate hominis, & qua libertate CHRISTVS *donauit hominem.*

Libertas voluntatis humanæ.

SEXTVPLEX diſtingui poteſt hoc loco libertas 20
hominis. Prima eſt libertas voluntatis humanæ, quæ eſt naturalis; & opponitur coactioni, & neceſſitati; & appellatur liberum arbitrium. Secunda eſt

Libertas ciuilis.

libertas ciuilis, quæ opponitur ciuili ſeruituti; de qua

qua paulò ſuprà copioſè dictũ eſt. Tertia eſt libertas carnis, quam amant, & colunt, & exercent homines carnales; quicquid eis libitum fuerit, qualecunque ſit, nullo vel hominum, vel etiam DEI reſpectu, nullâque legum vel humanarum, vel diuinarum habita ratione, ſequentes, atque facientes; quæ profectò, non libertas: ſed miſera potiùs appellanda eſt ſeruitus. Quarta eſt libertas à iugo, & à ſeruitute legis Moſaicæ, in quam libertatem beneficio Euangelicæ legis aſſerti ſumus. De qua libertate locutus eſt Paulus in capite ſeptimo epiſtolæ ad Romanos, cùm dixit; *Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus* CHRISTI, *vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus* DEO. *Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur; ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.*

Libertas carnis.

Libertas à iugo legis Moſaicæ.

21 Quinta libertas, eſt libertas ſpiritus, & gratiæ per CHRISTVM homini donata. Per hanc libertatem à ſeruitute peccati, & poteſtate Diaboli, reatúque mortis æternæ liberi ſumus; de qua libertate Paulus in octauo capite epiſtolæ ad Romanos loquens, ait: *Lex ſpiritus vitæ in* CHRISTO IESV, *liberauit me à lege peccati, & mortis.* Et ſcribens Galatis, *Vos*, inquit, *in libertatem vocati eſtis, fratres, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis.* Ad hanc quoque libertatem ſpectat præclarum illud Zachariæ vaticinium, his verbis à Luca proditum; *Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis; vt ſine timore de manu inimicorũ noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Per hanc item libertatem ſpiritus DEVM colimus, non ſeruili timore: ſed libera voluntate, & filiali amore; & quæ ab eo præcepta nobis ſunt, non metu ſupplicij: ſed amore iuſtitiæ libenter, promptè, perſeueranter & cum delectatione facimus.

Libertas Spiritus, & gratia.

Ad Galat. 5.

Luc. 1.

22 Sexta libertas, eſt libertas gloriæ filiorum DEI; per hanc ab omni ſeruitute corporali, & ſpirituali, & ab omni malo, & miſeria tam corporis, quàm animi omninò liberamur; & hanc libertatem in glorioſa corporum noſtrorum reſurrectione, & in conſummatæ fœlicitatis noſtræ poſſeſſione cõſequemur. Ad hanc libertatem pertinent illa Pauli verba, quæ ſunt in octauo capite Epiſtolæ ad Romanos; *Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum* DEI: *ſed & nos ipſi primitias Spiritus*

Libertas gloria filiorum Dei.

tus habentes & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum D E I *expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Et hæ quidem ſunt ſex hominis libertates: quas omnes C H R I S T V S donauit nobis præter libertatem carnis, & libertatem ciuilem. Non enim lex, & fides C H R I S T I liberat fideles à ciuili ſeruitute hominum. Quamquàm & has duas libertates mutat C H R I S T V S in alias duas multò meliores: libertatem enim carnis, quæ miſerrima eſt ſeruitus, mutat in libertatem Spiritus, quæ eſt vera libertas: ciuilem autem ſeruitutem fidelium commutat in cœleſtem libertatem, ex ſeruis hominum faciens ciues Angelorum in illa cœleſti ciuitate Hieruſalem, & hæredes æternorum, diuinorúmque bonorum.

An Chriſtus donet homini omnem libertatem.

NONA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER. 41. Nos ex fornicatione nòn ſumus nati; vnum Patrem habemus D E V M.

DVo hiſcè verbis dixerunt iſti Iudæi: Alterum, ſe 23
non fuiſſe natos ex fornicatione; Alterum verò, ſe habere vnum Patrem D E V M. Et hoc quidem poſterius, eatenùs verum eſt, quòd ipſi eo tempore non erant idololatræ: ſed externo cultu verum D E V M adorabant, & colebant. Priùs autem illud eorum dictum, ſe non fuiſſe ex fornicatione natos, planè falſum erat. Nomen enim, *fornicationis*, dupliciter vſurpatum reperimus in ſacris litteris; tum pro carnali fornicatione, quæ eſt propria, & vulgaris huius nominis notio; tum pro ſpirituali fornicatione, per quam denotari ſolet crimen idololatriæ. Nam quia Fideles inuiolabili fide, & indiſſolubili vinculo copulati ſunt D E O, ad ſimilitudinem mariti & vxoris; proptereà eiuſmodi coniunctio animæ cum D E O, ſolet in ſacra Scriptura nominari Deſponſatio, Nuptiæ, Matrimonium. Violatio autem huius fidei, huiúſque copulationis diſſolutio appellari ſolet fornicatio, & adulterium; quibus nominibus frequenter vſi ſunt Prophetæ; maximè verò Hieremias, & Eze

Cur idololatria ſæpè in Sacris litteris appelletur fornicatio.

& Ezechiel; & iſtis multò antiquior Dauid dixit; *Qui elongant ſe à te, peribunt; perm: diſti omnes, qui fornicantur abs te.* *Pſal 72.*

24 Cùm itaque dixerunt iſti Iudæi Domino, *Nos ex fornicatione non ſumus nati*; falſum dixerunt: ſiue locuti ſint de fornicatione carnali, ſiue de fornicatione ſpirituali. Nam ſi locuti ſunt de fornicatione ſpirituali, quę eſt idololatria, de qua eos fuiſſe loquutos indicant illa proximè ſequentia eorum verba; *Vnum Patrem habemus* DEVM, falſum dixerunt: licèt enim iſti Iudæi tunc non eſſent idololatræ; nati tamen fuerant ex maioribus idololatris: nēpe Tribu Iuda, de qua Tribu erant iſti Iudæi; (nam hæc ſola Tribus, mixta cum Tribu Beniamin, reuerſa fuerat ex captiuitate Babylonica, & regionem illam Iudææ tenebat.) Ea quippè ſæpiùs in ſuperioribus ſæculis, ob crimen idololatriæ infamis, atque abominabilis fuerat; vt videre licet apud Hieremiam, & Ezechielem, qui multifariàm hanc ei Tribui exprobrant impietatem. Sanè in libro tertio, & quarto Regum legimus, complures Reges Iuda peſſimos fuiſſe idololatras, & publicè, poſthabito veri DEI cultu, varia coluiſſe idola: ad quam idololatriam, exemplo Regum, etiam omnis fermè populus Iuda trahebatur. Ergo iſti Iudæi nati fuerant ex fornicatione ſpirituali, cùm à maioribus idololatris eſsēt progeniti. Sin autem iſti de fornicatione carnali loquuti ſunt, multò etiam apertius fuit eorum mendacium. Nam Tribus Iuda, de qua Tribu erant iſti, proſeminata fuerat ex Iudæ filio, cui nomen fuit Phares; is verò non ex fornicatione: ſed quod turpius, & probroſius eſt, ex inceſto ſui patris Iudę cū nuru eius Thamar concubitu generatus eſt, vt in capite trigeſimo octauo libri Geneſis ſcriptum eſt. Non itaque ex fornicatione: ſed quod exectabilius eſt, ex inceſtu iſti Iudæi progeniti fuerant. *Iſtos Iudæos fuiſſe natos ex fornicatione tam ſpirituali, quàm carnali.*

DECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere: illle homicida erat ab initio. VER. 43. & 44.

CONTRA illud Iudæorum dictum; *Vnum Patrem ha-* 25
bemus DEVM; Dominus dixit eis, *Vos ex patre Diabolo*
eſtis: quaſi diceret, mentimini: non enim DEVS: ſed
Diabolus eſt pater veſter: licèt enim illud eorum di-
ctum aliqua ratione verum eſſe poſſet, vt ſuprà indicauimus; ſim-
pliciter tamen, & abſolutè falſum erat. Dixit autem Dominus,
iſtos Iudæos fuiſſe ex patre Diabolo; non quòd ab eo creati, &
generati eſſent: ſed quòd magnam in plurimis rebus ſimilitudi-
nem Diaboli in ſeipſis haberent: ſicut filij multis rebus ſimiles
ſunt ſuorum parentum. Habebant enim iſti Iudæi Diabolica con-
ſilia, & deſideria, & opera. Erat in illis Diabolicum quoddam
odium veritatis, & amor mendacij, & inſectatio veracium, & bo-
norum hominum. Erat ſuperbia, & inuidentia alienæ virtutis, &
gratiæ. Et hoc indicare voluit Dominus, cùm adiunxit, *Et deſideria*
patris veſtri vultis facere. Adiice, quòd patris eſt ſua voluntate, &
arbitratu regere filios, eiſque imperare quodcunque vult ab illis
fieri: filiorum autem eſt paterna iuſſa capeſſere, & patrum dictis
audientes eſſe, & plurimùm mores paternos ſectari, atque imita-
ri, & inimicos eſſe eorum, qui inimici ſunt patrum ſuorum. Et hoc
quidem modo affecti erant Iudæi erga Diabolum, vt meritò dicti
ſint à Domino, ex patre Diabolo eſſe. Ad extremum, filius ſuc-
cedit in poſſeſſionem hæreditatis paternæ; & iſti Iudæi poſſeſſuri
erant hæreditatem Diaboli, in ſua malitia permanentis vſque ad
Matth. 25. finem. Eſt autem Diaboli hæreditas ignis æternus, qui, vt Domi-
nus dixit; paratus eſt ipſi Diabolo, & Angelis eius.

Sequuntur illa verba; *Ille homicida erat ab initio.* Duabus ex re- 26
bus, quæ ſunt excellenter in Diabolo, Dominus oſtendit, iſtos
Iudæos eſſe Diaboli filios; id autem eſt, ſtudioſiſſimos Diaboli
ſectatores, atque imitatores. Diabolus enim ab initio fuit ho-
micida, & eſt mendax, & Pater mendacij: & iſti Iudæi necem ma-
chinabantur Domino, & veritatem, quam eis prædicabat, ve-
hementer oderant.

Quomodo Diabolus fuerat homicida. Sed quomodò Diabolus ab initio fuit homicida? Nimirum
quia ſtatim vt creatus eſt homo, Diabolus ſeduxit eum, & ad pec-
candum induxit, quo & animæ, & corporis mortem incurrit ho-
mo: nec ſolùm ille primus homo, qui peccauerat: ſed vniuerſa
quoque

quoque poſteritas eius, omnéque genus humanum. Quocircà ſcriptum eſt in libro Sapientiæ; *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Et Paulus in capite quinto Epiſtolæ ad Romanos; *Per peccatum*, inquit, *mors intrauit in mundum, & ita in omnes homines mors pertranſiit.* *Sapientiæ 2.*

27 Illud, *ab initio*, ſignificare videtur, ab initio creationis hominis, & in ipſo propemodùm initio mundi. S. Auguſtinus tractans hæc Domini verba de Diabolo, in capite decimo ſeptimo libri vndecimi de Geneſi ad litteram, & in capite decimo tertio libri vndecimi de ciuitate DEI, & ſequentibus aliquot capitibus, iſtud, *ab initio*, tripliciter interpretatur: vel, ab exordio mundi, ſiue ipſius hominis: vel, quia ipſe Diabolus fecit initium peccandi, & primus omnium peccauit: Vel, quia Diabolus ab initio, quo cœpit peccare, & homicida eſſe, nunquàm poſteà deſiit peccare, nec deſiit homicida eſſe. *Quid ſignificet illud, ab initio.* *Auguſtinus.*

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

In veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax eſt, & Pater eius. VER. 44.

Nomen, veritatis, *in hoc loco quatuor modis ſumi poſſe.*

28 CVM dicitur, diabolum non ſtetiſſe in veritate, nomen, *veritatis*, quatuor modis ſumi poteſt. Primò; ſecũdum Chryſoſt. Theophylact. & Euthymiũ, pro rectitudine iuſtitiæ: nã cùm in hac rectitudine fuiſſet à DEO creatus, per ſuperbiã in ea nõ permãſit. Deinde ſumi poteſt veritas hoc loco pro veritate Fidei, quam omnes Angeli, cùm ſunt creati, àcceperunt à DEO. Erat autem inter alias Fidei veritates, & hæc veritas, non poſſe Angelos naturali facultate conſequi vltimum finem ſuum: ſed ad eum conſequendum indigere ſupernaturali gratia DEI. In hac veritate non ſtetit diabolus, cupiens, & confidens ſe ſuis viribus naturalibus poſſe vltimum finem ſuum, ex- *Chryſoſt.* *Theophylact.* *Euthymius.*

B.Thomas,& Caietanus. tremámque fœlicitatem ſibi comparare. Atque hæc Beati Thomæ,& Caietani eſt interpretatio. Ad hæc, nomine, *veritatis*, ſignificari hoc loco poteſt veritas illorum verborum, quæ DEVS dixit Adamo, vetans eſum ligni ſcientiæ boni, & mali; Dixit enim ei; *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* In hac veritate non ſtetit Diabolus, cum ea conſentiens, & in ea acquieſcens: ſed ei contradicere auſus eſt, inſimulans DEVM & mendacij, & in-
Geneſ.2.& 3. uidiæ. Dixit enim Euæ; *Nequaquàm moriemini: ſcit enim* DEVS, *quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis tanquàm Dij ſcientes bonum, & malum.* Præterea nomen, *Veritatis*,
Ioan.14. hoc loco, ſecundum nonnullos, poteſt ſumi pro ipſo CHRISTO, qui de ſe dixit; *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ab initio enim, cùm DEVS creauit Angelos, reuelauit eis DEVS, (ſecundum iſtos Auctores) hanc veritatem, fore aliquando, vt Filius ſuus vnigenitus, ſibíque conſubſtantialis, & æqualis, aſſumpta humana natura, homò fieret: & vt ille homo eſſet Rex, & Dominus omnium creaturarum; & cui omnes non ſolùm homines: ſed etiam Angeli ſubiecti eſſe, & parere deberent. In hac veritate non ſtetit Diabolus, indignum excellentia ſua ratus, ſubeſſe homini.

Illud porrò, quod CHRISTVS de Diabolo adiecit; *Dum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur:* ſententiam habet huiuſmodi; Diabolus, quantùm in ipſo eſt, ſemper eſt mendax: quia vel quod loquitur, eſt mendacium; vel ſi non eſt mendacium, ideò loquitur illud, vt per id faciliùs inducat homines ad aliquod pernitioſum mendacium, & errorem; eo nimirùm conſilio interdum verum dicens, vt fallaciter falſa perſuadeat. Si quando autem ſimpliciter verum dicit, & teſtimonium perhibet veritati; id non loquitur ex propriis, id eſt, ad id loquendum propria ſua voluntate non eſt adductus: ſed diuina poteſtate coactus; vt ad maiorem confuſionem infidelium, maioremque fidelium confirmationem, etiam Diabolus teſtimonium perhibeat veritati. 29

DVO

DVODECIMA DISPVTATIO.

An Diabolus nunquàm fuerit bonus; idque colligatur ex eo quòd CHRISTVS *dixit, eum fuiſſe ab initio homicidam.*

30 DVOBVS modis intelligi poteſt, Diabolum ſemper fuiſſe malum: vel quia naturaliter eſt malus, habens naturam malam: vel quòd non natura malus ſit: ſed propria voluntate peccando, ſtatim vt creatus eſt, ſit factus malus. Priori modo; Porphyrius Philoſophus, vt refert *Porphyrius.* Auguſtinus in libro vndecimo de ciuitate DEI, dixit, eſſe quoddam genus Dæmonum, natura fallax, ſimulans DEOS, & animas defunctorum. Platonicum certè dogma fuit; alios eſſe Dæ- *Platonici.* mones natura bonos: alios verò natura malos. Fuit etiam hæreſis Manichæorum, Dæmonem habere naturam malam. Sed hanc *Manichæi.* ſententiam refellit Dionyſius Areopagita in libro de diuinis nominibus, in quarto capite partis quartæ, docens, nullam rem naturaſua eſſe malam, ne ipſum quidem Diabolum: idque confirmatur authoritate diuinæ Scripturæ aientis, *Viditque* DEVS *cuncta,* *Geneſ. 1.* *quæ fecerat, & erant valde bona.* Diabolus autem eſt inter cuncta, quæ DEVS fecit: non enim eſt increatus, vel ab alio principio, quàm à DEO, factus. Si autem à DEO factus eſt, non potuit ab infinitè bono opifice fieri opus malum, vel propter malum finem: ſed bonus ipſe factus eſt, & cum naturali propenſione ad bonum; non particulare aliquod: ſed ad bonum vniuerſale, & vniuerſaliter ſumptum. Huiuſmodi enim boni vniuerſalis & cognoſcendi, & volendi naturaliter capax eſt intellectiua natura. Quod autem in *Locus libri Sapientiæ cap. 12.* capite duodecimo libri Sapientiæ ſcriptum eſt de quibuſdam hominibus; *Erat naturalis malitia ipſorum:* dupliciter intelligi poteſt; vel de valde inueterata, multúmque roborata peccandi conſuetudine, quæ eſt quaſi altera natura, reddens id, quod ſecundum eam fit, tanquàm homini naturale; ideóque promptum, facile, iucundum, & delectabile; Vel intelligi poteſt de naturali inclinatione eorum hominum ad mala. Sunt enim quidam naturaliter valdè propenſi ad mendacia, ad iras, & rixas, ad furta, ad homicidia

cidia, ad intemperantiam cibi, & potus,& ad vitia carnalia. Illorum itaque hominum dicta eſt naturalis malitia; quia peccata, quæ faciebant, ex maxima eorum ad iſta peccata propenſione naturali proueniebant.

Si autem poſteriori modo intelligatur, Diabolum ſemper fuiſſe 31
malum, non quia ſecundum naturam ſit malus; ſed quia in primo inſtanti ſuæ creationis propria voluntate peccando, factus ſit malus. Ea ſententia non eſt planè hæretica; eſtque diſſimilis Manichæorum ſententiæ, aientium, Diabolum natura ſua malum eſſe; ſed hac de re videat Lector copioſam, doctámque Beati Auguſtini diſputationem in capite decimotertio libri vndecimi de ciuitate DEI; & in capite decimo ſeptimo libri vndecimi de Geneſi ad litteram. Beatus Thomas in prima parte, in quæſtione ſexageſimatertia, eiúſque quæſtionis articulo quinto ait, iſtam opinionem fuiſſe à magiſtris reprobatam, tanquàm erroneam: ipſe verò Angelicus doctor non modò negat, Diabolum in primo inſtanti ſuæ creationis fuiſſe malum: ſed affirmat, nullo modo potuiſſe tunc eſſe malum. Sanè admodùm credibile eſt, Angelos omnes in primo inſtanti ſuę creationis non ſolùm fuiſſe ſine peccato: ſed etiam fidem, & gratiam DEI habuiſſe: nam cùm eſſent à DEO creati propter finem ſupernaturalem, quem virtute ſua naturali conſequi non poterant, conſentaneum fuit, dari eis à DEO fidem, & gratiam, quibus ad conſequendum eum finem opus illis erat.

Auguſtinus. *B. Thomas.*

Diabolum porrò non ſemper fuiſſe malum: ſed aliquando fuiſ- 32
ſe bonum Angelum, & Auguſtinus, & alij quidam Patres, & Theologi ſcholaſtici, ex duobus Scripturæ locis argumentari ſolent. Prior locus eſt apud Iſaiam cap. 14. vbi de Lucifero ſub perſona Regis Babylonis dicitur; *Quomodo de cœlo cecidiſti, Lucifer, qui mane oriebaris?* Et ad hoc quidam putant ſpectaſſe Dominum, cùm dixit diſcipulis ſuis, referente Luca in capite decimo ſuæ hiſtoriæ Euangelicæ; *Videbam Sathanam, ſicut fulgur, de cœlo cadentem.* Alter locus eſt apud Ezechielem cap. 28. vbi ſub nomine regis Tyri, & per ſimilitudinem voluptatum, & deliciarum Paradiſi, deſcribitur quanto in decore, & magnificentia, & in quot, & quantis bonis, & deliciis fuerit Lucifer, priuſquàm peccaret, & è cœlo eiiceretur.

Duo ſacræ Scripturæ loca, ex quibus Patres & Theologi probant, Diabolũ fuiſſe aliquando bonum Angelum.

Ex illis porrò Domini verbis; *Ille homicida erat ab initio, & in veritate* 33

ritate non ſtetit; tantùm abeſt, vt colligi queat, Diabolum ſemper fuiſſe malum; vt contrarium potiùs oſtendi poſſe videatur. Si enim malus fuit, quia fuit homicida: ſed in principio ſuæ creationis non fuit homicida; ergo tunc non fuit malus: non itaque Diabolus ſemper fuit Angelus malus. Quòd autem in principio ſuæ creationis non fuerit homicida, ex eo manifeſtum eſt, quòd homicida eſſe non potuit ante creatum primum hominem, qui creatus eſt in ſexto die creationis mundi. Omnes verò Angeli à DEO creati ſunt vel multò ante creationem huius mundi corporei: vt non paucis veterum doctorum viſum eſt: vel, quæ vera eſt ſententia, creati ſunt in primo die creationis mundi. Similiter illud; *In veritate non ſtetit*; non obſcurè ſignificat, Diabolum fuiſſe aliquando in veritate: ſed in ea non ſtetiſſe, id eſt, perſtitiſſe, ſiue permanſiſſe: ſed ſtatim ab ea receſſiſſe.

Ex verbis, quæ Chriſtus dixit de Diabolo, nõ poſſe colligi ſemper eum fuiſſe malum; ſed cõtrarium potiùs oſtendi poſſe.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Abraham Pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt. VER. 56.

34 ILLVD; *exultauit vt videret*, ſignificat, ipſum præ deſiderio videndi geſtiuiſſe; id autem eſt, flagrantiſſimo deſiderio cupiuiſſe videre diẽ CHRISTI. Nomen autem, diei, hoc loco ſignificat vel tempus aduentus CHRISTI in mundum, & quo in terris conuerſatus eſt, & paſſus, & mortuus eſt: vel ſignificat claritatem, & gloriam eius, vel humanam, vel diuinam, vel vtramque. Hac ſignificatione vſus eſt Hieremias, cùm dixit; *Diem hominis non deſideraui*. Et Paulus; *Mihi pro minimo eſt, vt ab humano die iudicer.*

Quis fuerit dies Chriſti, quem tantoperè cupiuit videre Abraham.

Hierem. 17.
1. ad Cor. 4.

35 Sed quando, & quomodo Abrahã viderit diẽ CHRISTI, variæ ſunt doctorum ſententiæ. Prima eſt Auguſtini, & Caietani, fuiſſe reuelatam Abrahæ à DEO claritatem, & gloriam æternitatis, & diuinitatis CHRISTI, & ex ea reuelatione ingenti eũ fuiſſe af-

Quando, & quomodo Abraham viderit diẽ Chriſti ſex doctorum ſententiæ.

Prima interpretatio, quæ eſt Auguſtini, & Caietani.

fectum gaudio. Æternitas autē diuinæ generationis CHRISTI ſolet in Scriptura ſignificari vocabulo,diei:vt in Pſalmo ſecundo, *Ego hodie genui te.* Et apud Michæam, cap. 5. *Egreſſus eius ab initio: à diebus æternitatis eius.* Secunda ſententia eſt Chryſoſtomi, & Euthymij, diēm Domini interpretantium tempus paſſionis eius: paſſionem autem CHRISTI tunc per diuinam reuelationem præuidit Abraham, cùm immolare voluit filium ſuum Iſaac, & pro eo immolauit hircum, quem vidit cornibus hærentem vepribus.Quocirca Paulus dixit, Abraham accepiſſe filium in parabolam,id autem eſt,in ſimilitudinem,& figuram, vēturi CHRISTI.

Secunda ſententia, quæ eſt Chryſoſtomi, & Euthymij.

Geneſ.22.
Ad Hebr. 11.

Tertia ſententia, quæ eſt Auguſtini.

Tertia ſententia, quam tradit etiam Auguſtinus in Tractatu 36
quadrageſimo tertio in Ioannem, refert hoc Domini dictum de Abraham ad id temporis, quo Abraham, cùm mitteret ſeruum ſuum Eliezer in Meſopotamiam, vt inde ſumeret & adduceret vxorem filio ſuo Iſaac, dixit ei, vt poſita manu ſua ſub fœmore ipſius iuraret per DEVM cœli,&c. Qua re ſignificabatur,DEVM ex ſemine Abrahæ generatum iri hominem. Hæc hiſtoria in vigeſimo quarto capite libri Geneſis ſcripta eſt his verbis; *Dixit ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam ſubter fœmur meum; vt adiurem te per Dominum* DEVM *cœli & terræ,vt nō accipias vxorē filio meo ex filiabus Chananæorū,inter quos habito,&c.*Et inde paulò infrà ſunt hæc verba; *Poſuit ergo ſeruus manum ſub fœmore Abraham domini ſui, & iurauit illi ſuper ſermone hoc.* Quarta ſententia eſt Beati Gregorij, & Bedæ,aientium, tunc Abraham vidiſſe diem Domini,cùm ei dictū eſt à DEO; *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Intellexit enim,diuinitùs illuſtratus, illud ſemen ſuum fore Meſſiam; ſicut etiam Paulus in epiſtola ad Galatas interpretatus eſt. Quinta ſententia eſt quorundam exiſtimantium,Abraham vidiſſe diem Domini, quando tres vidit, & vnum adorauit. Secundum has verò quinque ſententias intelligitur, Abraham vidiſſe diem Domini eo tempore, quo ipſe viuebat in terris. Quod Caietanus putat euidenter demonſtrari ex illo Iudæorum reſponſo; *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Quaſi dicerent,quomodo tu nondum quinquagenarius, eſſe potuiſti in tempore Abrahæ,& eum videre?

Quarta ſententia,quæ eſt Gregorij, & Bedæ.
Geneſ.22.

Quinta ſententia.
Geneſ.18.

Sexta ſententia placēs auctori.

Sexta ſententia, quæ mihi ſatis eſt probabilis, huiuſmodi eſt; 37

CHRISTVM eſſe locutum de viſione Abrahæ, non corporali; ſed ſpirituali; nec de tempore, quo Abraham viuebat in terris: ſed quo iamdiu anteà fuerat mortuus, & manebat in Limbo, & quo tempore CHRISTVS venit in terras factus homo. Hunc aduentum CHRISTI in terras ad ſaluandum genus humanum, cognouit Abraham vel ab Angelis: qui corporalem Domini ortum ſicut annunciarunt hominibus in terra: ita, vt piè credi poteſt, nunciauerunt etiam Patribus in Limbo manentibus: vel cognouit à Sancto illo ſene Simeone, qui CHRISTVM infantem ſuis *Luc. 2.* oculis viderat, & in vlnas ſuas acceperat, & paulò pòſt vita defunctus eſt: *Ibid.* Vel cognouit à Ioanne Baptiſta, qui biennio antè Herodis gladio interfectus fuerat, & lætiſſimo de CHRISTI aduentu, & prædicatione, & miraculis nuntio ſanctos illos Patres in Limbo manentes ingenti gaudio affecit. Hoc autem cognito, proptereà tantopere gauiſus eſt Abraham, quòd per diuinam reuelationem cognitum haberet, beneficio CHRISTI & ipſis, qui erant in Limbo, patefactum iri aditum ad cœleſtem gloriam, denique viſionem; & non ſolùm poſteros eius, Iudæos: ſed hominum genus, per ipſum à ſeruitute peccati, & poteſtate Diaboli, reatuque mortis æternæ redemptum iri.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixerunt Iudæi ad eum; Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? VER. 57.

38 IN homilia quinquageſimaquarta Chryſoſtomi ſic referuntur hæc verba Iudæorum, vt pro numero; (quinquaginta); ſit numerus; (quadraginta.) Ita enim legitur hic locus; *Quadraginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* In explicatione autem huius lectionis Chryſoſtomus nihil aliud dicit, niſi Iudæos hoc dixiſſe, quod putarent CHRISTVM ad eam ætatem propè iam accedere. Euthymius hanc lectionem, quæ habet numerum; (quadraginta,) veriorem eſſe opi-

Chryſoſt. *Sit-ne legendum hoc loco (quinquaginta:) an (quadraginta.)* *Euthymius.*

natur: ſed proculdubiò fallitur: omnes enim codices Latini, ſimiliter vt omnes Græci, conſtanter habent numerum, (quinquaginta.) Et cum eo numero legit hunc locum Irenæus, aliiq́ue Patres, & ſcriptores antiquiſſimi.

Theophylact.

Quinetiam Theophylactus, fidiſſimus Chryſoſtomi, non ſectator modò: ſed etiam commentariorum eius quaſi breuiator quidam, & in textu habet numerum; (quinquaginta;) eúmque numerum in commentario ſuo interpretatur: vt veriſimile ſit, numerum illum; (quadraginta,) mendoſè à librariis in textu Chryſoſtomi poſitum.

Cur Iudæi dixerint, Chriſtum non habuiſſe tunc quinquaginta annos, cùm tunc necdum trigeſimũ tertium annum expleuiſſet, quatuor doctorum ſententia.

Sed quæri dignum eſt, quomodo Iudæi tam longè aberrauerint 39
à vera CHRISTI ætate, exiſtimantes, eum tunc non multùm à quinquageſimo anno abfuiſſe, cùm CHRISTVS eo tempore minor eſſet trigeſimotertio anno. Irenæus in lib. 2. aduerſus Hæreſes, cap. 39. & 40. ex hoc Iudæorum dicto argumentatur, CHRISTVM, cùm eſt mortuus, non procul fuiſſe à quinquageſimo anno: ſed hæc ſententia repugnat hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Euangelicæ; ſic enim mortuus eſſet CHRISTVS ſexto circiter anno imperij Claudij Cæſaris.

Irenæi de Chriſti ætate non vera ſententia.

Nam decimoquinto anno Tiberij Cæſaris baptizatus eſt CHRISTVS, trigeſimum tunc ætatis annum agens. Si autem mortuus eſſet propè quinquagenarius; id autem eſt, ſeptem, vel octo & quadraginta annos natus, conſequens eſſet, ipſum mortuum fuiſſe quinto, vel ſexto anno Claudij Imperatoris: Tiberius enim imperauit viginti tres annos; & ſucceſſor eius in imperio Caligula quatuor annos; poſt quem proximè tenuit Claudius imperium. Non igitur mortuus eſt CHRISTVS imperante Tiberio, quod hiſtoriæ omnes Eccleſiaſticæ pro certo tradunt: nec mortuus eſſet ſub Pontio Pilato Procuratore Iudææ; quod planè aduerſatur hiſtoriæ Euangelicæ; Pilatus enim receſſit à Procuratione Iudææ ſub finem mortis Tiberij, vt tradit Ioſephus libro decimo octauo Antiquitatum Iudaicarum.

Ioſephus.

Nos etiam ſuper hac re diſſeruimus in libro 11. in Danielem in explicatione quæſtionis ſeptimæ.

Caietanus.

Caietanus opinatur, Iudæos veræ CHRISTI ætatis ignaros, 40
plus dixiſſe de CHRISTI ætate, quàm videbatur; quò iudicium ipſorum certius eſſet, minúſque contradictioni obnoxium. Aliorum eſt opinio, CHRISTVM propter grauitatem, quam vultu,

verbis, motu corporis, cunctiſque actionibus ſuis præ ſe ferebat, ſeniorem multò, quàm re vera erat, vulgo exiſtimatum fuiſſe; præſertim verò, quòd aſſidui, grauéſque labores prædicationis, & pedeſtris peragrationis variorum locorum, iuuentam eius quodammodo ſenilem reddiderant.

41 Theophylactus arbitratur, iſtam quæſtionem; cur Iudæi dixerint, quinquaginta annos; & non, quadraginta, eſſe curioſam, & vanam. Id enim dixerunt illi, non ratione aliqua ducti: ſed quia tunc illis in mentem venit numerus quinquaginta, & non alius numerus. Addit tamen dixiſſe quoſdam, in hoc dicto, Iudæos ſpectaſſe ad honorem anni Iubilei, & ad mēſuram ſui ſæculi, quod definiebant ſpatio quinquaginta annorum; &, vt dixi, appellabatur annus Iubileus: & interdum appellatur in Scriptura, ſæculum. Itaque volunt iſti, in iſtis verbis hunc fuiſſe Iudæorum ſenſum; Tu nondum expleuiſti hoc noſtrum ſæculum, quod eſt quinquaginta annorum, quomodò igitur videre potuiſti Abraham, qui tot ſæculis hanc ætatem noſtram anteceſſit? Sanè, Abraham, ſecundum menſuram iſtius ſæculi Iudaici, præceſſerat illud ſæculum CHRISTI, quadraginta fermè ſæculis: inter ortum enim Abrahæ, & mortem CHRISTI, duo circiter annorum millia interfluxerant. *Theophylact.*

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixit eis IESVS; Amen, amen dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego ſum. VER. 58.

His verbis tres Hæreticorum errores apertè confutantur.

42 PAVCIS iſtis Domini verbis tres admodùm inſignes hæreticorum errores redarguuntur, atque deſtruuntur. Primus error fuit Arrianorum negantium CHRISTVM eſſe verum DEVM. At in illis verbis, quæ dixit CHRISTVS, *Ante Abraham ego ſum:* illud; *Ego ſum,* proprium eſt DEI: his enim verbis *Arriani.*

Ttt 3 DEVS

Exo.3. DEVS voluit Deitatem ſuam denotari, cùm dixit Moyſi; *Ego ſum, qui ſum.* Et Moyſes de ipſo dixit Iudæis; *Qui eſt, miſit me ad vos.* Al-
Cherintus. Hebion. Photinus. ter fuit error Cherinti,&Hebionis,& Photini,qui dixerũt,CHRISTVM non fuiſſe niſi purum hominem, nec fuiſſe ante matrem ſuam; cùm ipſe tamen Dominus dixerit Iudæis; vt refert hoc loco Ioannes; *Antequàm Abraham fieret, ego ſum.* Tertius error fuit
Neſtorius. Neſtorij, qui dixit CHRISTVM, ſicut habuit duas naturas: ita quoque duas habuiſſe perſonas;alteram quidem diuinam in natura diuina;alteram verò humanam in humana natura. Sed CHRISTVS, prout hæc loquebatur Iudæis, homo erat: & illud pronomen,*Ego*, perſonam deſignabat illius hominis loquentis:quam tamen perſonam ipſe dixit fuiſſe ante Abraham; quod profectò de propria perſona hominis verè dici non potuiſſet.

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER.59. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum:IESVS autem abſcondit ſe,& exiuit de Templo.

ILLVD CHRISTI dictum; *Antequàm Abraham fieret,* 43 *ego ſum*, iniquiſſimis animis Iudæi acceperunt, nec ferre potuerunt. Viſum enim illis eſt ingens tanti Patris eorum Abrahæ conuitium, & contumelia,quòd CHRISTVS ſe multò maiorem illo, & honorabiliorem faceret. Quin etiã viſa illis eſt intoleranda in DEVM blaſphemia,quòd CHRISTVS æqualem ſe DEO facere videretur, quamobrem lapidare eum voluerunt: quòd hæc pœna, ſecundum legem Moyſis, ad-
Leuit.24. uerſus blaſphemos eſſet conſtituta. Sed enim non ſolùm malus fuit iſtorum zelus: ſed furor etiam fuit planè ferinus, velle hominem occidere ſine vllo (ſicut vulgo dicitur) proceſſu, ſine authoritate Iudicis, ſine lata ſententia, non præuia accuſatione, non audita rei defenſione, nullo etiam habitò reſpectu, neque reuerentia templi, in quo erant illi cum Domino IESV. Non tamen mi-
Auguſtinus. rum eſt, inquit Auguſtinus,ſi Iudæis duriſſima, & ſaxa habentes corda,

corda, bonorúmque omnium ſpiritualium ſterilia, ad ſimiles ſibi lapides conferrent ſe.

44 Illud, IESVS *autem abſcondit ſe*, ſic interpretatur Auguſtinus; *Auguſtinus.* Abſcondit ſe IESVS, non tanquam ille, qui proximè ante dixerat; *Antequam Abraham fieret, ego ſum:* nec tãquàm Verbum, quod *Ioan. 1.* erat in principio apud DEVM, per quod omnia facta ſunt: ſed tanquàm filius hominis, pro hominibus multa paſſurus, ac denique moriturus. Numquid magnum erat, vt illos Iudæos continuò dehiſcens terra abſorberet, & pro lapidibus inferos inuenirent; & accideret illis, quod Core, Dathan, & Abiron contigiſſe legimus in decimoſexto capite libri Numerorum. Sic enim ibi ſcriptum eſt; *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntq́; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Non itaque magnum DEO erat, ſic illos Iudæos punire: ſed magis erat tunc commendanda patientia CHRISTI, quàm exercenda potentia. Abſcondit ſe igitur ab illis IESVS, & tanquàm homo à lapidibus fugit: ſed væ illis, à quorum lapideis cordibus fugit DEVS. Ad hanc fermè ſententiam locum hunc interpretatus eſt Auguſtinus.

45 Videtur itaque ſupradictis verbis ſignificare Auguſtinus, IESVM abſcondiſſe ſe à Iudæis, fugiendo ne lapidaretur ab eis. Sed *Theophylact. & Caietanus.* nec id apertè dixit Auguſt. & vera eſt ſentẽtia Theophylact. & Caietani, aliorúmq; cõplurium, CHRISTVM abſcõdiſſe ſe à Iudæis non fugiendo, & in aliquod latibulũ abdendo ſe: ſed efficiendo ſe inuiſibilẽ illis. Hoc autẽ quinque modis potuit facere; vel ſuũ corpus inuiſibiliter transferẽdo in alium locũ: ſic enim deſinebat eſſe *Quinque modis Chriſtus potuit ſe inuiſibilem facere Iudæis.* illis præſens, atque viſibilis. Vel manendo quidem in eodem loco; ſuum tamen corpus nube quapiam, aut denſato aëre circumtegendo; ita vt ad eius aſpectum, Iudæorum viſus penetrare non poſſet. Vel prohibendo ne corpus ſuum ſpecies viſibiles, quæ vocantur intẽtionales, mitteret in oculos Iudæorum. Creditur enim in ſcholis Philoſophorum, quidquid videtur, videri per ſpecies quaſdam productas à re viſa, & vſque ad oculos videntis diffuſas. Vel ſic afficiendo ſenſum viſus illorum Iudæorum, vt viderent quidem IESVM; non tamen agnoſcerent eum, quia non in ſua

pro

propria forma repræſentabatur oculis eorum:ſimiliter vt contigit duobus illis CHRISTI diſcipulis euntibus in Caſtellum Emaus, qui IESVM præſentem ipſis, & cum ipſis loquentem videbant, & audiebant, nec tamen agnoſcebant eum; quia, vt narrat Lucas in capite vltimo hiſtoriæ ſuæ Euangelicæ; *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Poſtremò potuit etiam Dominus facere ſe inuiſibilem illis præſtringendo, & quadantenùs cæcando eorum oculos; vt cæci eſſent, quoad ab illis diſcedens Dominus
Geneſ 19. exiret de templo. Ad hunc nempè modum Angeli Sodomitas in domum Lot per vim irrumpere conãtes cæcitate percuſſerunt; vt domum, iuxta quam erant, inuenire non poſſent. Et DEVS ad
4.Reg.6. preces Heliſæi, milites à Rege Syriæ miſſos ad eum comprehen-
Act.13. dendum, percuſſit cæcitate ad breue tempus. Paulus quoque Elymam Magum prædicationi ipſius obſiſtentem cæcitate percuſſit, vt ad tempus aliquod ſolem videre non poſſet. At enim veriſimile non ſit, hoc factum eſſe in illis Iudæis: nam cùm eſſet res admodùm inſignis, atque memorabilis, eam vtique Ioannes nequaquàm tacuiſſet; ſicut nec ſacra Scriptura tacuit in ſupradictis locis.

CAPVT

CAPVT NONVM
EVANGELII IOANNIS.

ET *præteriens* IESVS *vidit hominem* VERS. 1.
cæcum à natiuitate : * *& interroga-* 2
uerunt eum diſcipuli eius ; Rabbi, *quis*
peccauit ; hic , aut parentes eius , vt
cæcus naſceretur ? * *Reſpondit* IE- 3
SVS ; *Neque hic peccauit , neque pa-*
rentes eius : ſed vt manifeſtentur ope-
ra DEI *in illo.* * *Me oportet opera-* 4
ri opera eius , qui miſit me , donec dies eſt : venit nox , quando
nemo poteſt operari. * *Quamdiu ſum in mundo , lux ſum mundi.* 5
* *Hæc cùm dixiſſet , expuit in terram , & fecit lutum ex ſputo, &* 6
liniuit lutum ſuper oculos eius ; * *&* *dixit ei ; vade , laua in na-* 7
tatoria Siloë (quod interpretatur Miſſus.) Abijt ergo , & lauit,
& venit videns. * *Itaque vicini , & qui viderant eum priùs:* 8
quia mendicus erat , dicebant ; Nónne hic eſt , qui ſedebat , &
mendicabat ? Alij dicebant ; Quia hic eſt : * *Alij autem ;* Nequa- 9
quam : ſed ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat ; Quia ego ſum. * *Di-* 10
cebant ergo ei ; Quomodò aperti ſunt tibi oculi ? * *Reſpondit ; Il-* 11
le homo, qui dicitur IESVS, *lutum fecit : & vnxit oculos meos,*
& dixit mihi ; Vade ad natatoria Siloë & laua. Et abij, laui, &
video. * *Et dixerunt ei ; Vbi eſt ille ? Ait ; Neſcio.* * *Adducunt* 12. 13.
eum ad Phariſæos , qui cæcus fuerat. * *Erat autem Sabbatum,* 14

15 *quando lutum fecit* IESVS, *& aperuit oculos eius.* * *Iterùm ergo interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet. Ille autem di-*
16 *xit eis; Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & laui, & video.* * *Dicebant ergo ex Phariſæis quidam; Non eſt hic homo à* DEO, *qui Sabbatum non cuſtodit. Alij autem dicebant; Quomodo poteſt ho-*
17 *mo peccator hæc ſigna facere? & ſchiſma erat inter eos.* * *Dicunt ergo cæco iterùm; Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Il-*
18 *le autem dixit; Quia propheta eſt.* * *Non crediderunt ergo Iudæi de illo; quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocauerunt paren-*
19 *tes eius, qui viderat:* * *& interrogauerunt eos, dicentes; Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus natus eſt? Quomodò*
20 *ergo nunc videt?* * *Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt;*
21 *Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt:* * *quomodo autem nunc videat, neſcimus: aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe lo-*
22 *quatur.* * *Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur*
23 *eſſe* CHRISTVM, *extra ſynagogam fieret.* * *Propterea parentes*
24 *eius dixerunt; Quia ætatem habet, ipſum interrogate.* * *Vocauerunt ergo rurſus hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt*
25 *ei, Da gloriam* DEO*: nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.* * *Dixit ergo eis ille; Si peccator eſt, neſcio: vnum ſcio, quia cæcus*
26 *cùm eſſem, modò video.* * *Dixerunt ergo illi; Quid fecit tibi? quo-*
27 *modò aperuit tibi oculos?* * *Reſpondit eis; Dixi vobis iam, & audiſtis: quid iterùm vultis audire? numquid & vos vultis di-*
28 *ſcipuli eius fieri?* * *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt; Tu di-*
29 *ſcipulus illius ſis: nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.* * *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt* DEVS*: hunc autem neſcimus vnde ſit.*
30 * *Reſpondit ille homo, & dixit eis; In hoc enim mirabile eſt,*
31 *quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit meos oculos:* * *Scimus autem quia peccatores* DEVS *non audit: ſed ſi quis* DEI *cultor*
32 *eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* * *A ſæculo non eſt*

audi

auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. * Niſi eſſet hic à 33
DEO, non poterat facere quidquam. * Reſponderunt, & dixe- 34
runt ei; In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt
eum foràs. * Audiuit IESVS quia eiecerunt eum foras: & cùm 35
inueniſſet eum, dixit ei; Tu credis in Filium DEI? * Reſpondit 36
ille, & dixit; Quis eſt, Domine, vt credam in eum? * Et dixit 37
ei IESVS; Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. * At il- 38
le ait; credo, Domine. Et procidens adorauit eum. * Et dixit 39
IESVS; In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vi-
dent, videant; & qui vident, cæci fiant. * Et audierunt quidam 40
ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei; Numquid
& nos cæci ſumus? * Dixit eis IESVS; Si cæci 41
eſſetis, non haberetis peccatum, nunc
verò dicitis; Quia videmus:
Peccatum veſtrum
manet.

IN CAPVT NONVM
DISPVTATIONES OCTO.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 2. Rabbi, quis peccauit; hic, aut parentes eius, vt cœcus naſceretur?

IN hoc nono capite narratur celebris hiſtoria cœci nati, quem in die Sabbati Dominus illuminauit. Exponitur etiam memorabilis inter cœcum illuminatum, pro CHRISTO; & Iudæos aduerſus CHRISTVM tanquàm prę-uaricatorem legis, altercatio.

Ex hac interrogatione diſcipulorũ 1
CHRISTI apparet, eos fuiſſe id temporis diuinarum rerum indoctos, & rudes. Nimirum hæc eorum interrogatio duplici videtur obnoxia reprehenſioni. Videntur enim illi ponere quaſi certum, & indubitatum, cœcitatem, & alia mala ſemper hominibus contingere propter eorum peccata: quod eſſe falſum, manifeſto Beati Iob, & Tobiæ comprobatur exemplo. Quinetiam ſacra Scriptura pluribus locis teſtatur; vt aurum igni fit mundius, & illuſtrius: ita piorum animos rebus aduerſis puriores, & clariores effici. Sanè in capite ſecundo libri Tobiæ, de cœcitate, quæ ei contigit, ita ſcriptum eſt; *Hanc tentationem ideò permiſit* DEVS *euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius; ſicut & Sancti Iob. Nam cùm ab infantia ſua ſemper* DEVM *timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus cõtra* DEVM, *quòd*

Mala hominibus non ſemper accidere propter peccata.

quòd plaga cæcitatis euenerit ei; ſed immobilis in DEI *timore permanſit, agens gratias* DEO *omnibus diebus vitæ ſuæ.*Et infrà cap.12.Angelus Raphaël dixit Tobiæ; *Quia acceptus eras* DEO, *neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.*

2 Illa verò diſcipulorum interrogatio, an ille homo natus eſſet cœcus propter peccata ſua, videtur inſipiens, & fatua, aut certè impia. Quomodò enim ille ante ortum, & conceptum ſuum peccare potuerat? niſi fortè putauerint, animam eius fuiſſe ante corpus, eámque vel ſe varia in copora humana induere:qui fuit error Pythagoræorum: vel antequàm deſcendiſſet in corpus, peccaſſe; quo in errore verſatus eſt Origenes. Vtrumuis autem dicatur, impium, & ſacræ doctrinæ contrarium eſt. *Pythagorai.* *Origenes.*

3 Illud tamen, quod dixerunt diſcipuli, an ille homo natus eſſet cœcus propter peccata parentum ſuorum, non prorſus extra rationem, & fidem erat. Non enim pauca in Sacris litteris leguntur exempla filiorum, qui propter ſuorum parentum ſcelera percuſſi ſunt à DEO. Filius certè, quem Dauid per adulterinum concubitum cum Bethſabeé genuerat, morte percuſſus à DEO eſt propter peccatum Dauid. Hoc enim ei prædixerat fore Nathan Propheta illis verbis, quæ ſcripta ſunt in capite duodecimo libri ſecundi Regum; *Quoniam inimicos Domini blaſphemare feciſti; propter verbum hoc; filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Sed duplex eſt pœna; Altera eſt corporalis, ſecundum quam filios puniri propter peccata ſuorum parentum oſtenſum eſt: Altera eſt pœna ſpiritualis, quæ eſt priuatio diuinæ gratiæ, bonorúmque ſpiritualium, quæ ſalutem animæ continent: ſecundum huiuſmodi pœnam nunquàm filius punitur propter ſui parentis peccatum. De hac nempè veriſſimum eſt, quod per Ezechielem dixit Dominus; *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Si quis obiiciat, propter Adami peccatum omnes eius poſteros puniri etiam pœna ſpirituali; id eſt, priuatione iuſtitiæ originalis, & gratiæ DEI, quam omnes poſteri eius habuiſſent ab initio, ſi ille non peccaſſet: reſpondendum ei eſt, peccatum illud Adami, licèt actualiter, & perſonaliter fuerit proprium eius: originaliter tamen fuiſſe commune omnium poſterorum eius. Nam ſicut omnes in eo erant tanquàm in prima radice totius generis *Quomodo peccata parentum puniantur in filijs eorum.* *Ezechiel. 18.* *Cur ob Adami peccatum poſteri eius puniti ſint etiã pœna ſpirituali.*

humani: ita eo peccante etiam ipſi in eo peccauerunt: ſicut Paulus de primo homine loquens dixit; *In quo omnes peccauerunt.* Quemadmodum itaque peccati Adami omnes poſteri eius quodammodo participes fuerunt: ita pœnarum, & malorum, quæ conſecuta ſunt illud peccatum.

Ad Rom. 5.

An propter maiorum peccata poſteri eorum priuentur diuinis auxiliis internis, & externis.

De auxiliis autem diuinis, quæ ad hominum conuerſionem ad 4
DEVM, & ad ſalutem animæ conducunt; vel externis, vt ſunt prædicatores & miracula, & bonorum exempla; vel internis, vt eſt frequens illuſtratio mentis, & motio voluntatis ad bonum; an hæc, inquam, diuina auxilia, propter peccata maiorum, poſteris eorum ſubtrahantur, grauis eſt quæſtio, neque in præſens diſceptanda, atque diiudicanda. Non tamen videtur dubitari de auxiliis externis, quibus priuat poſteros ob maiorum ſuorũ peccata, vt cernere licet in populo Iudaico; in quo propter maiorum multiplicem diuinæ Legis præuaricationem; maximè verò propter execrandam idololatriam, poſteri eorum, etiam qui expertes erant iſtorum ſcelerum, longè à patria in captiuitatem abducti, priuabantur iſtiuſmodi auxiliis diuinis; prædicationem dico Prophetarum, frequentationem templi, & in eo celebrationem DEI laudum, & ſacrarum oblationum, atque ſacrificiorum participationem. Huc ſpectant verba illa, quæ ſanctus iuuenis Azarias in captiuitate Babylonica dixit; *Non eſt in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta; neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te; vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam.*

Danielis 3.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS. 3.

Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera DEI in illo.

SIGNIFICATVR his verbis, cæcitatem illi homini accidiſſe non ob eius peccata, neque ob peccata parentum eius: ſed vt per admirabilem cæcitatis eius illuminationem à CHRISTO factam, manifeſtarentur hominibus opera DEI. Verùm 5

ſciro conuenit, multiplicem eſſe corporalis cæcitatis hominum cauſam. Ac primò quidem, alia eſt cauſa generalis, & priuatiua: alia verò eſt cauſa particularis, & poſitiua. Generalis, & priuatiua cauſa eſt peccatum Adæ, per quod humana natura ſpoliata eſt iuſtitia originali, cuius virtute mala omnia corporalia prohibebantur, & arcebantur ab hōmine. Hac iuſtitia originali priuata humana natura, ab Adamo in omnes deinceps homines propagata eſt; ideóque malis omnibus corporalibus obiecta, & obnoxia. Et hæc quidem cauſa, vt dixi, generalis, & priuatiua eſt.

Cauſa cæcitatis, alia generalis, & priuatiua; alia particularis, & poſitiua.

6 Altera cæcitatis cauſa eſt particularis: & hæc triplex eſt; vel naturalis, vel humana, vel diuina. Naturalis cauſa cæcitatis, quæ eſt ab ortu hominis, tribui debet vitio materni vel paterni ſeminis, aut defectui virtutis formatiuæ ipſius fœtus in vtero matris; ob cuius virtutis defectum, organum oculi non, vt oportebat, formatum, incapax fuit virtutis viſiuæ. Cæcitatis verò, quæ poſt ortum hominis ei contigit, particulares cauſæ variæ ſunt, de quibus medici diſputant, cùm de cauſis agunt huiuſmodi cæcitatis. Humana cauſa cæcitatis duplex eſt; vel enim quis per vim ab alio homine cæcatur, effoſſis oculis, aut corruptis: vel à ſeipſo cæcatur: cùm ipſe ſibi cauſa eſt cæcitatis, quæ ei accidit. Hoc autem fieri poteſt & cum vitio, & culpa hominis, & cum laude: Cum vitio, ſi cui ob intemperātiam cibi, potus, aut veneris cæcitas contingat. Cum laude, ſi ob aſſiduum luctum peccatorum ſuorum, vel frequentem, & copioſam in precando DEVM lachrymarum profuſionem perdat quis viſum, cæcúſque fiat. Democritus Philoſophus, quò expeditiùs, commodiúſque philoſophari poſſet, oculorum ſe luminibus priuauit. Hoc veteres illi ad magnam eius laudem, & gloriam retulerunt. Ego minimè laudauerim, quinetiam ſtultè factum putauerim, cùm ſenſus viſus, vt indicat Ariſtoteles initio librorū Metaphyſicorū, plurimùm cōducat ad philoſophandum.

Particularis cauſa cæcitatis triplex, naturalis, humana, & diuina.

Democritus.

Ariſtoteles.

7 Reſtat explicanda cæcitatis cauſa, quam diuinam appellauimus: hæc autem duplex eſt. Quædam enim cæcitas effectiuè naturalis eſt, à cauſa proueniens naturali: ordinatiuè autem diuina eſt, quòd eam fieri permittens DEVS, ordinauit ad magnum aliquod bonum; Huiuſmodi fuit cæcitas Tobiæ, quæ ex calido hirundinum ſtercore in oculos eius delapſo naturaliter facta eſt, & à

Diuina cauſa cæcitatis duplex.

DEO ad illuſtrem virtutis eius probationem,& in exemplum poſterorum ordinata fuit. Talis quoque fuit cæcitas huius cæci nati, à cauſa nimirum naturali facta: ſed à DEO, vt per eius illuminationem diuina opera manifeſtarentur,ordinata. Altera cæcitas eſt omninò à DEO, non ex cauſa naturali facta: ſed à DEO profecta: talis fuit cæcitas, qua Paulus percuſſus eſt à DEO in ſua vocatione, & conuerſione ad CHRISTVM; talis etiam fuit, qua per Paulum percuſſit DEVS Elymam illum Magum.

Act.9. *Act.13.*

Cæcitas, diuina effectione, vel ordinatione contingens homini, ad ſextuplicē finem refertur.

8 Cæcitas porrò, quæ diuinitus homini accidit, ad ſextuplicem finem referri ſolet:vel ad virtutis probationem,& exemplum aliorum;vt cæcitas Tobiæ: vel ad inſignem quampiam hominis conuerſionem ad DEVM; vt cæcitas Pauli: vel ad contumaciæ, ac perfidiæ confutationem, atque punitionem; vt cæcitas Elymæ Magi:vel ad manifeſtationem diuinorum operum; vt cæcitas huius cæci nati: vel ad defenſionem, & auxilium ſeruorum DEI: vt cæcitas, qua DEVS, ad preces Heliſæi, percuſſit milites à Rege Syriæ miſſos ad comprehendendum Heliſæum: vel ad hominis iuſti præſeruationem à malo, & exitio animæ ſuæ, ne per ſenſum oculorum alliciatur, & trahatur ad vitia. Qua etiam de cauſa viros iuſtos, & pios malis & calamitatibus corporalibus non rarò ſolet DEVS affligere,interdum etiam vita priuare: de viro enim iuſto illud in quarto capite libri Sapientiæ ſcriptum eſt; *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.*

4.Reg.6.

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VERS.3. Sed vt manifeſtentur opera DEI in illo.

9 DVPLICEM hæc verba ſenſum poſſunt reddere. Alterum quidem huiuſmodi; Vt manifeſtum fiat me DEVM eſſe, cuius ſunt opera, quæcunque in mundo continentur. Eiuſdem namque poteſtatis eſt, viſum in homine fingere, qui anteà in eo non erat; atque viſum iam perditum,& extinctū reſtituere ac reformare.

re. Alter verò ſenſus iſtorum verborum hic eſſe poteſt; Vt manifeſtum omnibus fiat, opera, quæ ego facio, ex voluntate, ac poteſtate DEI fieri; eáque certiſſimam fidem hominibus faciant, eſſe vera, quæ ego de me, & Patre meo prædico.

Cæterùm variis admodùm, miríſq; modis opera DEI ab exordio mundi vſque adhuc manifeſtata ſunt, & vſque in finem mundi manifeſtabuntur. *Octuplex operum Dei manifeſtatio.* Prima DEI operum manifeſtatio facta eſt in creatione mundi, rerúmque omnium tam inuiſibilium, quàm viſibilium: & per huius diuini operis manifeſtationẽ ſimul etiam manifeſtata eſt immenſa DEI bonitas, & potentia, & ſapientia. Secundò; Manifeſtata eſt iuſtitia DEI ſeueriſſimè punientis peccata, in damnatione Luciferi, & Angelorum eius; & in Adami punitione, quæ non ipſum modò: ſed omne genus hominum ex illo propagatum obſtrinxit, & afflixit; in generali præterea diluuio, per quod omnes, præter octo, periêre mortales. Tertiò; Manifeſtata eſt ſingularis quædam miſericordia DEI erga dilectos ſeruos, & amicos ſuos in ſancto Patriarcha Noë, mirabiliter ſeruando eum per arcam à diluuio, & generali hominum exitio. Quartò; Manifeſtata eſt præcipua quædã, eximiáque DEI prouidentia, & cura erga populum ſuum; in eductione Hebræorum ex Ægypto, eorumdémque per deſertum quadragenaria deductione, & introductione in terram promiſſionis. Quintò; Manifeſtata eſt diuini roboris, & fortitudinis præſtantia in Samſone, cui tantum, DEI munere, robur corporis, & fortitudo fuit, vt quæ de eo narrantur in libro Iudicum, ea maiora ſint, & admirabiliora etiam fabuloſis de Miloniani corporis robore, Herculeáq; fortitudine quondam celebratis miraculis. Sextò; Manifeſtatum eſt diuinum opus aduerſus grauiſſimas calamitates, & acerbiſſimos dolores, triſtiſſimáque homini mala, inuictæ patientiæ in Iob & Tobia. Septimò; Manifeſtatum eſt opus diuinæ Sapientiæ in Salomone; cui DEVS tantam dedit ſapientiam, quantam nullus mortalium, præter CHRISTVM Dominum, & Adamum, habuit vnquàm: Hoc enim indicant verba illa, quæ DEVS Salomoni dixit; *3.Reg.3.& 4.* *Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Et paulò infrà ſcriptum eſt; *Dedit* DEVS *Salomoni ſapientiam, & prudentiam multam nimis,*

Xxx *& la*

& latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris. Octauò; altiſſimorum, & inſcrutabilium DEI iudiciorum opera manifeſtata ſunt in Iudæorum reprobatione, & abiectione: Gentium autem electione, & vocatione: & in duobus Regibus impiis, & populi DEI hoſtibus, Pharaone Rege Ægyptiorum; & Nabuchodonoſor Rege Chaldæorum. Ille multis DEI flagellis, & miraculis magis eſt in perfidia, & impietate obduratus: Hic autem per DEI flagella, & miracula emollitus eſt, flexúſque ad pœnitentiam, & ad veri DEI agnitionem, & venerationem conuerſus.

Hæc autem operum DEI manifeſtatio ſemper cum diuini nominis honore, & gloria coniuncta eſt: cum eorum autem hominum, apud quos fit manifeſtatio operum DEI, ſæpè quidem ingenti bono ſpirituali, animorúmque ſalute: nonnunquàm tamen maiori etiam malo, & exitio coniuncta eſt: Nam propter eorum hominum, (vt Pauli verbis vtar,) duritiam, & cor impœnitens, per ea magis excœcatur mens ipſorum, & obduratur cor, per quæ illuminari, & emolliri deberent. Hos tam diuerſos effectus, qui manifeſtationem operum DEI apud homines conſequuntur, clariſſimè nobis liber Exodi demonſtrat in Ægyptiis: illis enim tot, tantíſque prodigiis, quæ DEVS per Moyſem fecit in Ægypto, quidam Ægyptiorum commoti ſunt, qui æquè affecti, & ad veri DEI cognitionem, & timorem, atque cultum adducti: plerique tamen eorum in ſua contra DEVM contumacia, & perfidia, & impietate vehementiùs obfirmati, magíſque animo excœcati ſunt. Solet porrò DEVS per hanc manifeſtationem operum ſuorum comprobare veritatem doctrinæ, quam prædicat is, qui ab eo miſſus eſt ad prædicandum; & declarare, atque confirmare veritatem, & authoritatem legationis, qua quis DEI nomine fungitur apud homines: ſicut factum eſt in Moyſe, & in CHRISTO Domino, & in Apoſtolis. 11

Ad Rom. 2.

QVAR

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius; & dixit ei, Vade, & laua in Natatoria Siloë, quod interpretatur, Miſſus.

VERS. 6.

12 CVR CHRISTVS cæcum illuminaturus vti voluerit illis quatuor cæremoniis, quæ in ſupradictis verbis exponuntur, quatuor afferri poſſunt rationes. Primò, vt illius cæci fidem, obedientiam atque humilitatem exerceret. Deinde, vt declararet, diuinam ſibi eſſe potentiam, cui deſeruiret omnis creatura ad quoſcumque ipſe vellet vſus; etiam ad eas res, quibus perficiendis videtur inhabilis; ſicut eſt lutum abſtergendæ cæcitati, & mundando viſui: tum vt oſtenderet, ſe creatorem eſſe hominis; nam vt eum à principio formauit ex limo terræ; ita tunc per limum, & lutũ in homine viſum formabat. Ad hæc per iſtas cæremonias præſignare voluit CHRISTVS figuram quandam, & imaginem baptiſmi Euangelici; nempè, vt lotio illius cæci in Natatoria Siloë, per quam illuminatus eſt, figura fuit lotionis baptiſmalis: ſic quæ CHRISTVS ei lotioni præmiſit, ea imaginem quandam prætulerunt eorum, quæ in catechumenis ante baptiſmum Eccleſia obſeruare ſolet. Itaque ſatis inſcitè, atque ſcurriliter faciunt Hæretici illudentes Eccleſiaſticis cæremoniis, appellando Iudaicas cæremonias, & præſtigias. Conſtat enim, non ſolùm in veteri Teſtamento DEVM multas tradidiſſe ſeruandas à Iudæis cæremonias; ſed etiam in nouo Teſtamento CHRISTVM in his, quæ agebat, variis vſum eſſe cæremoniis: vt in huius cæci illuminatione, & reſuſcitatione Lazari.

Explicantur rationes cæremoniarũ, quibus vſus eſt Christus in cæco illuminando.

Gen. 2.

Ioan. 11.

13 Quòd autem CHRISTVS expuit in terram; vnde facto luto liniuit cæci oculos, ſignificabat ſalutem hominum per incarnationem CHRISTI factum iri: ſputum enim ex capite defluit; & verbum æternum ex paterna mente procedit: ſputum in terram

Myſtica interpretatio ſputi Christi in terram, & luti ex eo facti.

miſſum,& ex vtroque factum lutum,indicabat Filium Dᴇɪ miſſum in terras, factúmque hominem. Et ſicut lutum,incongruum, & inhabile videri poterat illuminãdo cæco; cùm ſit materia craſſa,& ſordida; ita Cʜʀɪѕᴛᴠѕ, quia erat mortalis & paſſibilis, & pauper & humilis,videbatur inualidus ad iuſtificandum, & beatificandum hominem.

Chriſtum expuere in terram, denotat contemptum mundi, qui plurimùm cõducet ad illuminationem humanæ mẽtis.

Cʜʀɪѕᴛᴠᴍ autem expuere in terram, ſecundum myſticam 14
ſignificationem,denotat contemptum terræ,& rerum terrenarum propter ipſum Cʜʀɪѕᴛᴠᴍ. Magna enim ratio illuminandi cæcas hominum mentes, eſt contemptus huius mundi: nam ſicut eius amor inordinatus, atque immoderatus excæcat animos hominum: ita contemptus eius propter Cʜʀɪѕᴛᴠᴍ, & cœleſtem gloriam, illuminat mentes hominum; vt in his, quæ ipſis ad ſalutem cognoſcenda,& agenda ſunt, verum à falſo,& bonum à malo ſine errore diſcernant. Lutum quoque oculis impoſitum ſignificat,peccatum à nobis commiſſum, ante oculos mentis noſtræ ponendum eſſe, & frequenti cogitatione penſitandum; quod faciebat Dauid, vt ipſe ait: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum cõtra me eſt ſemper.* Illud, *contra me*, ſignificat, *ante me*, & *coram me.* Sed illud lutũ cæci oculis impoſitum, erat factum ex terra, & ex ſaliua Cʜʀɪѕᴛɪ: in conſideratione enim peccatorum,cum æſtimatione prauitatis, & deformitatis eorum, & grauitatis offenſæ Dᴇɪ, miſcere oportet cogitationem, & fiduciam Cʜʀɪѕᴛɪ clementiæ, ac miſericordiæ: ſola enim terra oculis impoſita, excæcare potiùs, quàm eos illuminare poteſt. Denique ſputo, id eſt, re contraria viſui, Cʜʀɪѕᴛᴠѕ ſanat, & illuminat viſum: ſimiliter nos Cʜʀɪѕᴛᴠѕ ad bona cœleſtia, & æterna, quæ nobis promiſit, per mala contraria perducit: per paupertatem enim ſpiritus perducit ad cœleſtes diuitias: ſicut ipſe dixit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Per luctum ad ſempiterna gaudia; *Beati enim qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Per humilitatem, ad diuinos honores, & gloriam; *Quicunque humiliauerit ſe; ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum.* Per labores,ad ſempiternam quietem. Per miſeriam,ad cœleſtem fœlicitatem. Per mortem denique,ad æternam vitam.

Lutum poni ſuper oculos, quid ſignificet.

Pſalm. 50.

Chriſtum ad bona ſua æterna per mala, quæ videntur contraria, nos perducere.

Matth. 5.

Matth. 18.

QVIN

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Dixit ei; Vade, & laua in Natatoria Siloë, quod interpretatur, Miſſus. VERS. 7.

15 NATATORIA Siloë fuit magnum quoddam receptaculum aquarum ex fonte Siloë profluentium, & in eo loco collectarum, in vſum lauandi, & natandi. De fonte Siloë hæc ſcribit Beatus Hieronymus explanans illa verba Iſaiæ, quæ ſunt in capite octauo; *Pro eo, quod abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, &c.* Siloë fons eſt ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis: ſed incertis horis, diebúſque ebullit; & per terrarum concaua, & antra ſaxi duriſſimi decurrit: de quo dubitare non poſſumus; nos præſertim, qui in hac habitamus prouincia. In Euangelio ſecundum Ioannem legimus, quod cæcum à natiuitate, cuius oculos luto ex ſaliua ſua facto Dominus linierat, miſerit ad aquas Siloë. Quibus aquis cùm cæcus lauiſſet lutum, cæcitate deterſa, clarum oculorum lumen accepit. Quod, præter ſigni magnitudinem, indicat, cæcitatem Iudæorum, omniúmque incredulorum non aliter poſſe ſanari, niſi Doctrina aquarum CHRISTI, quæ abſque ſtrepitu, & clamore verborum leniter fluit, tenebræ prioris purgentur erroris. Hactenus ex B. Hieronymo.

Fötis Siloë deſcriptio Beati Hieronymi.

16 Alij prætereà locorum, & rerum memorabilium terræ ſanctæ ſcriptores tradunt, aquas Siloë eſſe claras & dulces, & vberrimas, & magno in pretio, & honore etiam apud Saracenos, & Turcas. Saraceni enim lauant ſe in his aquis; vt hircinum fœtorem, quo naturaliter fœtent eorum corpora, detergant; nec fruſtrà id faciunt: ea namque lotione fœtor ille ſatis demitigatur atque minuitur. Turcæ verò magni faciunt aquas Siloë, quòd eas ſanandis oculorum morbis prodeſſe ſæpiùs experti fuerint.

Saraceni.

Turcæ.

17 Sed cur Ioannes adiunxit illud; *Quod interpretatur, Miſſus*? Tres, opinor, ob cauſas. Primò, vt oſtenderet, nomen illius fontis congruere cum ipſo facto: & quòd per ipſum illuminatus fuerit cæcus,

Tres cauſæ cur Ioannes adiecerit interpretationem vocis, Siloë.

 cus,

cus, non ex natura eius fontis accidiſſe:ſed ex virtute CHRISTI, quem DEVS in terras miſerat ad ſanandas infirmitates hominum: ſicut Dauid dixerat, *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos.* Deinde ſignificare voluit Ioannes, illud miraculum illuminati cœci in aqua Siloë, figuram fuiſſe Chriſtiani baptiſmi, qui à Patribus appellari ſolet ſacramentum illuminationis, quòd mentes hominum illuminet per fidem eius, qui miſſus eſt à DEO Patre. Tertia cauſa eſt hiſtorica, quam commemorant Dorotheus in Synopſi, & Epiphanius in libro de vita prophetarum, fontem Siloë non eſſe ab initio factum naturaliter, & aliorum modo fontium: ſed ſubitò, & mirabiliter, ad preces Iſaiæ, qui à DEO aquam in vſum populi petebat, diuinitùs miſſum, & datum; ex quo nomen illud, Siloë, accepit.

Pſal. 106.

Miraculum originis fontis Siloë: authoribus Dorotheo, & Epiphanio.

18 Quoniam autem in duabus proximè ſuperioribus diſputationibus, ſuper illuminatione cœci nati à Domino IESV facta copioſè diſputatum eſt, non fuerit alienum, ſi hoc etiam loco de illuminatione cuiuſdam cœci, quæ dicitur facta eſſe à Veſpaſiano Imperatore, noſtrum lectori breuiſſimè iudicium indicemus. Narrat Suetonius in Veſpaſiano, idémque commemorat Tacitus in libro quarto Hiſtoriarum, Veſpaſianum cuidam cœco flagitanti ab eo, vt manu ſua oculos ipſius tangeret, (Affirmabat enim, ea ratione promiſſam diuinitùs ſibi fuiſſe reſtitutionem viſus:) manus admouiſſe oculis, viſúmque reddidiſſe. Sed hoc vel fabuloſum eſt; vt alia multa de miraculis vulgo quondam iactata apud gentiles: vel, ſi iſtud factum eſt, ſine dubitatione dico, ſimulatam fuiſſe illius hominis cœcitatem; nam vera, & perfecta cœcitas nullo aut hominum, aut Dæmonum artificio, & adiutorio ſanari poteſt: ſed per ſolam DEI potentiam, verorum miraculorum effectricem. Credendum autem non eſt, DEVM ad eius miraculi effectionem concurrere voluiſſe, vt honoraret Veſpaſianum, hominem infidelem, falſorumque deorum cultorem. Nicephorus in capite vigeſimoquinto libri decimiquinti ſimile quoddam narrat miraculum, patratum à Leone, qui poſteà fuit Imperator: ſed enim id beatiſſimæ virginis MARIÆ interuentu, & ope factum eſſe affirmat.

Iudicium authoris de illuminatione cœci, quæ dicitur facta à Veſpaſiano. Suetonius. Tacitus.

Nicephorus.

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

Şuper illis verbis:

Scimus, quia peccatores DEVS non audit: ſed ſi quis DEI cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. VER. 31.

19 DEVM non exaudire peccatores, videtur eſſe falſum: idque manifeſtis redargui exemplis, Dauidis, Regis Manaſſis, Magdalenæ, & latronis. Beatus certè Auguſtinus in tractatu quadrageſimo quarto in Ioannem, & hoc ipſum dictum tractans, ait ipſum eſſe falſum; ita ſcribens; Si peccatores DEVS non exaudiret, fruſtrà ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens dixiſſet; DEVS *propitius eſto mihi peccatori*, non tamen fruſtrà dixit; nam iſta confeſſione meruit iuſtificationem. Hæc Auguſtinus. At enim, iſtud ipſum dictum cœci illuminati, etiam in Sacris litteris ſæpiùs teſtatum, & confirmatum legimus: Dauid in Pſalmo 65. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Filius eius Salomon in capite primo libri Prouerbiorum inducit DEVM hæc de peccatoribus loquentem; *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Et in capite vigeſimo octauo eiuſdem libri; *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem: oratio eius erit execrabilis.*

An Deus exaudiat peccatores. *Auguſtinus.* *Luc. 18.*

20 Quemadmodùm igitur ſententia hæc vera ſit, paulò diſtinctiùs expreſſiúſque declarandum nobis eſt. Primò; Peccator non permanens in voluntate peccandi: ſed ex peccato cupiens emergere, nec petens, quæ ad peccatum ſpectant: ſed potiùs quæ ad ſalutem animæ ſuæ, aut etiam corporis, nihil prohibet quin exaudiatur à DEO. Secundò; Peccatoris oratio, & petitio aliquando exauditur propter dignitatem Eccleſiæ, cuius ille in peccando perſonam quodammodo induit, & cuius precationibus vtitur apud DEVM. Tertiò; Propter dignitatem ſacrificij, quod in altari offertur DEO; per quod ſacrificium petit ipſe à DEO, quod habere deſiderat. Quartò; Propter fidem, & deuotionem eorum

Octo modi, quibus peccatoris oratio, & petitio, exaudibilis eſt à Deo.

rum, pro quibus poſtulat. Quintò; Propter merita, & ſuffragia ſanctorum, quos ille apud DEVM pro ſe precatores, atque interuentores adhibet. Sextò; Propter firmitatem, & feruorem fi-
Iacob.1. dei, qua ille poſtulat à DEO: ſecundum illud Iacobi; *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Septimò; Quia quod poſtulat, ad magnam DEI gloriam, & communem hominum vtilitatem confert. Octauò; Peccatoris oratio non eſt impetratoria ex merito; neque ex dignitate perſonæ petentis: ſed ex infinita miſericordia, & benignitate DEI exaudientis. Videat Lector, quæ
S.Thomas. Beatus Thomas ſuper hac re ſcripſit in ſecunda ſecundæ, in quæſtione octogeſima tertia, & in articulo decimo ſexto.

An per hominem peccatorem fiant aliquando miracula.

Conſimilis videtur illa ſententia, quæ in hoc ipſo capite ſuprà 21
in verſu 16. poſita eſt; *Non poteſt homo peccator hæc ſigna facere.* Hoc dixerunt quidam Phariſæorum, pro defenſione Domini IESV, aduerſus alios Phariſæos, qui propterea dicebant, ipſum non eſſe hominem à DEO: ſed eſſe peccatorem, quòd operaretur in die Sabbati: ſed iſtud dictum non videtur verum. DEVS enim prædixerat Iudæis: vt legitur Deuteronomij 13. etiam Pſeudoprophetas magna facturos ſigna, idémque prædixiſſe Dominum noſtrum refert Matthæus cap. 7. & 24. Ad hoc reſpondendum eſt dupliciter: Primò; iſtam ſententiam eſſe accipiendam non tanquàm omninò veram: ſed quaſi veram vt plurimùm: tales enim eſſe ſolent ſententiæ, quæ vulgo iactantur, & in omnium ſermonibus celebrantur; raò ſcilicet euenit, vt per homines peccatores vera fiant miracula. Deinde illa verba; *Hæc ſigna*, omnem tollunt difficultatem. Quid enim eſt, *Hæc ſigna*; niſi talia ſigna, qualia faciebat Dominus IESVS; tam inſignia, & admirabilia, tam crebra, tanta authoritate, & maieſtate facta, & facta in declarationem ſuæ ſanctitatis, & confirmationem doctrinæ ſuæ; talia demum ſigna, qualia facturum eſſe Meſſiam, Prophetæ prædixerant.

Simile huius eſt, quod Nicodemum dixiſſe Domino,
Ioan.3. ſuprà retulit Ioannes; *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit* DEVS *cum eo.*

SEPTI

SEPTIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et dixit ei IESVS: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cœci fiant. VER. 39.

22 DVPLICEM hæc verba ferunt quæſtionem. Et prior quidem quæſtio eſt hæc; Quomodo CHRISTVS dicat, ſe in ſe iudicium mundi veniſſe, cùm ipſemet anteà dixerit Nicodemo, ſe in mundum veniſſe, non vt iudicet mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Poſterior quæſtio eſt huiuſmodi; Quomodo, qui cœci ſunt, per CHRISTVM videant; & qui vident, fiant per ipſum cœci: nam ſicut cœcos illuminari à CHRISTO, conueniẽs eſt miſericordiæ eius: ita eos, qui vident, excœcari per CHRISTVM, videtur admodùm alienum, & abhorrens à CHRISTI bonitate.

Duplex quæſtio. Ioan. 3.

23 Ad priorem quæſtionem ita reſpondendum eſt: duplex eſſe iudicium; quorum vnum eſt iudicium diſcuſſionis & retributionis, in quo diſcuſſis, & diiudicatis omnium hominum meritis, digna vniuſcuiuſque hominum factis tribuuntur vel ſupplicia, vel præmia. Ad exercendum huiuſmodi iudicium non venit CHRISTVS in priori ſuo aduentu: ſed venturus eſt in poſteriori aduentu, & in fine ſæculi. Alterum iudicium vocatur iudicium diſcretionis, quo per CHRISTVM, & per eius legem electi diſcernuntur à reprobis: Sic enim DEI iudicio, & ſententia decretum, & conſtitutũ eſt, vt quicumque per fidem, & dilectionem CHRISTO vſque in finem adhæſerint, ſalui ſint, & beati: quicumque verò eius doctrinam repudiauerint, ſempiternis addicantur ſuppliciis. Poteſt etiam dici, vocabulum illud, *Iudicij*, hoc loco ſignificare ſententiam, & decretum DEI Patris, quod per CHRISTVM manifeſtari, & exerceri voluit. Decretum autem DEI Patris fuit hoc; Vt qui ſua ſapientia inflati, ſuáque nixi prudentia placent ſibi, nec alieno magiſterio indigere ſe putant, repudientur, & abiiciantur à CHRISTO: qui autem, iudicio mundi habentur

Duplex iudicium mundi: vnum alterũ diſcuſſionis, & retributionis; alterum verò diſcretionis.

bentur rudes & inſipientes, hi eligantur à CHRISTO; iuxta illud, quod ipſe dixit DEO Patri ſuo; *Confiteor tibi, Pater Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis; ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Horum ſimillima ſcribit Paulus in primo capite prioris epiſtolæ ad Corinthios. Itaque in illis verbis, *Vt qui vident, cæci fiant*, illa coniunctio, *Vt*, non denotat cauſam: ſed conſequentiam rei. Non enim CHRISTVS cauſa fuit excœcationis hominum: ſed ex eo quòd multi doctrinam eius aſpernati, & auerſati, miraculáque malignè calumniati ſunt, conſecutum eſt, vt illi desererentur, & abiicerentur à DEO, atque ea ratione vehementiùs in dies obfirmarentur in malo, magiſque obcœcarentur. Ex his autem, quæ dicta ſunt, in promptu eſt reſponſio ad ſecundam quæſtionem ſuprà poſitam, Quomodo CHRISTVS in iudicium venerit, vt qui vident, cœci fiant.

Matth.11.

OCTAVA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

VER.41. Dixit eis IESVS; Si cœci eſſetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis; quia videmus, peccatum veſtrum manet.

Duplex interpretatio iſtorum verborum.

HORVM CHRISTI verborum duplex eſſe poteſt 24
interpretatio; Altera eſt hæc: Si agnoſceretis vos eſſe cœcos, veſtrámque cœcitatem ſentientes, illuminari à DEO peteretis; peccatum non haberetis; quia libenter accederetis ad eum, qui poteſt vos illuminare: ſicut dixit Dauid; *Accedite ad eum, & illuminamini; & facies veſtræ non confundentur.* Altera interpretatio eſt huiuſmodi; Si cœci eſſetis, id eſt, ſi inuincibilem haberetis ignorantiam veritatis; ſi diuinas Scripturas non haberetis; ſi nulla Prophetarum legiſſetis vel audiſſetis oracula; ſi Ioannis de me teſtimonia non audiſſetis; ſi ego ipſe non veniſſem, & locutus vobis fuiſſem; ſi non feciſſem opera, quæ nemo alius fecit, veſtra profectò incredi

Pſalm.33. *Ioan.15.*

credi

credulitas non imputaretur vobis ad peccatum. Atenim contrà omninò ſe res habet: nam & vos ſupradictis rebus omnibus inſtructi eſtis, & vobis ipſis ſapientes videmini, nec indigentes cuiuſquam magiſterio: idcircò peccatum veſtræ incredulitatis non ex ignorantia: ſed ex malitia profectum, prorſus inexcuſabile eſt. Huc etiam ſpectant illæ, quæ in Sacris literis leguntur ſententiæ; vt illa Simeonis; *Hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum.* *Luc.2.* Et Petrus dixit, CHRISTVM credentibus eſſe lapidem electum, & pretioſum; non credentibus autem eſſe lapidem offenſionis, & petram ſcandali. *1.Pet.2.* Dauid quoque ait; *Populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* *Pſal.17.* Et alio loco; *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* *Pſal.137.* Petrus quoque ait; DEVS *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* *1.Petri.5.* Et per Iſaiam dixit DEVS; *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermiones meos.* *Iſa.66.*

FINIS OPERIS.

Hunc quartum tomum, qui continet ducentas quatuordecim diſputationes ſuper Euangelio B. Ioannis, Auctor ipſe annos natus duos & ſeptuaginta Lugdunum miſit, Horatij Cardon typis excudendum, anno ab ortu Domini milleſimo ſexcenteſimo octauo.

INDEX
LOCORVM SACRÆ
SCRIPTVRAE PRAECIPVORVM, QVI IN HOC PRIMO TOMO DISPVTATIONVM IN S. IOANNEM EXPLICANTVR, IN QVO,

vt faciliùs in eo contenta reperiantur, tres litteræ adiectæ ſunt, ex quibus a, principium paginæ. b, medium, & c, finem illius indicant.

Notandum inſuper typographum paginarum numerum, quæ proœmium continent, cum ſequentibus non continuaſſe; ſed eas ſigillatim recenſuiſſe. Vnde factum eſt, vt in hoc indice numeri geminati reperiantur, & quidam ad proœmium, alij ad ſequentes diſputationes pertineant. Quare, ſi quid quærat Lector in vno numero, quod in eo non reperias, alterum conſulat numerum, in quo quæſita inueniet.

Ex veteri Teſtamento.

Gen. 22. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. 514.b

Gen. 41. Septem ſpicæ plenæ ſeptem vbertatis anni ſunt. 421.c.

Num. 11. Auferam de ſpiritu tuo, & dabo illis. 100.c

Deut. 18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, &c. 352.c. 355.c

Deut. 28. Et erit vita tua pendens ante te, & non credes vitæ tuæ. 354.b. 456.a

3. Reg 3. & 4. Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantùm, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit 529.c

3. Reg 16. Non declinauit Dauid à viis Domino, excepto ſermone Vriæ Hethæi. 13.c

4 Reg. 9. Verbùm mihi ad te ô Princeps. 20.b

Iob. 2. Pellem pro pelle, & cũcta quæ habet, homo dabit pro anima ſua. 103.a

Iob. 31. Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur. 427.c

Pſalm. 2.

Pſal 2. Ego hodie genui te. 8.a
Pſal.4. Quis oſtendet nobis bona. 325.c
Pſal.50. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. 503.b. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* 532
Pſal.64. Flumen Dei repletum eſt aquis. 54.a
Pſal.98. Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius. 85.c
Pſal.101. Percuſſus ſum vt fænum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. 260.a
Pſal.102. Potentes virtute ad faciendum verbum eius. 15.b
Pſal.109 Dixit Dominus Domino meo. 30.a
Pſal.109. Ex vtero ante luciferum genui te. 116.b
Pſal.109. Ante luciferum genui te. 8.b
Pſal.118. Viuifica me ſecundum verbum tuum, & alij loci, vbi viuificare, idem eſt, quòd conſeruare. 42.b
Pſal.131. Paraui lucernam Chriſto meo. 544.& 338.a
Pſal.134. Qui producit ventos de theſauris ſuis. 204.a
Pſal.138. Ecce Domine tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. 41.b
Prouer.5. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, deriuentur fontes tui foras, &c. 480.b
Prouer.8. Cum eo eram cuncta componens.23.c. & delectabar per ſingulos dies. 36.b
Prouer.30. Quod eſt nomen eius, & quod nomen filij eius. 18.a
Eccle.14. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quia non eſt apud inferos inuenire cibum. 270.b
Cant.1. Trahe me, poſt te in odorem curremus vnguentorum tuorum. 407.c
Sap.8. Cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. 67.a
Sap.12. Erat naturalis malitia ipſorum. 511.c
Eccle.24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. 79.c
2. Iſai.6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. 51.b
1. Iſa.6. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. 80.a
Iſai.11. Qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur. 389.b
Iſa.55. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. 189.a
Iſai.65. Qui benedicetur ſuper terram, benedicetur in Deo Amen. 194.c
Ierem. 28 Maledictus qui facit opus Dei negligenter. 390.c
Ier. 31. In caritate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te, miſerãs tui. 407.b
Ezech.4. Aquam bibes in menſura. 238.b
Ezech.18. Filius non portabit iniquitatem patris. 525.c
Dan.2. Tu es caput aureum. 421.c
Oſe.11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.

Agg.2. Magna erit gloria domus huius nouiſſimæ, pluſquam primæ. 176.b.c. & 177.

Ex nouo Teſtamento.

Luc.24. Potens in opere & ſermone. 95.c

Ioan.19. Conſummatum eſt. 470.b

Ioan.21. Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus fuſiſſimè hic locus tractatur. 2.3

Act.1. Qui connumeratus eſt in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius. 460.a

Act.12. Calcea te caligas tuas. 124.c

Rom.5. Regnauit mors ab Adam in omnes homines, etiam in eos qui non peccauerunt. 65.b

Rom.13. Non eſt poteſtas niſi à Deo. 69 a

Epheſ.1. Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto. 401.c

Epheſ.3. Vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiã multiformis gratia Dei. 16.a b.18.a b

Philip.2. Cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. 76.c

Coloſ.2. In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 85.b

1.Timoth.2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 61.a

2.Tim.2. Et reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. 503.a

Tit.2. Et aduentum gloriæ magni Dei. 26.a

Heb.1. Portans omnia verbo virtutis tuæ. 27.b.

Hebr.5. Perfectorum eſt ſolidus cibus. 269.c

Hebr.11. Vnde eum & in parabola accepit. 514.a

1.Pet.1. In quem (Spiritum ſanctum) deſiderant Angeli proſpicere. 114.a

2.Pet.1. Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. 290.b

1.Ioan.1. Quod fuit ab initio, & erat apud Patrem, & apparuit nobis. 7.c

1.Ioan.4. Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt. 78 b

Apoc.1. Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus. 80.c

Apoc.6. Bilibres tritici denario, & tres bilibres hordei denario. 375.c

Apoc.13. Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi. 127.a

Apoc.15. Oportet te iterum prophetare gentibus, & linguis, & regibus multis. 12.a

Finis Indicis locorum S. Scripturæ.

INDEX
ALPHABETICVS
RERVM, ET SENTENTIARVM, QVÆ IN HOC PRIMO DISPVTATIONVM IN B. IOANNEM TOMO CONTINENTVR; IN QVO,

vt dixi in ſuperiore indice, adiectæ ſunt tres litteræ: quæ in tres partes paginas diſtinguentes, principium, medium & finem earum demonſtrant.

Quod autem dictum eſt in priore Indice de numeris geminatis, maximè eſt in hoc Indice obſeruandum.

A.

ABRAHAM quanto deſiderio arſerit videndi diem Chriſti, & quis hic ſit dies Chriſti. 513. c. & 504. a. Abraham quomodo ſeruũ ſuum adiurauerit, vt acciperet filio ſuo vxorem. b. Abraham vidit Chriſtum in limbo adhuc poſitus. 515. a

Adorare & adoratio omnem Dei cultum comprehendit. 261. c. Adoratio vera quæ ſit, plurimùm refert homini ſcire. 262. b. Adoratores veros, quos Chriſtus appellet apud Ioannem. 262. c. Adorationis Euangelicæ quid proprium ſit. 264. a. Adorare patrem in ſpiritu & veritate quid ſit, diuerſimodè explicatur. b. c. Adoratio exterior non eſt verus cultus, ſi interiori careat. 265 b.

Adorantes Deum in ſpiritu & veritate, cur ſint veri adoratores. 266. a

Adorationem externam Chriſtus non reprobauit, ſed eam quæ ſine ſpirituali adoratione fit. 267. b

Aduerſa non eueniunt ſemper propter peccata. 524. c

Aduerſariis nobiſcum contendentibus non leuia eorum dicta, ſed grauia tantùm debemus arguere. 502. b

Adulteræ mulieris Hiſtoria, an ſit ſcriptura Canonica. 491. b. Qui eam canonicam non eſſe dicant, & quibus argumentis. 492. a. b. Probatur eſſe Canonica. 493. b. c. Quomodo factum ſit, vt hanc Hiſtoriam multi Græci codices non haberent. 494. a. b Quid fuerit, quod Chriſtus coram ſe poſita adultera ſcripſerit. 495. b Quorſum Chriſtus ſcribendo ſe inclinauerit. 496. b

Aeternitas generationis ſolet dici vocabulo in Scriptura ſignificari. 514. a

Aeternitati diuinæ quomodo differentiæ temporis accommodentur. 9 b. c

Agni oblatio fuit apud Iudæos frequẽtior, & potior. 126. b

Ambulare quid myſticè deſignet. 317. c

Amen Hebraicæ vocis triplex eſt ſignificatio, & quæ illæ ſint. 194. b

Amoris diuini, & humani triplex eſt differentia, & pri[...]ód amor humanus nihil amanti cõfetat: diuinus ſic: 2. b

2.b Amare alium, & beneficium eidem aliquod conferre, ſunt diuerſa.c Amor diuinus cum beneficiis ſemper eſt coniunctus. 3. a. Amor humanus ex bono aliquo in amato exiſtente oritur : diuinus infundit in amato bona omnia & eſt menſura bonorum omnium,quæ ſunt in amato.6. b. Amor eſt primus voluntatis humanæ affectus. 226.c, inter amorem diuinum & humanum ſex ſunt differentiæ. 227.a

Angeli quomodo abditas myſteriorum Dei rationes per homines diſcant.18. b. c

Angelus cuius opera piſcinæ aqua mouebatur,quis fuerit. 302.b

Angelus ille quo tempore in aquam deſcenderet.303. a.credibilius eſt fuiſſe feſtum Paſchæ.b. an ab Angelo iſta ſanandi virtus manaret,c.erat à Deo: ſed per Angelum. 304.a.Angelus cur illam commotionem fecerit. b. quomodo Angelus eam fecerit. 306.a

Anima Chriſti habet diuinum viuere perfectiſſimum. 451.b

Animæ rationali quadruplicem vitam tribuit Deus,& quæ illa. 46.c.

Anima rationalis venit ab extrinſeco & ſeparabilis eſt,etiam teſte Ariſt.62.b.

Animarum in diuerſa corpora tranſmigrationem Iudæi non cognouerũt. 119.a.b

Animæ formatio in corpore mirabilis. 211. b.Animum in corpore eſſe tria ſunt indicia,& quæ illa.c

Animæ non peccauerunt,antequam venirent in corpora. 65.b.c

Annam B. V. matrem tres viros habuiſſe, qui dicunt,refutantur. b.c

Antichriſtus ſe pro vero Chriſto Iudæis venditabit. 350.b

Aqua viua quæ dicatur, & quomodo gratiam repręſentet. 255.a

Aquæ & vini alimentum ſalubrius eſt, quàm ſola aqua, & quid hoc ſignificet. c

Aquæ proprietates quomodo baptiſmi effectibus reſpondeant. 198.c

Aqua vera, & naturalis eſt propria baptiſmi materia.199.a Aqua baptiſmalis quot modis fuerit in veteri lege præfigurata. b

Aquæ piſcinæ probaticæ cõmotio quid ſignificauerit.304.c.Aquæ illa turbatio quantùm durauerit. 305. c.Aquæ turbatio quomodo cognoſci poterat ab ægrotis. 306. Aqua non proderat, niſi iis,qui in eam deſcenderant. 207

Aquam piſcinæ non habuiſſe illam vim aliqua ex cauſſa naturali auctor demonſtrat. 307. c. Aquæ illi vnde ea virtus acciderit,traditio quædam,ſed apocrypha. 308. b. Aquæ virtus an fuerit qualitas illi inhærẽs.c.per aquã illam cur vnus ſanaretur.309.a. aquæ vis quomodo Iudæis innotuerit.b Aquæ hæc vis quando cœperit, vel deſierit. 310.a

Ariani hoſtes filij Dei quomodo peruerterẽt hæc verba, *Deus erat verbum.* 25. a.b.refelluntur valde acriter.b.c.Verbum ſeu filius quando Deus vocatur, ſæpe habet præpoſitum articulum. 26.a.Arianorum argumentum futile, quo probabant,Chriſtum ſecundum diuinitatem factum eſſe , refellitur. 97.c

Aſtrologiæ iudiciarię opinio inſania, & furor eſt:cuius in Eccleſia auctor fuit Bardeſanes , & poſtea Priſcillianus. 161.c

Auguſtini ſentẽtia dicẽtis figuratè Chriſti verba exponenda, in quibus agit de S. Sacramento. 429.b.Non continent Chriſti verba flagitium,& facinus. 430.1. a Auguſtini ſententia exponitur. b.c

Auxilium Dei cur ſit neceſſarium ad fidem conſequendam.279. c. Hoc magis declaratur. 280.a b

B

Baptiſmus à Chriſto tum primùm inſtitutus

tutus eſt, cũ ipſe fuit in Iordane bapti zatus. 244.b Baptizari ſunt à Chriſto Apoſtoli ſaltem aliqui, & ipſi baptizabant Chriſti baptiſmo. c. 245.a. Baptizaſſe cur Chriſtus non dicatur, cũ Apoſtolos baptizauerit. b. Baptizauerit Chriſtus cur Apoſtolos, nõ alios. c
ſine Baptiſmo neminem regnum dei introire poſſe, quibus figuris ſit oſtenſum. 201.b. Baptiſmi figura; Spiritus S. aquis incubans in mũdi principio. 202. a. Baptiſmus ex paſſione Chriſti omnem vim ſuam habet. 216.c. Baptizabat Chriſtus, & non baptizabat, hoc quomodo verum ſit. 242. c. Baptizaueritne Chriſtus aliquos ſuis manibus, vel non. 243.a. b. Baptizauit Chriſtus B.V. & S. Petrum. 244. a
Baptiſmus neceſſarius omnibus tam paruulis, quàm adultis. 195.b. eſt baptiſmus ſecunda generatio; vnde meliùs baptizatus renatus dicitur, quàm natus. c. Baptiſmus quibus nominibus à Scriptura, & patribus ſit inſignitus. 197.a. ad Baptiſmum quando cœpti ſumus obligari b. Baptiſmi materia aqua, efficiens eſt Spiritus. S. 198.b.
Beneficia Dei duorum eſſe generum, quidam arbitrantur, & quæ ſint illa. 401.b. Beneficia omnia Dei propter Chriſtum homini dantur. c
Bethſaida ſeu potiùs betheſda quid ſignificet. 300.c
Bonerges filij Zebedæi mendoſè dicũtur, & dicendi ſunt Benereen. 135.c
Bonum omne noſtrum, magis eſt à Deo, quàm à nobis. 472. a. eſt noſtrum & non eſt noſtrum. b
Bona omnia qualiacumque ſint dantur per Chriſtum. 101.b

C

CÆremonias tot & tantas in veteri teſtamento cur Deus perſcripſerit, & in nouo cur hæ adhibeãtur. 263. b. c. Cæremoniæ in Eccleſia cur inſtitutæ & receptæ ſint. 266c
Cæremonias hæretici arguentes inſicetè faciunt. 531.c
Caietanus licèt pius & Catholicus, ſententias quaſdam in ſuis ſcriptis minùs pias & Catholicas inſpeſiuit. 492. c. arguitur grauiter quòd Hiſtoriam mulieris adulteræ adiectitiam eſſe cenſuerit. 493. a. Caietanus arguitur & cum eo hæretici, putans ſine baptiſmo infantes ſaluari poſſe. 196.c
Cana fuit duplex, vna maior, altera minor, & in qua harum ſint nuptiæ celebratæ. 153.c
Canon Apoſtolorum, qui continet catalogum ſacrorum librorum eſt dubiæ fidei. 13.c
Carnis ſunt ſeptem ſignificationes in Scriptura vſitatæ, & quæ illæ ſint. 71. c. 72.a.b. Caro pro toto homine frequenter ſumitur, vt in hac ſententia, *Verbum caro factum eſt*. 72.b. Cur dicatur in hac ſententia, *Verbum caro factum*, non homo. 73. a. b. 74.a. Caro Chriſti quibus nominibus deſignetur in Scriptura. 81.a
Caro Chriſti quomodo verus cibus dici potuit, etiam cùm nondum eſſet inſtituta Euchariſtia. 444. c. Caro Chriſti quomodo verè cibus dici poſſit, etiamſi proprietates cibi quaſdam non habeat c. Carnis Chriſti manducatio conuenit cum cibo, ſed citra imperfectionem. 445. c. Caro Chriſti eſt verè cibus, id eſt, perfectè. 446. a. Carnis Chriſti manducatio realis probata eſt à Chriſto apud Ioannem. 455.a
Caro per ſe non prodeſt, ſed vnita perſonæ diuini Verbi, maximè. 456.a. de Carne Chriſti manducãda doctrina, quomodo ſit ſpiritualiter intelligenda. b. Caro Chriſti manducanda eſt ſacramentaliter & ſpiritualiter. 457.a
Catholici de fidei Chriſtianæ veritate quomodo ſine miraculis poſſint in-

formari ex Scripturis. 288.c
Chriſtus verus Deus & homo eſt in vna perſona. 518. a. Chriſtus cur ſe à Iudæis eum lapidare volentibus abſcõderit. 519.a. Chriſtus non abſcõdit ſe à Iudæis fugiendo, ſed ſe inuiſibilem reddendo, quod quinque modis fieri potuit, & quibus. b. c Chriſtus non ita perſtrinxit Iudæorum oculos, vt eum videre non poſſent. 520.a
Chriſtus dicitur vnigenitus quadruplici ratione, & quomodo. 91. a. b
Chriſtus fuit perfectionis infinitæ. b Chriſtus habuit triplicem gratię plenitudinem, habitualem, capitis, & vnionis. 94. a. Chriſti maxima fortitudo in quot quibúsue rebus enituit. 98.b. Chriſti fortitudo vbi prædicta. c. Chriſtus homo Deum clarè vidit in hac vita. 107. b. Chriſtus an vſus ſit calceis, diſputatur. 122.b.& fuſiùs. 123.b.c. Chriſtus non eſt vſus calceis ſed ſandaliis. 124. b. Chriſtus vocatur agnus ſeptem ob cauſſas, & quæ ſint illæ. 125. b. Chriſtus vocatur agnus à Prophetis, & Ioanne Euang. in Apoc. 126.c
Chriſtus cur agnus Dei dicatur. 127. b. Chriſtus quomodo peccata mundi ſuſtulerit. c. Chriſtus quo die natus & baptizatus fuerit. 148. b. Chriſtus cum matre quinquies ſatis durè loqui viſus eſt. 160. b. Cur à Chriſto hoc factum ſit. c. Chriſtus non erat ſolitus, niſi rogatus, & in neceſſitate, miracula facere. 162. b. ex Chriſti facie ſplẽdor emicabat, quò ad ſe corda trahebat. 170. b
Chriſtus non fuit cauſſa excœcationis hominum, niſi conſequenter. 538. b
Chriſtus eſt Iudæis lapis offenſionis, & petra ſcandali. 539.b
Chriſtus quomodo ſe primum & nouiſſimum dixerit. 8.c. Chriſtus verè eſt Deus, & id expreſſimè Ioannes docuit. 26. b. Quibus modis doceatur ex Scriptura Chriſtum eſſe Deum iuxta Hilariũ b.c. Alij ſeptem modi, quibus ex Scriptura idem probatur. 27.a.b. Chriſtus verum Dei Verbum & ſummum, & illi cæternum. 29.b. Chriſtus quinque modis luxit Iudæis. 51. c. Chriſtus aſſumpſit verè animam, & animam rationalem. 77. b.c. Chriſtus in vna perſona verè fuit Deus & homo. 78. b. contra Chriſti perſonã alij errores. c. Chriſtus fuit ſimul comprehenſor & viator. 84.c
Chriſtus poſitus pro ſigno eſt, in quod aſpicerent, & ſperarent omnes gentes. 389. b. Chriſti meritum non humanum modò, ſed diuinum eſt, & in ſe infinitatem quandam complectitur. 403. a. Chriſti paſſionis exemplũ mirum in modum valet ad trahẽdum homines ad ipſum. 408. c. Chriſtum viuere propter Patrem quid ſit, vbi illud, propter, tripliciter exponitur. 449. c. Chriſtus cur hęc verba dixerit: *Si ergo videritis &c.* 454. a. b. Chriſti geſta, quę interceſſerunt inter ea, quę dicta ſunt, cap. 6. & 7. Ioãnis. 466. b.c. Chriſtus cur in in feſto Scenopegiæ Ieroſolymam aſcenderit. 477. b.c. Chriſtus loquens cũ Iudæis, cur dixerit, *Vbi ego ſum*. 476.c. Chriſtus qua nos libertate donauerit. 506. a. Chriſtus quo anno vitæ ſuæ ſit mortuus. 516. b Chriſtus eſt verus Deus. 517.c.
Chriſtus gratiæ omnium ſanctorum principium & finis eſt. 247. a. Chriſti tempore magna erat Iudæorum de aduentu Meſſiæ expectatio. 267. c. & apud Samaritanos etiam. 268.a. Chriſtus ſe apertè cœco nato & Samaritanæ Meſſiam & filium Dei eſſe manifeſtauit. b. Chriſti geſta inter curationem reguli, & curationem paralytici. 295. a. Chriſtus in ſermone cum Iudæis partim quędam de ſe ſublimia, quædam de ſe humilia protulit, & cur. 321. a. Chriſtus

quomo

quomodo dicatur nihil à ſe poſſe facere.322.a. Chriſtus quæcumque facit, ſua voluntate & arbitrio facit, non tanquam ſeruus Patris. 327.a. Chriſto iudiciaria poteſtas data eſt, vt homini.328.a.Chriſto debetur honor diuinus,ſicut & Patri.329.a.Chriſtus æquè Deus eſt, ac Pater.b. Chriſto cur Pater dedit iudicandi poteſtatem, *quia filius hominis eſt*, hoc quomodo ſit intelligendum. 334.b

Chriſtus quomodo erat in cælo quando cum Nicodemo loquebatur. 215.b. Chriſtus ſæpe mortem ſuam in cruce prænunciauit.216.c.Chriſto Dei filio nihil æquè carum Deo fuit,& quas ob cauſſas.229.c. 230.a. Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ tã militantis,quàm triumphantis. 233.c. 234.a. Chriſtus ſe Sponſum Eccleſiæ declarauit decem rebus.b.c.Chriſtus,nec diſcipuli eius oſtiatim mendicarunt,ſed habebant bona in communi. 253.c

Chriſtus quomodo ſe non credebat ijs, qui in ipſum crediderant.183.c.Chriſti ſermo cum Nicodemo tria myſteria ad ſalutem ſpectantia continet, & quæ illa ſint. 186.b. Vbi is habitus fuerit. 187.a. Chriſtus ſublimiorem humana naturam habuit, in qua à Deo magiſter venit. 189.c. Chriſtus venit in mundum, vt per ipſum bene eſſet homini,non vt melius eſſet. 19.b.Chriſtus quomodo dicitur ſolus in cœlum aſcendiſſe.214. c.& deſcẽdiſſe de cœlo. 215.b

Chriſtus per paſſionem ſuam tria ſibi meruit,exaltationem corporis,glorificationem nominis, & iudicariam poteſtatem.335.a.Chriſtus de ſe quatuor affert teſtes omni exceptione maiores, vt ſe probet eſſe Meſſiam & verum Dei filium. c. Chriſtus nihil vnquam literis mandauit & cur. 351. b.Chriſtus ante cibum vti ſolitus benedictione,& poſt cibum gratiarum actione. 367. a. Chriſtum fideles frequentando Euchariſtiam ſuum regem agnoſcunt.372.b. Chriſtus rex Iudæorũ cur nomẽ regis refugerit.377. c. Chriſtus vt homo dat Euchariſtiam. 386.b

Cibus duplex,ſpiritualis & corporalis, & hic perit tripliciter. 385. c. Cibus ſpiritualis quis pereat. 386. a. qui nõ pereat quis ſit. b. ad Cibum ſpiritualem percipiendum præparari nos cõuenit,ſed præparatis eum dat Chriſtus. 387.a

Cibi nomen variè admodum vſurpatur ad ſignificandas res ſpiritituales 269. b.Cibus dicitur obſequium voluntatis Dei, & obſeruantia mandatorum ipſius.270. a. Cibus quatuor præſtat homini,quę obſequio diuinæ voluntatis accommodantur. c

Cibus corporalis quomodo vertatur in ſubſtantiam,ex qua fit nutritio. 445.b

Cibus corporalis non eſt verè cibus hominis.446.b. Cibus ſpiritualis omnino quis ſit,& hic non eſt verus cibus c. Nec cibus mundanus, & quis ille ſit.ead. Nec manna.447. a. Cibus arboris ſcientiæ boni & mali,& arboris vitæ quales fuerint.b. Cibus beatorum quis ſit. c. Cibus ſacramentalis verè cibus eſt.448.a. inter Cibum ſacramentalem & corporalem, quod ſit diſcrimen.449.a. Caro Chriſti eſt maximè ſalutaris & dici non poteſt non prodeſſe. 455.c

Cœcitatis corporalis cauſſa eſt generalis vel particularis, illa eſt peccatum originale. 527.a. particularis triplex, naturalis,humana,& diuina, & quæ illæ ſint. b. c. Cæcitas quæ diuinitùs accidit ad ſeptuplicem cauſſam referri poteſt, & quæ illæ.528.a.b. in cœci nati illuminatione cur Chriſtus cæremonis ſit vſus. 536.a

Cognitio rerum matutina,& veſpertina quæ ſit. 45.c

Concupiſcentia peccatum ab Apoſt. dicitur, & fit peccando acriori & vehementior. 503.b
Cophini & ſportæ quę vaſa eſſēt, & vnde in deſerto eorum copia. 370.a. Cophinus menſuræ quoddam genus fuit, & ſporta numiſmatis. b
Corpus verum Chriſtum non habuiſſe, Manichæi, & aliorū error fuit. 381.b. refellitur.c. Corpus Chriſti æqualis tēperantię & pōderis eſſe non potuit. 382.a. Corpus Chriſti quomodo ſuper aquas ambulare potuerit. b. Corporis Chriſti māducatio duplex eſt, ſpiritualis tantùm, & ſpiritualis & realis ſimul. 414.a. de his agitur apud Ioannem. b.c
De Corporali Chriſti manducatione non agi, quæ rationes probent. 440. b. diluuntur.c. Corporalis manducatio quomodo præſtet hūc effectum, vt qui māducauerit, maneat in Chriſto, & Chriſtus in eo 441. b. c. Corporalis manducationis debitus modus quis ſit. 442.b. Corporis Chriſti præſentiam qui demonſtrent ex his verbis, *Caro mea verè eſt cibus.* c
Corporis Chriſti manducatio in ſacramento poteſt dici figurata. 430. c Chriſtus non definiuit tempus ad hanc manducationem faciēdam, ſed reliquit iudicio Eccleſiæ. 431.a. Corporis Chriſti manducatio eſt neceſſaria, vel in re, vel in voto. 432. a. ad manducationem quādo verba Chriſti obligarunt. 433.a. Corpora noſtra reſurrectionis capacia ideo ſunt, quia Chriſti corpore aluntur. 437.a. Corporis Chriſti manducatio quomodo fiat. 438. c
Corporis Chriſti duplex eſt datio, in Euchariſtia, & cruce. 420.b.
Corpus Chriſti poteſt intelligi ſeptem modis ad manducandum dari, & primo carnali modo. 427. a. 2. pro deſiderio mortis, & 3. pro vehemēti amore. b. 4. myſticè. 5. omnino ſpiritualiter. c. 6. ſacramentaliter tantùm. & 7. ſacramentaliter & ſpiritualiter. 428.a. De reali & ſacramētali manducatione Ioannes agit teſtibus magnis doctoribus. b.c
Corporis humani formatio quot diebus in vtero matris fiat. 180.a. Corpus Chriſti quomodo in vtero matris formatum. b
Creatio rerum tribus perſonis diuinis ex æquo competit. 34. b. c. Res quinque modis fieri poſſunt, quorum primus eſt creatio. 35.a. Creata omnia bona ſunt, & nihil verè & propriè eſt malum. c. in creatione rerum Dei ſapientia maximè elucet, ſecundū quā in numero, pōdere, & mēſura omnia conſtituit. 36. a. Creata ſunt omnia prout Deus voluit, & magna cum facilitate, ac delectatione. b. Creationi cur ſit additum, *& ſine ipſo factum eſt nihil.* 37. a. b. Creatura in Deo eſt creatrix eſſentia & deitas. 43.b. Creata omnia tribus modis etiam antequā fierent, in Deo ſunt. c
Creaturarum perfectiones mixtæ ſunt cum triplici defectu, & qui ſint illi. 44.b. Creaturæ vtrum in ſe habeant eſſe verius, quàm in Deo. 45. a.b
Credens Deo habet vitam æternam, nō poſſeſſione, ſed iure ipſo. 330.b. Credens Deo venit ad iudicium diſcuſſionis, ſed non condemnationis. 331.b
Credere poſſe naturæ hominis eſt, credere autem eſt gratiæ opus. 68.b
Credentes in Chriſtum filij Dei cur dicantur. 70.c
Crucis ſignum pro vexillo Conſtantino oſtēſum, & apud Aegyptios quid figura Crucis deſignaret. 221.a

D

DÆmonibus nullus fuit magis aduerſarius, quàm Chriſtus 192.c
Dare ad menſuram vel cum menſura prouerbiales locutiones ſunt, & quid ſigni

ſignificent. 238. b. Dedit nobis Chriſtus. quæ poſtea à nobis petit. 248.a
Dauid vnde tantam copiam auri habuerit, ex qua poſtea templum Salomonicum eſt ædificatum. 172.c
Democritus, qui ſe excœcauit, vt cõmodiùs philoſopharetur, arguitur. 527.c
Demonſtrare ſicut & oſtẽdere, pro dare in Scripturis ponitur. 325.c
Denuo ἄνωθεν in ſermone Chriſti de batiſmo quomodo ſit accipiendũ. 197.c
Deus eminenter quatuor modis rerum omnium perfectiones continet. 43.c. hoc triplici ſimilitudine ex D. Dionyſio ſumpta declaratur. 44.c
Deus illuminat homines tredecim modis, & qui illi ſint. 58.a.b. Deus quibus modis hominẽ in hunc mundũ veniẽtẽ illuminet variè explicatur. 59.b
Deus ſpeciali quadam ratione hominẽ illuminat, ſed quæ illa ſit. 60.a
Deus in populo Iudaico quomodo dictus ſit habitare. 87.c. Quomodo iam in populo Chriſtiano inhabitet. 88.a. Dei habitatio cum hominibus quanti facienda ſit. b. c. Deum neminem vidiſſe quomodo ſcribat Ioãnes 106. b. hoc quomodo ſit intelligendum. 107. a. Deus Pater numquam apparuit in viſionibus, quæ ſanctis viris factæ ſunt, ſed Deus filius. 114. b. Hoc tamen non planè compertum eſt. c. Deus Pater etiã antiquis viſus eſt. 115. a. Dei opera. 115. a. miraculoſa præſtantiora ſunt iis, quæ natura facta ſunt. 163. a. Dei dilectio in homines eſt incomparabilis, quam Chriſtus tripliciter exaggerauit. 225. b. Dei excellẽtia & magnitudo qualis & quãta ſit. 226.a
Dei proprium eſt mortuos viuificare, & ſuſcitare. 327. a. & iudicare. c
Deus aliquid poteſt facere, quod nos capere non poſſumus. 424.c
Deus Auctor omnis boni eſt, & ad omne bonum concurrit. 470.c
Dij gentium quales olim fuerint. 282.b. Deorum apud gentes cultores quales fuerint. c. Dei operatio continua & perpetua quadruplex quæ, & aliæ etiã. 319.b. Deus factitius eſt falſus, & talis non eſt Chriſtus, ſed verus. 320.c
Diaboli hæreditas ignis æternus eſt. 508.b. Diabolus homicida quomodo ab initio fuerit. c. quid ibi ſit *ab initio*. 509.a. quomodo in veritate non ſteterit, & quot modis ibi ſumatur veritas. c. Diabolus quomodo ſit à Chriſto ſeparatus. 510.b. Diabolus quantùm in ipſo eſt, ſemper eſt mendax: & quando teſtimonium perhibet veritati, diuina poteſtate coactus id facit. c. Diabolus duobus modis potuit eſſe malus, vel natura, vel propria voluntate, qui eum natura malum dixerint. 511. a. non fuit natura malus. b. Diabolus an in primo ſuæ creationis inſtanti ſua voluntate fuerit malus. 512. a. non eſt verum eum ſic malum fuiſſe. b. fuit aliquando bonus, quod probatur. c. homicida ab initio quomodo ſit dictus. 513.a
Dialectici vtuntur propoſitionibus, in quibus præſens tempus non denotat exiſtentiam, ſed connexionem naturalem. 441.a
Dilectio Dei cauſſa eſt prima bonorum omnium. 226. b. eſt menſura bonorũ omnium. 227. b. Dei dilectio in homines qualis & quanta. 228.a.
Diſcipuli Chriſti vt plurimùm, & ignobiles & indocti fuerũt. 5. a. ab his tamen totus ferè mundus ad Chriſtum adductus miraculoſam mundi conuerſionem eſſe teſtatur. b. Diſcipuli qui & quot fuerint virgines. 8.b
Diſcipuli qui interfuerunt nuptiis cum Chriſto, an fuerint Apoſtoli. 156.b
Diſcipuli Chriſti quibus rationibus ſint ad credendum in eum perducti. 169. 170.a
Diſcipulorum interrogatio *quis peccauit*,

duplici videtur reprehenſioni obnoxia. 522.b.c
Diſperſio gentium quid ſignificet. 477. a. Iudæorum quinque erant genera. a.Diſperſio gentium quid ſignificat. 478. a.ad hanc diſperſionem gentiũ Chriſtus per Apoſtolos profectus eſt. b
Doctrina Chriſti diuina & humana, illius proprietates quatuor, eſt Chriſti ſubſtantialiter, non eſt Chriſti originaliter. 469. b. humana fuit triplex, beata,infuſa,& acquiſita, & hæ quomodo Chriſti fuerint,vel non.470.a. *Doctrina mea non eſt mea*,quid propriè ſit. b. Doctrina,quæ ita eſt hominis, vt non ſit etiam Dei, non eſt vtilis, nec vera. c. inter doctrinam profanorum Philoſophorum, & Prophetarum diſcrimen notabile. 471.a.in doctrinis Philoſophorum cur magna diſsẽſio,& in libris diuinis nulla. b. Doctrinæ hominum vitia tria, à quibus abeſt diuina. c
Doni alicuius magnitudo ſex modis æſtimatur, & qui illi ſint.230.b.Donũ Dei, id eſt, Chriſtus, quantum rebus omnibus præcellat. c. Donum hoc, id eſt Chriſtum, ob quem finẽ Deus dederit homini, & dicitur ob res duodecim; & quæ ſint illa. 231. Doni huius fructus eſt generalis, & ad omnes homines pertinet. b

E

Ecclesia prima Chriſtianorum quæ fuerit.267. a. Eccleſiæ fides eſt eadẽ cum ea, quæ fuit à principio. 287.c
Eccleſia cur vtatur in Miſſa corporis Chriſti Euangelio, vbi dicitur, *Caro mea verè eſt cibus.* 443.*b*
Echeneis ſeu remoræ natura mirabilis. 425.c.exempla,quibus huius piſciculi virtus comperta eſt. 426.a
Electio & Prædeſtinatio an homini cõtingat propter Chriſti meritum, an ex ſola Dei voluntate.401.a. facta eſt propter Chriſti meritum, quod probatur.402.a.b. Electio Dei quomodo ſit immutabilis. 460.b.
Epiphaniæ die an diuerſis temporibus Chriſtus à Magis ſit adoratus, baptizatus, & aquam in vinum verterit. 149. b. c
Eraſmus vel malè eſt Catholicus, vel Catholicum vbi ſe eſſe ſimulat.215.c
Errores ſeptem de mundi creatione qui Ioannis verbis,*omnia per ipſum, &c.* confutantur. 31.b.c
Euangelium Ioannis quantum præſtat reliquis Euangeliis. 15.c.ex Euangelio Ioannis Angelos multa didiciſſe ſcribit Chryſoſt. quod diſcutitur. 16. a. refutatur tribus argumentis.17.explicatur ſententia Pauli, qua nixus id affirmauit Chryſoſt. 18.a. Euangelij Ioannis principium legit Aug. in Platonicorum libris.6.a.Euangelium rectè Chriſti doctrina dicitur, & cur. 225.b
de Euchariſtia qua occaſione Chriſtus ſermonem habuerit.343.b.in Euchariſtia triplex eſt Chriſti manducatio, ſpiritualis, & ſacramentalis, & vtraque.c. Euchariſtiam fructuosè non percipit, niſi in Chriſtum credens,& eum amans. 384. b. De Euchariſtia ſermo Capharnai coram quibus habitus ſit.c. de Euchariſtia & manducatione corporis Chriſti ſpirituali & reali agi apud Ioãnem,probatur. 414. b.c. de Euchariſtia Chriſtus præmonuit diſcipulos antequam eam inſtitueret.415.c.de ea præcipui doctores agere Ioannem dicunt cap.6. 416. b
in S. Euchariſtia qualis fiat corporis Chriſti multiplicatio. 372.a
Euchariſtiæ materia non tranſit in animal, quod de ea formatur, ſed quid de ea fiat.397. a. b. Tranſubſtantiatio magnum eſt miraculum & modus, quo illa fit. b. Euchariſtiæ accidentia per ſe ſubſiſtunt, & habent vim nutriendi

triendi.c.Euchariſtiam qui comedũt quomodo non moriantur.411.a.de Euchariſtiæ ſpirituali & reali manducatione, qui dicunt apud Ioannẽ non agi.417.a.eorum rationes refutantur.c. & 418.a. Euchariſtiæ veritas Chryſoſtomi teſtimonio cõprobatur.e. & Theophylacti.419.& Auguſtini. 420.1. a.in Euchariſtia qui Chriſti corpus eſſe negãt 4. grauiter, arguũtur.424.b. Philoſophorum de ea quæſtiunculæ retunduntur. 425.a

Euchariſtiæ ſacramentum ad reficiendam vitam ſpiritualẽ inſtitutum eſt. 432.1.b. Euchariſtia an ſub vtraque ſpecie ſumenda ſit.434.a.b. de Euchariſtia Chriſtus variè loquutus eſt, & modò vnam ſpeciem commendauit, modò vtramque.435.a. Euchariſtia ſub vna tantùm ſpecie corpus & ſanguis Chriſti manducatur. 436.b. per Euchariſtiam Chriſtus manet in nobis, nos in eo.438. a. Euchariſtia inter alia multa ſignificat vnionem corporis myſtici. 439.b

Eunomiani faciebant duplex Dei Verbum,vnum intimum, alterum externum.28.e. eorum error refellitur. 29. b.c. Eunomianorum argumentis ſatisfit. c.29.a

Ezechielis viſio magnam gratiæ vim præfigurans. 256.b

F

Fauſtus Manichæus quibus argumentis probabat Moyſem nullũ de Chriſto vaticiniũ edidiſſe.358.b.c.eiuſdẽ mendaciũ nihil Moyſem de Chriſto expreſsè ſcripſiſſe,ſed per accommodationem Catholicos ad Chriſtum Moyſis Verba retuliſſe.354.a. Fauſti argumento primo reſpondetur.355. a.& aliis. b.c

Feſtum Paſchæ nominari ſolet præcisè feſtum. 295.b. feſta Paſchæ omnia Ioannes ſolus numerauit,quæ fuerũt inter baptiſmum, & paſſionem. c

Fides opus Dei eſt & cur ſic dicatur.391. a.fides ſeptẽ modis dicitur opus Dei, & qui illi ſint. c

Fidei ſoli quomodo Chriſtus rationem conſequẽdæ æternæ ſalutis attribuat. 232.a.hoc quatuor dictum modis eſſe indicatur,& primo de fide caritate formata.b.alij modi. 233.a

Fides tribus modis creſcit & perficitur, extenſiuè, intẽſiuè, & aliarum virtutum adiunctione.170.c.ad fidem homini inſerendam tria concurrere neceſſe eſt,auxiliũ Dei, prædicationẽ & miraculũ.279.b. fidei aſſenſus quàm firmus & certus eſſe debeat.280.a.ad fidem quàm ſit prædicatio neceſſaria oſtenditur.c. fides quandoque infunditur à Deo ſine Doctore.281.a.ad fidem quantum miracula iuuent.e. in figuris veteris teſtamenti, applicandis ad fidei myſteria explicanda quid ſit obſeruandum. 224.a

Filij propter peccata parentum puniri poſſunt corporaliter ,ſed non in animo.525.b.filij Adæ quomodo ob peccatum patris etiam ſpiritualiter puniũtur. c. filijs an propter peccata parentum ſubtrahantur diuina auxilia externa , & interna, dubitatur, & de externis dubio caret. 526.a.b

Fœdus triplex cũ hominibus Deus peregit,& ſimul ſigno aliquo externo obſignauit, & quod illud ſit. 201.c

Fornicatio duplex,vna carnalis,ſpiritualis altera,& quid hæc ſit.506.e.ex fornicatione Iudæi ſe natos eſſe negantes mentiti ſunt.507.a.b.imò verò ex inceſtu Iudæ eum Thamar proſeminati ſunt. c

G

Generatio hominis bonũ magnum, & mors malũ magnũ. 66.a. Generationis humanæ materia quæ ſit, & cauſſa efficiens. 69.c. Generatio hominis eſt triplex, & quæ illa ſit. 196. a. b

a.b
Gentes Chriſti tempore & Apoſtolorũ magis eſſe paratas ad recipiendam fidem, quàm vllo alio tempore quomodo Chriſtus indicet.273.b.Gentiles quibus rationibus adduci poſſint ad fidem etiam ſine miraculis. 281.b
Glorificatio Ieſu mortem & paſſionem eiuſdem deſignat.482.b. Glorificatio Chriſti mors & paſſio eius dici non poteſt.483.a.eſt reſurrectio ipſius,vel potiùs aſcenſio. b. Glorificatus eſt Chriſtus præter reſurrectionem & aſcẽſionem duodecim modis, & qui illi ſint. 484.c.& 485.a.b
Glorificatio Chriſti in reſurrectione cõſiſtit in quatuor corporis dotibus. 486.a. Glorificatio Chriſti futura eſt in extremo iudicio. b
Grabatum qnod genus lecti ſit, & cur Paralytico Chriſtus tollere grabatũ præcepetit. 316.b. Grabatum ferre Chriſtus præcipiens quid myſticè deſignauerit. 317.a
Gratiæ diuinæ neceſſitas his maximè verbis declarata eſt, *Nemo poteſt venire ad me.*&c.398.b.Gratiæ diuinę neceſſitas generalis eſt, declaratúrque hac voce, *Nemo*. c. Gratiæ diuinæ eſt credere,poſſe credere naturę eſt,hoc explicatur. 399. a. Gratia omnis per Chriſtum facta eſt. 402.c
Gratiæ Dei ſex effectus, aquæ effectibus ſimiles,& qui illi.253. a. Gratia Dei à ſolo Deo infunditur homini, & ex corde ſcaturiens, bona opera producit. b. Gratia eſt duplex vna conſummata, alia huius vitæ. c. Gratia Dei tolli inuito homini non poteſt. 254. a.Gratia Dei magis rebus aduerſis angeſcit, quam proſperis.255. b. Gratia ſine libero arbitrio nihil poſſet facere, nec liberum arbitrium ſine gratia. 256. c. Gratia Dei quantam vim habeat ad tollendam ſitim hominis. 259.a.b. Gratia Dei quomodo tollat ſitim in æternum. 260.b. Gratia Dei quid ſit hîc. c
Gratiam Dei homo ex ſe non habet, ſed à Deo factus eſt illius capax. 336. b. Gratia vt conſeruetur tum humanis tum diuinis auget fomentis.c. Gratia Dei à vana gloria interiùs cuſtodienda eſt, exteriùs tamen alijs prælucere debet. 337.a
Gratiam pro gratia nobis dari quid ſignificet.101.c. Gratia eſt donum voluntariè, gratuitéque datum. 102.b. Significat quamdam gratiæ vniuerſitatem. 103.a. Gratia quot & quanta præbeat hominibus beneficia. 105.b. Gratia Dei non tollit liberum arbitrium. 209.a
Gratia Chriſto data quomodo ſit infinita. 237.a.b. Gratia Chriſti triplex data eſt,vnionis,habitualis,& capitis, gratia vnionis eſt infinita terminatiuè.c. Habitualis & capitis quomodo ſit finita vel infinita.328.a.Gratia Dei præueniens in Samaritana oſtenditur & aliis. 247.a. Gratia Dei cur ſæpe ſub nomine aquæ comprehendatur. 252.a

H

HÆretici citra miracula quomodo ſint ab Hæreſi reuocandi. 287.a.b. Hæretici dum ex Scripturis contra Catholicos agunt,inſulsè agunt.288. a.Hæretici ab Eccleſia Scripturas acceperunt. b
Hebraica phraſis eſt, *Quid mibi & tibi eſt mulier*,& quid ſignificet. 162.b
Herodes etſi tetrarcha fuerit, regiæ tamen poteſtatem ſimilem habuit. 277.b
Homines omnes illuminantur à Deo ſufficienter, ſed non efficaciter. 60.b. Hominis cognitio triplex eſt,ſenſitiua, intellectualis naturalis, & ſupernaturalis.147.b. Homo per mundum deſignatur, & quid ſit homo. 227.c

Homi

Homines carnales quàm ſtultè de viris bonis iudicent. 210.b

Hominem non habeo, quot quantique homines dicere poſſint. 315.a

I

IAcob non vidit Deũ, quãdo cum Angelo luctatus eſt. 110.c.111.a

Impius omnis cæcus corde eſt, quid faciet vt videat. 52.b.c

Incarnationis myſterium quibus figuris in veteri teſtamento adumbratum fuerit.79.c. quibus item ſimilitudinibus à Patribus deſignetur.81.b.c. Similitudo à corpore & animo humano ſumpta latius expenditur. 82.a.b. Similitudo hæc qualia habeat diſſimilia. 83.a.b. In Incarnatione octo facta ſunt miracula, tria in animã, tria in corpore, duo in coniunctio.c. 84.a.b

Ioannes Bapt. an priuſquam eum baptizaret, Chriſtum cognouerit, nouem ſententiæ.129.b.c. Ioannes non vidit ſuper Chriſtum bis deſcendiſſe columbam.131.b. Auctoris de propoſita quæſtione ſententia.132.b. Ioãnes tripliciter Chriſtum cognouit.c. Ioãnes Euang. fuerit ſine ſponſus in nuptiis in Cana Galilææ celebratis.151.b.c. hæc opinio falſa oſtenditur.152.

Ioannes Baptiſta qualis lucerna fuerit. 339.a. Ioannes ardebat tripliciter. b. Ioannis de Chriſto teſtimoniũ omni exceptione maius quot modis fuerit.b.c. fuit creditus Meſſias. 340.a. Chriſti de eo teſtimonia duo. b. de Ioanne præclara aliquot Patrum teſtimonia.c.341.a.b. fuit Propheta Altiſſimi, & multa ſimilia.c. ad lucem eius quomodo Iudæi voluerint ad modicum tẽpus exultare.342.a. Ioannem Iudæi tandem ſunt aſpernati, & neglexerunt. 343.a

Ioannes Baptiſta, amicus ſponſi, id eſt, Chriſti, cur ei perpetuò non adhæſit. 255.c. Cur ſe amicum ſponſi id eſt Chriſti vocauerit. c

Ioannis Bapt. teſtimonia de Chriſto cur tam diſertè Euãgeliſtæ expoſuerint. 96.a.b. Ioannes quæ de Chriſto ſit potiſſimum teſtificatus ſunt ſex. c. Ioannes quomodo poſt ſe venturum Chriſtum dixerit.97.b. Ioãnem quomodo Iudæis in mentem venerit eſſe Eliam.118.b. Ioannis ſententiam *Cuius ego non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti*, cur omnes referant Euangeliſtæ & quid ſit. 121.a.b

Ioannis Baptiſtæ cur ſtatim in initio Euangeliſta mentionem fecerit.53.a. Cur homo dictus ſit. b. Cur dicatur Angelus, & miſſus à Deo. 54.b. quomodo miſſus fuerit, & de varia Dei miſſione.55.a. de Ioannis nomine. b. per Ioannem omnes crediſſe quomodo ſit intelligendum. 56.b

Ioanne Euangeliſta laudatore ad Ioannem laudandum opus.1.c. vbi ſe ipſe laudarit maximè, etiamſi humanæ laudis eſſet contemptor. 2.c. Ioannes ſolus nouit, quantum à Chriſto amaretur.3.c. Ioannes antequam à Chriſto vocaretur, non fuit nobilis nec diues.4.a. nec item litteratus. c. Ioannes an fuerit Chriſti conſanguineus, & primò non fuit filius prioris vxoris B. Ioſeph.6.a. nec filius ſororis B. V. Ioannes non fuit Chriſti cognatus.7.b. Ioanni cur Chriſtus Eccleſiã non commiſerit non fuit cognatio, ſed ætas immatura. 8. a. virginem fuiſſe certiſſimum. b. Ioannes qua ætate à Chriſto vocatus fuerit. 9. b. non fuit pene puer. c. fuit viginti nouem annorum, & mortuus eſt anno centeſimo. 10.a. Ioannes ſcripſit Euangelium reuerſus ab exilio, ſub Nerua vel Traiano.11.a. Euangelium poſt Apocalypſim ſcripſiſſe ex quo loco Apoc. colligatur. 12.a. Euange-

lium quando ſcripſerit. b.c. fuit ſcriptum Nerua imperante, vel Traiano. 13. b. Ioannes cur poſt tres Euangeliſtas Euangelium ſcripſerit. 14. & prima eſt cauſſa, quia cæteri multa prætermiſerunt. c. ſecunda vt Cerinthi & Ebionis errorem confutaret. 15. a. b

Ioannes & cæteri Euangeliſtę cùm ſcribunt *poſt hæc*, non indicant temporis cōſequentiam. 297. b. Ioannes extrema commemorat, intermedia relinquens. 298. a

B. Ioſeph an nuptiis interfuerit, quæ in Cana Galilææ factæ ſunt. 156. b. qua ætate fuerit cùm B. Virgo ei nupſit. c. non fuit ſenex. 157. a. B. Ioſeph nō habuit aliā ante B. V. vxorē, ſed perpetuus virgo fuit. b. a. Ioſephus Iudæus exponitur cùm dicit Phariſæos crediderit metempſychoſim. 120. a

Ioſephus hiſtoricus cur non meminerit miraculi ad piſcinā probaticam fieri ſoliti. 310. c

Irenæus ad quinquageſimum annū ſuæ ætatis Chriſtum dicēs perueniſſe, vnde acceperit. 102. b

Iudę trib⁹ mixta cū tribu Benjamin ſola ex captiuitate reuerſa eſt. 507. b. Iudæ tribus Idololatriæ ſcelere cōtaminata fuit. c. Iudæi cur ex patre diabolo nati à Chriſto dicantur. 508. a. Iudæi quomodo tantùm in ætate Chriſti aberrauerunt, vt Chriſtum quinquageſimum ætatis annum attigiſſe dixerint. 516. c. Iudæi cur Chriſtum lapidare voluerint, cùm dixit, *antequam Abraham fieret ego ſum*. 518. c

Iudæi, quibus rationibus citra miracula ad Chriſti fidē adduci poſſint 285. a. b. Iudæorum reprobatio, & reiectio eſt ſignum veritatis Chriſtianæ. c. Iudæorum iſtud perpetuum exilium, & calamitates ipſorum, atque miſeriæ, quæ non aliam ob cauſſam, quā propter veri Meſſię eędem eis obtigerūt, non poſſunt non eos ad fidem adducere. 286. a. b. Iudæi occidendo Chriſtum, ſi is non fuiſſet verus Meſſias, magnam apud Deum gratiam iniiſſent, at contrarium accidit, ergo is erat verus Meſſias, & pro tali eum debent recognoſcere. b. c. Iudęi quomodo cognouerint Chriſtum ſe facere Dei filium, & Deum. 320. 1. a. & in hoc fuerunt intelligentiores, quàm Ariani. b. Iudæi Pſeudochriſtos multos receperunt. 349. c

Iudæi cur in tāta luce, quā Chriſtus attulit, caligauerint & ſint obtenebrati. 51. b. c. Iudæi cur filij Dei ſint dicti, & primogeniti. 70. b. Iudæorum legatio ad Chriſtum non in Chriſti inuidiam facta eſt, ſed alia de cauſſa. 117. c. Iudæi in hoc valde hallucinabantur. 118. a

Iudæi quomodo non haberent peccatum, ſi cæci eſſent. 538. c. Iudæorum peccatum incredulitatis eſt prorſus inexcuſabile. 539. a

Iudæi cur Ioannem Bapt. Eliam eſſe putauerint. 120. c

Iudæi Chriſtum de Magia ſuſpectum reddere volebant, ob doctrinam nemine docēte comparatam. 468. a. Iudæi refutantur. b. Iudæi quomodo Chriſtum ſcirent, & non ſcirent. 473. a. Quæ de illo ignorauerint. c. eorum impudens mendacium. 501. b

Iudæi Chriſtum poſt mortem quæſituri dicuntur malo animo ad ipſum perſequendum. 475. b. vel etiam quęſierunt, quando tempore excidij eius auxilium implorarūt, 476. a. vel quęſierunt, quando ad eum cōuerſi ſunt. b.

Iudæi cur per omnes mundi plagas diſperſi ſint. 356. c. Iudæi Meſſiam regē futurum temporalē ſperabant. 378. a

Iudæi ſerui erant Romanorum, quādo cum Chriſto loquebantur. 501. c. quot poſtea gentibus & populis eorū maiores ſeruierint. 502. a

Iudas

Iudas an fuerit electus à Chriſto, & quomodo partim fuerit, partim non. 459. a.b.Iudas verè electus à Chriſto ad Apoſtolicam dignitatem. 460. a
Iudas quomodo à Chriſto diabolus ſit vocatus. 461.a.a.b. Iudas an tempore electionis bonus fuerit.c.Probabilius eſt fuiſſe bonum. 462.a
Iudicium Dei duplex in morte & poſt conflagrationem mundi, vtrumque exercet Chriſtus. 328. c. Iudiciaria poteſtas Chriſto homini cur data ſit. 334.c. in Iudice,vt perfectè ſuo munere fungatur,tria requiruntur, quæ Chriſtus habuit. 331.b
Iudicium duplex eſt diſcuſſionis & retributionis vnum, & alterum diſcretionis.537.b. Iudicium illud non venit facere Chriſtus,ſed hoc poſterius c. Iudicium etiam Dei Patris ſententiam & decretum Chriſtus venit facere manifeſtum.538.a. Iudiciū hoc quale ſit. b
Iuſtitia Dei ſeueriſſima in peccatores plurimum valet ad eos trahendos 408.a. & iuſtitia benigniſſima benefacta remunerans. b

L

Laborandum nobis eſt, ſi diuinum cibum percipere volumus. 385. b.
Laborandum Chriſtiano manibus ſuis ad viuendum. 387.b
Laurentius Valla noſtrum interpretem malè redarguit. 90.a
Libertas humanæ voluntatis, neque ad malum, neque ad bonum cogitur. 313.b.
Libertas vera duabus in rebus conſiſtit, ſi neque tu ſeruieris, neque maiores tui. 501. b. Libertas hominis ſexruplex eſt, & quæ illa ſit. 504.c. 505.a. Libertas ſpiritus & gratiæ, quæ, & qualis ſit. 505. b. Libertas filiorū Dei quæ ſit. c
Lucernæ tredecim proprietates, quæ ad hominem reſpectu gratiæ Dei accommodari poſſunt. 336. b. c. Lucernæ quatuor neceſſaria ſunt, vt bene luceat. 337. a. Lucernæ cur Ioannes Baptiſta ſimilis perhibeatur.c. Lucernæ vſus & vtilitas quibus modis myſticè à Dauide ſit expreſſa. 338.b. Lucernæ quædam nec ardentes, nec fœtentes. c
Lutū ex ſuo ſputo cur Chriſtus facere voluerit, & quid hoc ſputum deſignauerit. 132. a. Luto ad ſanandos oculos cur Chriſtus vti voluerit. c

M

Macedoniani quomodo peruerterent illa verba, *quod factum eſt in ipſo*.39.b.c. & Manichæi. 40. Vtraque lectio, & intetentio horum hæreticorum arguitur. b.c
Maldonati interpretatio horum verborum, *Spiritus vbi vult ſpirat*, auctori maximè probata. 211.a
Malitia quorundam quomodo naturalis dicatur. 512.a
inter Manna & panem, quem Chriſtus Iudæis daturus erat, multiplex differentia.392.b.c. Manna dictum eſt panis Angelorum: ſed Euchariſtia ratione potiori ſic dicitur.c. Manna fuit tantum figura Euchariſtia. 393. b. Manna non ſeruabat à morte comedentes, Euchariſtia ſic. c. Manna fuit viaticum in peregrinatione: Euchariſtia tum viaticum eſt, tum in altera vita præmium.394.b. Manna ſupplebat defectum cibi, Euchariſtia, & cibum & potum ſuppeditat. c. in Manna multa fuere miracula: in Euchariſtia plura, & maiora.395.b. Māna habuit omnem ſaporis ſuauitatem, ſed probis tātùm, non improbis.c. Miracula alia.396.a.b. Euchariſtia quot & quanta continet miracula. 397. a. b. Manna in deſerto qui manducauerunt mortui ſunt, de quibus hoc in-

telligatur. 412. a. b. Caietani interpretatio & Auctoris. 413. a b

Maria V. nullū prorſus in tota vita peccatum habuit. 159. a. M. V. quando Chriſtus locutus eſt, *Quid mihi & tibi eſt mulier*, quid voluerit ſignificare, quatuor modis oſtenditur. c. 160. a

Maria virgo cur dicatur Dei mater, licèt corporis tantùm ſubſtantiam præbuerit. 82. c. contrà M. V. tres errores mali ex illis verbis, *Quid mihi & tibi eſt mulier*, breuiter arguuntur. 157. c. an in illa fuerit aliqua iactantię labes, dum Chriſto dixit, *vinum non habent*. 158. b

Matrimonij tres dies ſiue tempora, & quæ ſint illa. 147. c. Matrimonij tria bona, fides, proles & ſacramentum, quibus perſonis ſignata ſint. 153. b

Meſſias ſecūdùm ſex erat notus Iudæis, & quæ illa fuerint. 474. a. & ſecūdùm alia erat iiſdem ignotus. c

Meſſis quando fieret in Palæſtina, & quid per meſſem deſignatur. 272. b. Meſſis nomine vtriuſque aduentus Chriſti tempus rectè deſignatur. 273. a. Meſſores triplicem mercedem recepturos eſſe, quomodo Chriſtus indicauerit. c. Meſſores & ſeminantes cùm diuerſi eſſe dicantur, quinam ſint hi iuxta noſtrum Irenæum. 274. c

Metreta vini menſura capiebat duodecim congios, & cōgius ſex ſextarios, ſextariis vnam foglietam; & quintam partem illius. 164. c

Miracula ſunt ſigilla, quibus doctrina, quæ prædicatur, oſtenditur eſſe vera. 190. c. Miracula quæ facta ſunt à Chriſto, non per aliam, quàm per Dei potentiam fieri potuerunt. 191. b. Miracula Chriſti impij homines quibus cauſſis tribuerunt. c. Miracula Chriſti vera fuerunt, eorum teſtimonio qui ea viderunt. 192. b. Non fuerunt facta Dæmonum artificio, & machinamentis. c. Non fuerunt virtute naturali perpetrata. 193. a. Miracula Chriſti ſine infinita Dei potentia fieri non potuerunt. c

Miraculum maximum eſt conuerſio totius mundi facta per homines imperitos, & ignaros. 289. a. ſine Miraculis mundi conuerſio facta non eſt, aut hoc, ſi ſine miraculis factum eſt, miraculum eſt. b

Miraculum Chriſti primum, an illud fuerit, quod in Cana factum eſt. 169. b. c. Non fuit primum abſolutè, ſed ratione eorum, quibus gloriam ſuam manifeſtauit. 168. a. Miracula Chriſtus nō debuit facere in infātia, & pueritia. b. c. per Miraculū hoc quā gloriam ſuam Chriſtus manifeſtauerit. 169. a. Miracula Chriſti mouerunt Apoſtolos, vt Chriſtum ſequerentur. 171. b

Miracula Deus ſolet facere vno potiùs in loco, quàm in alio. 307. b. Miracula multa ab alijs Euangeliſtis prætermiſſa Ioannes refert. 310. b

Miraculum quinque panum quo tempore ſit factum. 364. a. hoc Miraculū cur Ioānes copioſè exponere voluerit ab alijs antea expoſitum. b. in Miraculi huius expoſitione inter Euangeliſtas ſextuplex varietas. 366. a. octo diſſonantiæ, quæ inter Euangeliſtas reperiuntur. 367. b. Miraculum quinque panum fuit diuerſum à miraculo ſeptem panum. 369. b. ſine Miraculo panū quomodo potuerit Deus fami tantorum virorum ſuccurrere. 373. c

Mors Chriſti varijs nominibus in Scripturis dicitur. 467. b

Mortui quomodo vocem Chriſti audiant. 331. c

Moſaicæ & Chriſtianæ legis differētia. 231. c. Moſaici & Chriſtiani cultus quatuor differentiæ. 264. a. Sub Moſe erant aliqui Chriſtianizantes, vt ſub Chriſto aliqui ſunt Iudaizātes. 265. c inter Moſem, & Chriſtum antitheſis

præcla

præclara, qua Chriſti excellentia demonſtratur. 103. c. inter Moſaicam & Euangelicam leges quæ ſit differentia. 104. b. Moyſes legis veteris promulgator fuit, Chriſtus nouę auctor, & largitor. 105. c. Moſem vidiſſe Deū qui Patres ſotibant. 107. c. Qui dicant non vidiſſe. 108. b. c. quæ ſententia ab Auctore probatur. 109. a. b. Moſes non vidit Deum in mente. 110. a. Quomodo Deum vidiſſe dicatur. 112. a

Moſes Iudæorum accuſator futurus eſt, eo quòd in Chriſtum credere noluerint. 351. a. Moſes varijs modis de Chriſto teſtificatus eſt. b. in quibus ipſe eum præfiguratus eſt. c. Moſis de Chriſto vaticinia. 312. b

Multiplicationes rerum ſeptem factæ in Scriptura memorantur, & quæ ſint illæ prꝑter multiplicationem panum. 371. a. b. inter multiplicationem panum & S. Euchariſtiam, quæ ſit proportio & conuenientia. c. Multiplicatio quinque panum quomodo ſit facta. 374. b

Mundi nomine cur homines Euangeliſta ſignificauerit, dicens, *Sic Deus dilexit mundum*. 228. b. Mundum cur Deus diligere dicitur, cùm Scriptura vetet illum diligere. c. Mundus tripliciter in Scriptura dicitur. a. Sumitur pro Prædeſtinatis. 229. a

Mundi & Dei in proponendis huius vitæ bonis & malis quanta ſit differentia. 166. c

Myſteria ſua ſolebat Chriſtus prædicere, ac prænunciare. 415. b

N

NAſci ex Deo quid ſit, & quibus in rebus conſiſtat hæc natiuitas. 70. a

Naſcitur homo flens, nudus, & curuus, & quid hoc ſignificet. 196. a

Nathanael an fuerit ex Chriſti diſcipulis vnus, præciſe id negat Auguſt. 136. b. Affirmat Rupertus. c. Rationes quę probant hunc fuiſſe Apoſtolum & eundem, qui Bartholomæus dictus eſt reijciuntur. 135. b. c. Nathanael non fuit ex numero Apoſtolorum. 138. c. idē nō eſt, qui Bartholomæus dictus eſt. 139. b. An fuerit de numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum dubium eſt. 140. a

Neſtorij erroris fundamentum quale ſit, & euertitur. 87. a. b

Neſtorij argumentum duas perſonas in Chriſto aſſerentis, diſſoluitur. 437. b

Nicodemus ſex maximè in rebus inſignis fuit, & memorabilis, & quæ illæ fuerint. 187. b. c. Nicodemi nomine Euangeliū quoddam euulgatū fuit, & Chriſti cauſſa martyr occubuit 188. a. ad Chriſtum cur Nicodemus nóctu venerit. b. Nicodemi hæc verba, *à Deo veniſti magiſter*, nouem res de Chriſto continēt, & quæ illæ ſint. 189. a. b. Nicodemus quandā à Chriſto percunctatus eſt, priuſquam illū de Baptiſmo Chriſtus inſtrueret. 194. b

Nihil tripliciter in Scriptura ſumitur. 37. c

Niſi particula frequenter à Chriſto vſurpata ad oſtendendam rei neceſſitatem. 155. a

Nominis impoſitio à Deo iuſtiè facta. 135. b

Nuptiæ quę in Cana Galilææ ſunt celebratæ, à qua tertia die factæ fuerint. 146. a. b. Illius diei myſtica interpretatio. 147. a. b. Nuptias ſpirituales quomodo Chriſtus cum homine tertia die faciat. c. Nuptiæ in Cana Galilææ quo anno & tempore ſint celebratæ. 151. b. nuptiis his cur Chriſtus intereſſe voluerit. 153. a

O

OPera Dei miris modis manifeſtata ſunt, & primò per creationem rerum omnium. 529. a. deinde in punitione Angelorum & hominum, &

deinceps in multis aliis. b.c. Operum Dei manifeſtatio coniuncta ſemper eſt cum Dei gloria,& cum hominum bono,vel etiam malo.530.b.Operum Dei manifeſtatio comprobat veritatem doctrinæ, quã quis prædicat. c
Opera bona veritatem Chriſtianæ doctrinæ maximè oſtendunt.
Opus Dei in Scriptura nominatum eſt quadruplex:& primum eſt generis humani redemptio. 390.b. alia Dei opera. c
Opus Dei, quod Chriſtus perficiendũ venerat,quodnam ſit.271.a.fuit manifeſtare mundo veritatem Dei,& ſaluare homines per ſuam mortem. b.Opus prædicatorum quale eſſe debeat.c. Opera ordinaria facit Deus per cauſſas naturales,extraordinaria, per ſupernaturales. 302.b
Origenis error Ioãnem Baptiſtam cum Chriſto incarnatum,Angelum fuiſſe 53.c. reijcitur hic error, & probatur Angelum non poſſe incarnari. 54.a. Origenis error animas in cœlo peccaſſe,& propter peccatum in corpora fuiſſe detruſas,vnde ſumptus. 63.b. refutatur.64.b. c. & deinceps.
Origenis error filium Dei non videre Dei eſſentiam reijcitur. 112.c.113.a

P

Panis in Scriptura quadrupliciter memoratur.372.c. Panis benedictus in quibuſdam Eccleſiis datur.273.a. Panis hordeacei triã miracula in Scriptura narrata. 376.a
Panem Chriſti qui manducat, quomodo non moriatur.413.c. Panis qui datur in Euchariſtia,an ſit corpus Chriſti.420.c. Panis quomodo verè dicatur eſſe corpus Chriſti. 421.b
Panem fore Chriſti corpus Capharnaitæ intellexerunt.422. b. ſi in hoc erraſſent Euangeliſta, vel Chriſtus eos correxiſſent. c
Paralytici curatio ad piſcinam, quando facta ſit.294.c. hæc curatio quonam die feſto acciderit, an Pentecoſtes. 296. a. vel in feſto renouationis ſecundi templi.b.c.fuit in feſto Paſchę. 255.a
Paralyticus quot annis infirmus fuerit, & quid deſignet. 311. b. Hunc cur Chriſtus potiſſimùm curandum delegerit.312.a.eum cur Chriſtus interrogauerit, an ſanari vellet.c. patientia eius & modeſtia commendatur. 314.a.Paralytici verba exponuntur.c
Paſſionis Chriſti expreſſiſſima figura Serpens in deſerto eleuatus.217.a. Paſſionẽ Chriſti quomodo ſerpens æneus reprę̃ſentarit. b
Patris & Filij vna & eadem potentia eſt, & voluntas.323. b. Patrem facere ea, quę ſimiliter Filius facit,quid ſit.323. b.Pater & Filius quomodo cócurrãt ad vnum, eundemque effectum. c. Pater quomodo omnia Filio demonſtret. 324.b. Pater Filio quomodo ſit maiora demonſtraturus.325.a. Pater quę maiora Filio ſit demonſtraturus. 326.a. Pater non indicat quemquam iudicio viſibili, ſed inuiſibili omnes. 328.b
Patrem eſſe ſubſtantialiter in Filio, & proinde Filium Patri eſſe conſubſtãtialem, vnde probetur.450.a.b.Pater habet vitam diuinam ſubſtantialiter in ſe, & Filius habet vitam diuinam propter Patrem.c.Patris & Filij vnio qualis ſit. 451.b
Pauli vocatio verè dici poteſt tractio ad Chriſtum. 405.b
Paulus Samoſatenus quid de Chriſti diuinitate ſenſerit,& vnde ſuum errorem ſumpſerit.333.b.Refellitur. c
Paupertas Chriſti & diſcipulorum eius, & neceſſariorum eius incuria. 248.b
Peccans omnis ignorans eſt, & hominẽ exuit

exuit. 314.b.
Peccata magna magna Dei miſericordia indigerit. 311. e. à peccato ſurgere quid ſit. 316.a
Peccata mundi, quæ Chriſtus ſuſtulit, quæ ſint. 128. b. Peccatum originale eſt totius mundi peccatum. c
Peccati ſeruus ſex modis aliquis, qui in peccato eſt, dici poteſt, & qui illi ſint. 503. a. b. Peccati ſeruitus omnia habet, ſed grauiora, quæ inſunt in ciuili ſeruitute. e. 504.a
Peccatores Deum non exaudire an verum ſit. 535. b. Peccatores quibus modis Deus exaudiat. e. Peccatores an & quomodo ſigna & miracula facere poſſint. 536.b
Peccatum affert homini quadruplicem ſitim ſpiritualem. 259.e
Per, præpoſitio, quatuor modis ſumitur. 32.b. Quomodo ſumenda ſit cùm dicitur, *omnia per ipſum facta ſunt.* 33.b. Per, præpoſitio, ſignificat cauſam principalem, & tribuitur Patri. c. Per Verbum cur omnia dicantur facta nō per Patrem, vel Spiritum S. 34.a.b
Petri nomen quando fuerit ei à Chriſto impoſitum. 134.b. ei fuit primùm inditum, quando id Ioannes ſcripſit. c. Petrus & Andreas ſæpiùs vocati à Chriſto leguntur. 140.b. quæ certa in his ſint. c. Ter ſunt diuerſis temporibus à Chriſto vocati ſecundùm quoſdam. 141. b. bis tantùm vocati ſunt 142.b
Petri confeſſio de Chriſto duplex fuit, ſed cur vni datum eſt præmium, alteri non. 457. c. Non fuit, quia alia fuit prior, hæc poſterior, ſed quia maiori deuotionis ſenſu prolata eſt. 458.c
Philoſophi gentiles habuerunt puteos, ſed adumbratæ veritatis, non aquæ viuæ; quod de præcipuis oſtenditur. 246. b. habuerunt ciſternas diſſipatas. c
Philoſophi quibus in quæſtionibus naturalibus muri planè ſint. 425. b. Philoſophorum ignorātiæ duo ſunt perfugia, & quæ. 426.c
Plato tres Deos diſtinctos poſuit, Patrem, λόγον, & omnia mundi. 19.a
Plenum gratiæ & veritatis, non ad Ioannem, ſed ad Verbum eſt referendum. 92. b. Plenum gratiæ & veritatis cur Verbum dicatur. e. Plenitudo alicuius rei dupliciter attendi poteſt, quo duplici modo Chriſtus habuit gratiæ plenitudinem. 93. b. Plenitudo gratiæ fuit Chriſto propria, nec alijs eſt cōmunicabilis. 94.e. Plenitudo gratiæ triplex eſt, ſufficiens, ſuperabundans, & ſuperfluens. 100.b. *De plenitudine eius*, quam vim hîc habeat præpoſitio, de. c
Pœnitenti duo ſunt neceſſaria, odium vitæ præteritæ, & ſanctæ poſtmodum vitæ deſiderium. 313.a
Pœnitentiæ ſacramentum per aquæ turbationem deſignatur. 305.b
Potentia credendi triplex, & quæ illæ ſint. 399.a.b
Prædicator in loco vbi contemnitur, cur prædicare non debeat. 276.e
Prædicatores magnam in victu, & veſtitu cōmoditatum deſpicientiam præ ſe ferre debent. 375.c
Principium ſignificationes plurimas habet, ſed duas præcipuè. b. e. Præcipua eſt, qua principium pro initio durationis qualiſcūque ea ſit, ſumitur. 7.b
Principium qui & loquor vobis variæ expoſitiones, & prima Ambroſij. 495. b. Alia Auguſtini horum verborum interpretatio. 498. a. Eraſmi in hanc interpretationem cenſura reprehenditur. e. Principium dupliciter dicitur in Theologia, ad intra, & ad extra 499.a. Horum verborū græca lectio quæ ſit, & eius expoſitiones. b. c. prima eſt expoſitio Euthymij. 500. a. aliæ duæ expoſitiones. b.c.
Probatica piſcina vnde dicta ſit. 298.c.

Probatica nomen eſt adiectiuum, & cur dicatur piſcina, cùm in ea non eſſent piſces. 199.a. Probaticæ piſcinæ deſcriptio ex Brocardo. c. Piſcinæ multæ fuerunt Ieroſolymis. 300. a. circa Piſcinam iacẽtes ægroti deſcribũtur. 301. b. ſex res in illa Piſcina mirabiles fuerunt. c

Prophetæ intellexerunt ea, quæ ab illis prædicta ſunt. 214.a

Prophetæ qui Iudaicum populum excoluerunt, cur in eo excolendo plurimùm elaborauerunt. 275. a. b. Prophetarum labor, & ſi maior fuerit, quàm Apoſtolorum, non ideo tamen illi maius præmium reportarunt. c. Propheta cur in patria ſua minùs quã alibi honoretur. 276. a

Pueri nomen nõ ſemper puerilem ætatem denotat. 368.b

Puteos habuerunt philoſophi gentiles, ſed adumbratæ veritatis. 246.a.b

Pythagoras & Socrates nihil litterarum monumentis mandarunt. 358.b.

Q

Qvadraginta annos habere, vel quinquaginta an Chriſtum Iudæi dixerint. 316.a

Quaſi & tamquam, non ſimilitudinem, ſed rei veritatem indicant. 90.b

Quomodo fieri poteſt, erumpit ſtatim atque cogitatio incredulitatis mentem ſubit. 423. b. Hæc vox omnia Chriſti miracula euertit. c

R

Regeneratis ex Spiritu licere facere, quodcumque voluerint, error, vnde ſumptus ſit, 212. c. Regenerati, ex Spiritu non indigere magiſterio alterius, ſed per ſe Scripturas intelligere, alter error eſt, ex eodem loco ſumptus. 213. a. confutantur. b.

Regis titulum in Cruce cur Chriſtus nõ refugerit. 378.c

Regnum Dei videre, & regnum Dei intrare idem ſunt, & quid ſit Regnum Dei quatuor expoſitiones. 200.b. Regnum Dei duplicem habet ſtatum, vnum in hac, alterum in altera vita. 201.a

Regulus G. βασιλικός, vel vt nunc legimus βασιλικὸς, apud Ioannem quid ſignificet & cur ſic dictus ſit. 277. a. b. An fuerit gentilis, & dicitur fuiſſe Iudæus. c. Illi facta increpatio ad quos pertineat. 278.b

Religio Chriſtiana quę & qualia doceat rationi maximè conſentanea. 283.a. eius ſumma honeſtas, & cõgruentia cum recta ratione. b. reddit eos, qui eam externis gentibus prædicant, & amabiles, & admirabiles. c. Religionis Chriſtianæ myſteria fuiſſe à Prophetis Iudæorum, & vatibus gentiũ Sibyllis prædicta quantam vim habeat, ad eius veritatem oſtendendam. 284.b. Religionis Chriſtianæ magna eſt cõfirmatio teſtimonium Spiritus S. quod in corde hominis iuſti facit. 290.b

Res vna fit alia cũ ſui mutatione quinque modis, & qui ſint illi. 75. b. & quatuor modis vna res fit alia ſine vlla ſui mutatione, & qui illi. c

Reſurrectio quædam particularis mortuorum à Chriſto facta eſt, generalis fiet. 331.b

Romani in cõuiuiis eos, qui ſibi erãt cariſſimi iuxta ſe collocabant. 316.a

Romanorum in cõuiuiis mos fuit in lectis pedibus bene lotis accumbere. 125.a

S

Sabbati violationem quibus modis Chriſtus à ſe depulerit. 318.b

Sabbato etiam Deus operari probatur à

Chri

Chriſto.c. Sabbati obſeruationis quę ſit vera intelligentia. 319.a
Per Samariam cùm Chriſtus iter haberet, duo contigerunt memorabilia. 467.b
cum Samaritana cur tam blãdè Chriſtus locutus ſit, qui tam duriter cum Chananæa locutus eſt. 247. b. ab ea cur Chriſtus potum petierit. c. cum Samaritanis, cùm vetuerit Chriſtus diſcipulis habere commercium, cur illi in eorum ciuitatem ingreſſi ſint. 249. b. Samaria vnde dicta, & qui eam habitauerint. c. Poſt captiuitaté decem tribuũ, qui eam habitauerint. 250. a. corrupti fuerunt multis erroribus. b. Samaritanos cur Iudæi oderant, & dicuntur eſſe octo cauſſæ. c
Samaritanorum & Iudæorum magna fuit de templo altercatio, & quinam illud verum templum poſſiderent. 251. b. ad Samaritanos transfugerũt, quotquot ex Iudæis ſcelera cõmiſerant. c. Samaritani Chriſti tempore ad fidem, & religionem propenſiores fuerunt. 252.a
Scientia certa Dei futurorum conditionalium ex quo loco colligatur. 378. c. Scientiam acquirendi triplex eſt modus, & Scientiam multi acquiſierunt, ſine doctore & magiſtro. 468. b. c. Scientia rerum diuinarum varijs modis haberi poteſt, & quibus. 469.a
Scripturæ diuinæ mos eſt vnũ miraculũ per aliud probare. 454. c. *Sicut dicit Scriptura, &c.* hoc vbi in Scriptura habeatur, & primo Chryſoſtomi ſententia. 479. a. aliæ ſententiæ Caietani, & Hieronymi. b. 480. a. reiiciuntur. b
Scripturæ hæc verba, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, non haberi in tota Scriptura eſt Ianſenij ſententia. 481. a. Quæ autem per eum Scripturæ loca deſignentur. b.c
Scripturæ à litterali ſenſu diſcedendum, non eſt, niſi manifeſta obſtet falſitas, aut abſurditas. 415. a. Scripturæ litteralis ſenſus quis cenſendus ſit. 416. a. in Scriptura præcepta quandóque dantur ſingulis & omnibus, & quædam communitati, ſed non ſingulis. 435.b
Scrutari Scripturas an Chriſtus Iudæis præceperit, vel indicauerit. 343. b. Scrutari Scripturas maius quiddam eſt, quàm legere, vel euoluere, & quid ſit. 344. b. Scrutatio Scripturæ multiplex & varia. 346. b. Scrutatio Scripturæ vana, & diabolica quæ ſit; 347. b. Scrutatio Scripturæ bona & vtilis quæ ſit. c
Scriptura eſt perobſcura, & multa indiget perſcrutatione. 344. c. Scripturæ inſigniores, quæ de Chriſto teſtimonium perhibent. 435. a. b. c. 346. a. ad Scripturas intelligendas diuina illuminatione opus eſt. 344. c. Scripturis quomodo ſit ſtudendum, aliiſque ſcientijs. 348. b. c. Scripturis nullũ eſt valentius argumentum tam contra Iudęos, quàm contra Ethnicos. 366.b
Serpentum pœna cur Deus in deſerto Hebræos afflixerit. 217. c. Serpẽtes illi quomodo igniti fuiſſe dicantur. 218. b. Serpentum plagas cur Deus adſpectu ſerpentis ſanare voluerit. c. Serpentem æneũ cur Deus voluerit fieri. 219. b. Quatuor ob cauſſas Chriſti paſſionem hic ſerpens repręſentabat. c. Cur Serpens in deſerto exaltatus fuerit. 220. a. Serpentem æneum pro ſigno cur Deus poni voluerit. c. a. Serpentibus percuſſos cur Deus voluerit Serpentis adſpectu curari. 221. b. Morſi à Serpentibus cœci aliqui an fuerint. c. Serpẽtem cur Deus ex ære, non ex auro fieri voluerit. 222.b
Serpentem cur vnum tantum Deus fieri voluerit, non plures. 222. c. Serpentis myſterium, id eſt, Chriſti paſſionem illo ſerpente præfiguratam, an Moſes intellexerit. 223. b. Serpens Moſai-

cus tribus maximè in rebus Chriſtũ præfigurauit. 224. in alijs rebus diſſimiles. c

Sic particula, cùm dicitur, *Sic Deus dilexit mundum*, quid denotet. 226.a

Sichem ciuitas ab Herode amplificata in honorem Auguſti Sebaſte appellata eſt. 249.a

Sicut, particula per Hebraiſmum non habet coniunctam particulam ſic, vel ita, quæ tamen intelligitur. 448.b

Sicut, particula aliter cùm de diuinis perſonis agitur, ſumitur, & aliter cùm de creaturis, vel inter ſe, vel cum Deo comparatis. 326. b. c

inter Signa & prodigia an aliquod ſit diſcrimen. 278. c. tale diſcrimen in Scriptura non habetur. 279.a

Signandi res triplex eſt apud homines ratio. 388.1.a. Signatus eſt Chriſtus à Patre ſeptem modis, & qui illi ſint. b.c

Siloë fons vbi eſſet, & vis aquarum illius fontis, & quanta ſint in veneratione aquæ illius fontis apud Turcas & Saracenos. 533. b. Siloë cur Ioannes adiunxerit, *quod interpretatur Miſſus*. 534. a. Siloë fons vnde originem habuerit. b.

in Siti corporali ſex res inueniuntur, & quæ illæ. 257. c. Sitis duplex eſt, bonorum temporalium & æternorum, & illa etiam triplex eſt, & hæc quintuplex. 258. b. c. Sitis quid ſit apud Ioannem, quam gratia extinguit. 261.a

Spiritus, id eſt, venti quinque proprietates, quomodo conueniant Spiritui S. 207.b. Item 208. a. b. Spirituali viro adaptantur proprietates, quæ conueniunt Spiritui S. 209.a. b. Spiritum quomodo non dare ad menſuram Deus dicatur: idque duobus modis exponitur. 236.a. hoc de Chriſto intelligitur. c. Spiritus eſt Deus, & ſic ſpirituali potiùs, quàm corporali cultu delectatur. 266.a

Spiritui S. quomodo illud, *ſed quæcumque audiet, loquetur*, poſſit accommodari. 10. b. c. Spiritus an pro vento hîc ſumatur, *Spiritus vbi vult ſpirat*, vel pro Spiritu S. 202.b

Spiritum S. Chriſtus dedit Apoſtolis poſt aſcenſionem, tribus modis, quibus antè non dederat. 484.a

Spiritus vbi vult ſpirat, tres venti hîc proprietates deſignantur. 203. a. Spiritus quinque aliæ proprietates, vt pro vento ſumitur. 204. b. Spiritum non ſumi hîc pro vento, quæ rationes probent. c. ſed refelluntur. 205. a. Qui hæc verba de Spiritu S. interpretantur. c. Spiritus S. proprietates his verbis explicatæ. 206.a.b

Sponſalitij Chriſti & Eccleſiæ quæ ſint in Scriptura figuræ, & quot. 235.a

Studentium quinque ſunt genera ex D. Bernardo præclarè. 348.c

T

Tabernaculum ſæpe pro corpore humano vſurpatur. 86.c

Talenti valor varius fuit ſecundùm diuerſas regiones. 172. c. Talẽtum apud Hebræos duplex, vnus ſanctuarij, alter communis. 173.b

Tempeſtatis ſedatæ miraculum idem eſt, quod Ioannes & Matthæus, Marcúſque commemorant. 374. c. diuerſitas narrationis non facit diuerſitatem miraculi. 780. a. b. Sodatæ tempeſtatis miraculum, multis alijs fuit coniunctum. b

Templum Ieroſolymitanum ter fuit diuerſis temporibus conſtructum, & primò à Salomone. 171. c. Templi Salomonici conſtructio qualis, & eius magnificentia. 172. c. Expenſæ quibus hoc templum factum eſt. 173. a. Templum Salomonicum quamdiu ſteterit. 174.

rit. 174. a. Templum Zorobabelis quot annis conſtructum fuerit, & de eo verum eſt quod dicunt Iudæi. 175.c

Templum Zorobabelicũ quamdiu ſteterit, & quantæ in eo impenſæ factæ ſint.175.b.c.Longè fuit inferius templo Salomonico. 176.a. Aggæus cur prædixerit ſecundi templi maiorem futuram gloriam, quàm primi, de hoc, Hebræorum commenta. b. c. Templum ſecundum ab Antiocho profanatum. 175. a. b. eius gloria, qua præceſſit primum, fuit quia Chriſtum recepit. c. Templum Herodis quando conſtructum, & eius magnificentia. 178. b. Hoc templum non fuit nouum, & diuerſum à ſecundo templo.179.a. quamdiu ſteterit. b. ad inſtar huius templi ſecundi quomodo Chriſti corpus dicatur formatum eſſe quadraginta ſex diebus ab Aug. 180.a. b. Templum Deo gratiſſimum animus humanus eſt.266. b. in Templo fuit magnus fons, & ſub terra magna aquarum receptacula. 300.b

Tenebras quid vocauerit S. Ioannes ſcribens, *& lux in tenebris lucet.* 49. c. Intellexit homines præcipuè, qui peccatis detinentur. 50. b. vel etiam Iudæos perfidos, quos Chriſtus doctrina ſuá non illuminauit. 41.b

Trahi verbum duo denotat, & gratiam præuenientem, & efficaciam. 403. c. Trahi quis poteſt non inuitus, ſed volens, maximéque cupiens tractione corporali. 404. b. Trahendo Deus facit ex nolente volentẽ. 405. a. Trahit peccator carnem ſuam rebellem, & inuitam ad Chriſtum. c

Trahitur homo à Deo, & à creatura diuerſimodè. 406. b. Tractio à creatura infallibilem effectũ non habet, Deus autem effectiuè & obiectiuè trahere poteſt.c. Trahit Deus viſus hominem ad ſe in altera vita neceſſariò, in hac vita non, ſed ſolùm amoris fomentis. 407. a. b. an qui à Deo non trahitur, ſua culpa non trahatur. 409. b. Tu ſi non traheris, cura vt traharis Aug. reſponſum. c

Trahitur homo à Deo ad Chriſtum, ſed præcedentibus aliquibus motibus. 410. c. Quomodo quis fiat idoneus, vt trahatur ex illis motibus, per gratiam præuenientem excitatis. 411.a

S.Trinitatis opus eſt tractio ad Chriſtũ, Patri tamen tribuitur. 400.c

V

VEnire Chriſtum in nomine Patris quid ſit. 349.c

Venire in mundum, & exire de mundo quid ſit. 62.b

Venire in hac Chriſti ſententia, *nemo poteſt venire*, &c. denotat libertatem arbitrij. 399. c. Venire ad Chriſtum quatuor modis homo dicitur, & quibus. 400. a. Veniens ad Chriſtum homo aliquid in ſe inuoluntarium patitur. 404.c

de Verbo Dei quæ tradit Ioannes in 1. cap. ſex ſunt, & quæ illa. 4. c. de Verbo Dei Philoſophi qui ſcripſerint D. Ioannis Euangelio conſentanea. 5. a. Amelij verba de Deo Verbo ex Ioãne tranſſumpta. c. Verbi Dei æternitas quomodo in Scriptura declaretur. 8.b

Verbum cur Ioannes in principio Euangelij potiùs nominauerit quàm filiũ. 21. a. b. *Verbum erat apud Deum*, his verbis ſex denotantur, & quæ illa ſint. 22. a. b. Verbũ eſt diuina perſona per ſe ſubſiſtens. c. Verbum eſt diſtincta à Patre perſona, & non confuſa. 23. a. Verbũ cùm dicitur eſſe apud Patrem, vel cum, vel in, vel ex, vel de & ſimilibus, quàm vim habeant hæ præpoſitiones. 23. b. c. *Deus erat Verbum.* Verbum eſt ſubiectum, Deus prædi-

catur.24.c. Verbum ſeu Filius quādo Deus dicitur, præpoſitum habet articulum quandoque. 20.a. Verbi Dei cum Patre cōiunctio, quomodo æterna fuiſſe declaratur. 28.b. Verbum Dei factum nō eſt. 35.c. per Verbum quando omnia facta dicantur quinque documenta extrahuntur & quæ illa. 38.a.b. Verbum eſt verus Deus. c de Verbo cur potius dictum ſit *erat*, quā *fuit*, *vel eſt*. 10.c. Verbi æternitas quater per Verbum *erat* indicata eſt contra errorem Arij, & Photini. 11.a. Verbi æternitas etiam per verbum *fuit* & *eſt*, indicata. b. contra Verbi æternitatem Arianorū argumentum futile diſſoluitur. 12.a. b. Verbum etſi productum, eſt tamen æternum, quod multis modis oſtenditur. b. c. in qua ſignificatione Filius ſit Verbum. 14.a. b. Verbum Dei dictum eſt ad ſimilitudinem mentalis. 15.b

Verbi, decem ſunt ſignificationes in Scriptura vſitatæ, & quæ illæ. 13.b. Verbum mentis eſt ſignificatio maximè accommodata loco Ioannis. 14. c. inter Verbum diuinū & humanum mentale, quæ ſit ſimilitudo & diſſimilitudo. 16.b.c. 17.a. b. Verbum diuinum fuit notum in Scripturis ſub hac appellatione ante incarnationē. c. Verbū Dei Chaldaica verſio vſurpat loco nominis ineffabilis. 18.b.c. Verbum Dei Prophani ſcriptores ante Chriſtum prædicauerunt, ſed in duobus errarunt. c. Verbum Dei quidam ex antiquis etiam ſermonem appellarunt. 19. b. Verbum aptius dicitur Filius Dei, quàm ſermo. 20.a. & quàm ratio. c

Verbum omnia conſeruat, & per illud perdurant omnia. 41.b. Verbum eſt lux hominum ob ſeptem proprietates, quæ ſunt in luce, & quænam illæ ſint. 47.a. Verbum cur dicatur lux hominum, cuius rei quatuor ſunt cauſſæ. 48.a. Verbum cur dicatur lux hominum, non Angelorum. c. 46.a. Verbum lux vera eſt tripliciter. 57.b. Verbum Dei qui receperunt, quomodo poteſtatem habeant filij Dei fieri. 68. a.b. Sex modis hoc fieri poſſe oſtenditur. c. ex quibus ſextus: maximè probatur, qui eſt habere auctoritatem. 69.b. Verbū per incarnationem nouo modo eſſe cœpit in mundo. 71. b. Verbum quomodo caro factum ſit, ſine ſui mutatione. 76.b. Verbū, quomodo exinanitum dicatur ſub forma hominis, etiamſi nullam paſſum ſit mutationem. c. Errores qui ex illis *Verbum caro factum eſt*, emerſerunt. 77.b

Verbum inhabitaſſe in nobis tripliciter dicitur 85.a.b. Verbum habitauit in nobis, quia nobiſcum eſt cōuerſatus. c. Verbum poſuit tabernaculum ſuū inter homines. ἐσκήνωσεν. 86. b. Verbum in ſinu eſſe Patris quid denotet. 115 c

Verum & veritas tribus modis in Scriptura vſurpantur, & quibus. 57.c

Veritas quatuor modis ſumitur, quibus Chriſtus plenus veritatis dicitur. 95.a

Veſpaſianus Imp. quomodo cæcum illuminaſſe dicatur, quam rem Auctor fabuloſam planè & fictam iudicat. 534.b.c. in Veſpaſiano laudando Plinius qua amplificatione vſus ſit. 3.c

Victus Chriſti, & Apoſtolorū eius paupertas, & vilitas. 375.c

Vidimus gloriam eius quam vim habeat. g. ἐθεασάμεθα. 89.b

Viduæ in veteri teſtamento non tenebātur nubere, imò laudantur quę viduitatem ſeruarunt, vt Iudith. 7.a

Vinum in nuptiis ex aqua factum fuit rubrum non album. 263.c. Vinum rubrum in Scriptura commēdatur. 164. a. Vinum quantum ex aqua factum ſit. 164.c. 165.a. vinum quomodo ex aqua factum ſit. 165.b. c. idem miraculum

culum aliquoties repetitum narrat Epiphanius. 166. a. myſtica interpretatio. b c
Vinum cur Chriſtus dum panes multiplicauit populo non dederit. 376.c
Vinum cur in nuptiis factum ſit. 377.a
Viſionem Dei neque in cœlis, neque in terris nullum conſequi poſſe quidam opinati ſunt. 113. b. hæc opinio reprobatur. c. Viſionem Dei Chriſtus duplicem habuit, vnam, quâ Deus, alteram quâ homo. 190.a
Vita pro conſeruatione, & viuificare pro conſeruare in Scriptura ſumitur. 42.a. Vita triplici ratione Verbum dicitur. 46.a
Vitam habere in ſemetipſo quandq Pater dedit Filio. 333.b
Vita æterna modo fidei, modo dilectioni tribuitur, quia ex vtraque prouenit. 331. a. Vitam habere in ſemetipſo, & vitam habere à ſemetipſo ſunt diuerſa. 332. b. Vitā in ſemetipſo habere quatuor denotat. c
Vita diuina duplex eſt, vna ſubſtātialis, & hæc tribus modis habetur. 452. b. Vitam diuinam Chriſtus vt homo, quomodo habeat. c. Vita alia diuina habetur per participationem; & hæc quinque modis habetur. c. 455. a. Vitam habent beati intelligendo Deum. b. Vitam etiam diuinam habebunt corpora poſt reſurrectionem. c
Viuētium quatuor ſunt gradus ex Ariſt. & qui illi. 46.b
Vnguenta quorum odore ſponſa trahitur ad Chriſtum ſunt quatuor, & quę illa. 407.c
Vnio noſtra cum Chriſto quę fit per ſacramentum, qualis. 451.c
Voluntas Dei duplex, vna beneplaciti, altera ſigni, ſeu antecedens. 56.a
Vox in Scriptura rebus inanimatis tribuitur. 203. b. Vox Spiritus S. quæ ſit. 206.c
Vt, non denotat cauſſam, ſed conſequētiam rei. 538.b

Deo Jeſu Chriſto laus & gloria.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 7. lin. 28. leg. Ioannes verò. 8. lin. 5. dixit Dauid in Pſal. 80. 13. 28. eſſe factos. pag 7. 26. reperietur. 66. a fin. 2. eſſe in mundo. 81. 2. a fin. ad Clidonium. 84. ſuppoſitabatur. 89. 26. manifeſtata. 128. 28. articulo ſecundo. 131. 30. quem ſolum 139. a fin. 3. incompertum 152. a fin. 3. conſilio, ac propoſito. 164. a fin. 12. congius. 2. boccalia. 197. a fin. 2. Hebraicè. 203. 4. cognoſcibilis. 28. ſonus. 222. a fin. 3. neceſſarius. 246. a fin. 3. ignoranti. 256. 12. reddebar. 259. a fin. 11. humanus. 277. 1. regiæ 297. 15. Paſchæ 320. a fin. 4. per Dauidem, & ad marg. Pſal. 80. 364. a fin. 5. triginta. 411. 16. Patres veſtri. 437. a fin. 5. perniciem. 456. 24. intelligendam. 461. 20. exaggerandam. 498. a fin. Theologotatos. 525. a fin. 3. proprium eius. 526. 22. incenſum.

Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA
1974